EX LIBRIS
PROSPERI SELLI
Medicinæ et Chirurgiæ
Doctoris

In manu Domini sunt omnes fines terræ.

Ex Libris
Frank Dawson Adams

co
il mio
ulo, e
ze.

MISCELLANEA
MEDICO-PHYSICA
ACADEMIÆ
NATURÆ CURIOSORUM
GERMANIÆ.

IN QUIBUS PLURIMÆ ET NOVÆ
Obſervationes, Medicæ, Chirurgicæ, Anatomicæ, Therapeuticæ, Phyſicæ, Chymicæ, & Botanicæ, continentur.

CUM FIGURIS ÆNEIS.

PARISIIS,
Apud **LUDOVICUM BILLAINE**, in Palatio
Regio.

Cum Privilegio Regis Chriſtianiſſimi.
M. DC. LXXII. 80

3C
47
+

POTENTISSIMO AC INVICTISSIMO
ROMANORUM IMPERATORI
LEOPOLDO I.
PERPETVO AVGVSTO
GERMANIÆ, HUNGARIÆ, BOHEMIÆ,
Dalmatiæ, Croatiæ, Slavoniæ, &c. Regi, Archiduci
Auſtriæ, Duci Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ,
& Würtenbergæ, Comiti Tirolis, &c.

AUGUSTISSIME CÆSAR,

P*OST reſtitutam* S. *CÆS. MAJESTATI à Divina Hygeia, ancillante* Medicinæ *operâ, Salutem, non dubium eſt CÆSAREM multum velle debere Huic* Arti Sanandorum hominum; *ipſam tamen* Medicinam *rurſus CÆSARI eſſe devinctiſſimam. Hærebat attonita* GERMANIA, *cum præteritâ ſæviente canâ Brumâ Morbona, non in canos ſed floridos S. CÆS. MAJ. annos rigidum ſibi ſumeret Imperium, & improviſi & ſæviſſimi morbi inſultu, vi doliſque, impetum faceret. Non tam frigore quàm anxietate conglaciebantur & conſtringebantur pectora Subditorum; Saturnalitiæ feſtivitates apud Chriſtianos in fauſtivas Novi Anni gratulationes mutatæ, in ſuſpiria fletuſque terminabantur; nemo de propria, omnes de Publica ſalute, quæ intra ſacrum ſaxumque ſtabat, ſolliciti. Cunctæ Civitates congemebant, luctuquepu.*

publicò tam Supremæ Neceſſitati congruente, luctuoſum à Magiſtratibus edicebatur Juſtitium. Templa Sanctorum clamoſis ululatibus perſtrepebant, Aras candelis fumantes etiam per noctem turmatim accedebant pro implorando in extremâ neceſſitate Divino Auxilio, omnes angebantur ne Sole hoc morborum Nube involuto penitùs occidente, funeſta Orbem Ecclypſis obrueret. Exauditæ à Deo Ter Opt. Ter Max. tot populorum conjunctæ preces, tot lachrymarum effuſi imbres, tot ſuſpiriorum myriades. Vicit Medicina, *diſcuſſit Nubeculas & cum reduce ad nos Sole*, SOLEM GERMANICUM *reſtituit.* IO TRIUMPHE! *Si olim de uno Homine Civeque ſervato Gallus Æſculapio oblatus, infinitæ eorum Hecatombæ eſſent offerendæ pro reſtituto tot Regnorum Populorumque Supremo Capite. Nec ob ſolum auxilium oblatum S. CÆS. MAJ. favet* Medicinæ, *ſed & Diviſum cum Ipſa Imperium habet*: Ars *namque* Medica, *licet famulans, tamen Ipſis* IMPERATORIBUS *quaſi blandè imperare videtur*, LEGES *ſcilicet* SANITATIS *per* Diætam *præſcribendo, ſic ut Qui ſolutus aliis Humanis Legibus, tamen* Medicinæ *præceptis obtemperare, Auguſtæ Famæ non putet eſſe indecorum; quia ſub hoc ſalutari Ægidis clypeo Invictiſſimus contra tot tantoſque Morborum Hoſtes: ſecurior contra venenorum toxicata tela, quam Achilles Veneris armis indutus Cyclopum dexteritate fabricatis.*

Rurſus Medicina *cum Sororiantibus Artibus innumeris modis ſeſe ſentit S. CÆS. MAJ. obſtrictiſſimam. Quod illa indies magis magiſque cultiore amictu prodeat; quod à tot annorum ſæculis contractis Nævis, abſterſis iis nitidior effulgeat, id unicè* PACIFICO & CLEMENTISSIMO *S. CÆS. MAJ.* REGIMINI *aſſcribendum eſt. Sanè ſi Subditorum Ingenia Moreſque componantur ad Principum mentem, quid mirum ſi* AUGUSTO PACIFICO *Noſtro Regnante, qui Litteris clementiſſimè favet, uberrima in Germania quoque Eruditorum meſſis ſit?*

Quin etiam, AUGUSTISSIME CÆSAR, *Favorem in Medicinam amplius effundere videris, quia* IPSE *languenti Univerſæ Germanorum Nationi prudentiſſima Gubernatione ſuccurris, quotidiè Eidem mederis: in Senium novaſque Belli Calamitates præceps* IMPERII *corpus reparare, ac veluti ſuccis vitalibus recoctum florenti reſtituere Juventæ laboras: Humorum vitioſorum affluxum in deſperatum tranſiturum Carcinoma*, Principiis obſtando, *reprimis, op-*

timè gnarus , *ut* interdum *quidam* Medici plus quiete quam movendo *& agendo perficiant* , *ſic rurſus* quædam tempora Remedia lenta & ſegnes Medicos faſtidire: *Hâc Prudentia Germaniam à priore Chronico Morbo nondum penitus reſtitutam feliciſſimè à Recidivæ malo liberaſti.*

Inter hæc Halcyonia Artes Liberales & cum iis Phyſicæ *&* Medicinæ ſtudia *Succum & Sanguinem in* GERMANIA *receperunt, tot ante Bellorum cladibus ferè in exilium pulſæ. Inde dum aliæ vicinæ* Nationes, Regiâ Protectione gaudentes, *ſummo cum fervore Eruditos Labores conjungunt, & Reipubl. Litterariæ ſummâ cum Gloriâ & utilitate communicant, Eorum laudabili exemplo incitati* GERMANI *quidam,* CURIOSAM NATURÆ SOCIETATEM, *ex* Medicis *potiſſimum conſtantem erigentes, ſub fauſtiſſimo* GERMANICÆ AQUILÆ *Signo copias Litterarias conferre invicem tentarunt. Ii dum certi* & *ſecuri vivunt de Summa Faventia* Cæſarea *in* Medicinam *ejuſque Filios : ſecuri de privato &* ſpeciali Cæſareo Affectu *in* COLLEGIUM NATURÆ CURIOSORUM *conteſtato jam dum Cæſareâ Munificentiâ, tranſmiſſione quarundam Tabularum ænearum ex Theſauro* Cæſareo , *audent è latebris prodeuntes Auguſtalem S. CÆS. MAJ. Thronum adrepere , & Aquilinis in judicando Oculis* Primitias Ephemeridum Germanicarum *ſubmiſſiſſimè offerre. Inde audent* miros *Naturæ luſus in levi quaſi Tabellâ depictos:* varia *Naturæ aberrantis monſtra, Monſtrorum Domitori Herculi*; varias *Morborum infrequentium caſus* , raras *medelas*, varia *ſelectiſſimorum Ingeniorum noua Inventa in faſciculum collecta, non Æſculapii dudum deſtructo Templo, ſed* AUGUSTALI CÆSAREO SACRARIO *offerre & ſummâ ſubmiſſione , genubus flexis , ejuſdem Thelis appendere. Tanto patrocinio ſuffulti* Germani Curioſi, *non ſolum ex Hæreditariis S. CÆS. MAJ. Provinciis, & S. ROM. IMPERII Circulis videbunt conglobatim advolare Eruditos eoſdem labores annuatim cumulantes, ſi* AQUILAM *Ipſam viderint* naſcenti Societati *propitiam*; *ſed &* Exteri, *aliorum Regnorum* Medicinæ Statores, *ſuppreſſa fatali & exitiali Nationum Invidiâ etiam Holocauſta ſua oblaturi ſunt, Eruditoſque Labores conjuncturi.*

Omnium noſtrorum Votum eſt, SACRATISSIME CÆSAR, *ut* rarò Medicinâ utaris, *hoc eſt ſerò Cœlum repetas, cujus ſacro & venerabili ſpiritu tot mortalium fata trahuntur, niſi prius* Auguſtiſſimam Domum *impleveris Avitarum Paternarumque Virtutum ut Imperiorum Hæredibus, qui* ÆTERNAM *reddant longâ annorum ſerie* DOMUM AUSTRIACAM, *& nonniſi cum Ipſo Mundi fine finituram, quod vovent humillima deveneratione,*

S. CÆS. MAJEST.

Uratiſlaviæ Sileſ. Anno Redempti Orbis
M. DC. L X X. ipſis Kalend. Octobr.

Obſequentiſſimi
NATURÆ CURIOSI.

CATALOGUS
OBSERVATIONVM
ANNI PRIMI
EPHEMERIDUM GERMANICARUM.

Præfixa eſt Epiſtola Invitatoria ad celeberrimos Europæ Medicos, *Pagina* 1
1. D. Thom. *Bartholini* Falſus Conceptus. *Pathol. Schol.* 15
2. D. Joan. *Wepferi* Lien magnus. *Anat. c. Schol.* 21
3. D. Georg. *Segeri* Serpentum Vernatio, Ovorum exclusio & Anatomia. *Phyſ. Anat.* 25
4. D. Matth. Fr. *Hertodi Sen.* Vomitus Venereus. *Pathol.* 29
5. *Ejuſd.* Cancer dentis. *Chirurg.* 33
6. D. Joan. Ferd. *Hertodi* Lactis in mammis generatio. *Phyſ. Path.* 34
7. D. Carol. *Reigeri* Anatome Monſtri bicipitis. *Anat.* 36
8. D. Georg. *Segeri* Polygonum Polonic. cocciferum. *Botan.* 37
9. *Ejuſd.* Pareliorum Hiſtoria. *Phyſ. Math.* 38
10. D. Petr. à *Caſtro* Remedium antipleuriticum. *Therap. c. Schol.* 39
11. D. Henr. *Vollgnadi* Anus imperforatus *Anat. Path. Sch.* 42
12. D. Joach. Georg. *Elſneri* Remedium Atrophiæ oculi. *Path. Therap. Sch.* 45
13. D. Ph. Jac. *Sachſi* Meſſis Obſerv. Microſcopicarum. *Phyſ. Math.* 47
14. D. *Reiſelii* Serpens petrefactus. *Phyſ. c. Sch.* 62
15. D. *Segeri* Phthiſici pueri anatome. *Anat. Sch.* 66
16. D. *Ejuſd.* Renum & veſicæ exulceratio, *Anat.* 68
17. D. *Sachſi* Aurum Chymicum. *Chymic. Sch.* 69
18. D. Guil. *Rivæ* Anevriſma Cordis. *Anat.* 77
19. D. Matth. Fr. *Hertodi Sen.* Uſus Lactis in Empyemate. *Pathol.* 79
20. D. Ph. Jac. *Sachſi* Conſenſus Labiorum oris cum utero. *Phyſ.* 80
21. D. Henr. *Vollgnadi* Ex vehementi illiſu Abdominis, mors. *Path.* 83
22. D. J. F. *Hertodi* Uſus Lactis in Putridis. *Therap.* 84
23. Th. *Bartholini* Sirene Danica. *Obſ. Phyſ. c. Sch.* 85
24. D. Joan. F. *Hertodi* Hæmorrhagia difficilis ſanata. *Chirurg.* 89
25. *Ejuſd.* Fracturæ gravidarum difficiles curatu. *Chirurg. Sch.* 90
26. D. J. Th. *Schenckii* Cerebrum Bovis petrefactum. *Phyſ. Sch.* 91
27. D. Ph. Jac. *Sachſi* Ren petrefactus. *Phyſ. Anat.* 93

28. D. Georg. Seb. *Iung.* In ſanguine materia alba circa Cor. *Anat. Sch.* 94
29. *Ejuſd.* Lien Magnus: duplex inteſtin. Cœcum. *Anat. Sch.* 98
30. D. Zach. *Managettæ* Affectus cornutus. Path. Sch. 100
31. *Eiuſd.* Polypus Cordis. Path. Sch. 102
32. *Ejuſd.* Anatome Hyſtericæ. *Anat.* Sch. 104
33. D. Laur. *Wolfſtrigel* Flamma ex puteo. Phyſ. Schol. 104
34. D. Joh. Mich. *Fehr.* Nova Catarrhorum extractio. Path. Sch. 106
35. D. Petr. *à Caſtro* Mutis Loquela data. Phyſ. Sch. 108
36. D. Th. *Bartholini* Ovum prægnans. Phyſ. Shol. 114
37. *Ejuſd.* Herba oſſifraga. Path. Sch. 117
38. *Ejuſd.* Oſſium Mollities. *Botan.* Phyſ. Shol. 118
39. D. Guil. *Rivæ* Secundina duplex. Phyſ. Sch. 119
40. D. Joach. G *Elſneri* Mira ſecundinæ textura. *Anat.* 121
41. D. Jo. Gerg. *Greiſelii* Suffocatio ex fruſto pulmonis. Path. 123
42. D. *Segeri* Embryo Hydropicus. Path. *Anat.* Sch. 124
33. D. *Wolfſtrigel.* Anatome Hæmoptoyci, Gyſtis
Reni adnata *Anat.* 125
44. D. Nic. Guil. *Bekers* Lapilli Veſicæ felleæ. Path. Sch. 126
45. D. Guil. *Rivæ* Conceptus falſus detectus tempore verus. Path. 128
46. D. Alardi *Cummi* Hydrocephalus incipiens curatus, Path. 128
47. *Ejuſd.* Hydrocephalus diſſectus. *Anat.* 129
48. D. F. Jac. S*achſi* Rapa monſtroſa. *Botan. ſch.* 130
49. D. Fr. Ferdin. *Ilmeri* Fœtus mortuus extractus. *Chir.* 135
50. D. Th. *Bartholini* Sanguis verminans. Path. Sch. 136
51. *Ejuſd.* Hemicrania Periodica. Path. 138
52. *Ejuſd.* Robur Naturæ in Gravida. Path. Sch. 139
53. D. Val. And. *Mœllembrocci* Variolæ fœtus in utero. Path. Sch. 139
54. *Ejuſd.* Hypercathatſis à Medicamentis ☿ lib. *Therap.* 140
55. D. Job. G. *Greiſelii* Anatome monſtri gemellorum. *Anat.* 141
56. *Ejuſd.* Ren ſuccenturiatus monſtroſus cum Ulcere. *Anat.* 141
57. D. Joach. G. *Elſneri* Vincetoxicum ſcrofularum remed. *Therap.* 142
58. D. Alardi *Cummi* Apoplexia Lethalis ex Scabie. Pathol. 144
59. *Ejuſd.* Dolor Meſenterii tremulus in Paralyſin
manuum deſinens. Pathol. 145
60. D. I. F. *Hertodi* Fœtus in utero croco tinctus. *Anatom.* 145
61. D. Joach. G. *Elſneri* Albedo chyli tingens rubedinem. Phyſ. 147
62. D. Joh. P*aterſoni* Vagitus Uterinus & reditus in uterum. Phyſ. ſch. 148
63. *Ejuſd.* Hypochondriaci excreta nigra. Path. 149
64. D. Joh. G. *Greiſelii* Ren conſumptus. *Anat.* 150
65. *Ejuſd.* Lapilli cum Sanguine è venâ. *Chirurg.* 150
66. *Ejuſd.* Lapis in Abſceſſu Hepatis. *Anat. ſch.* 151
67. D. Laur. *Wolfſtrigeli* Vulnus oculi & coalitus humoris
Cryſtallini. *Chirurg.* Pathol. 153

68. D.

68. D. Ferd. Fr. *Ilmeri* Dolor Capitis Lethalis. *Path.* 154
69. *Ejuſd.* Dolor Capitis inſignis. *Path.* 156
70. D. Ioh. G. *Greiſelii* Cor magnum. *Anat. Schol.* 157
71. L. Sigiſm. *Graſſi* Oculi Paralyſis ex caſu. *Therap.* 158
72. D. Ph. Iac. *Sachſi* Gammari Amari. *Phyſ.* 161
73. D. Th. *Bartholini* Cryſtalli. *Phyyſ. Sch.* 163
74. D. Ioh. G. *Greiſelii* de Apoplecticis. *obſ. Anat.* 164
75. *Ejuſd.* Hæmorrhoidum fluxus albus. *Path.* 164
76. D. Laur. *Vvolfſtrigeli* Os cuneiforme. *Anat.* 164
77. D. Ioh. Iacob. *Piſani* Flamma ex ventriculo. *Anat. Sch.* 165
78. D. Ioh. Iac. *Dobrzensky* Mors horrida ruſtici in Febre Maligna. *Path.* 167
79. *Ejuſd.* Efformatio Pygmæorum. *Phyſ.* 168
80. *Ejuſd.* Hypochondriaci mors ab Ungu. ☿. *Path.* 169
81. D. Nic. Guil. *Beckers.* Ex levi purgatione in Aurifabro mors. *Ther. Sch.* 178
82. *Ejuſd.* Abſceſſus abdominis inciſione curatus. *Chir.* 180
83. D. Ioh. Mich. *Fehr* Eſus abſurdorum. *Phyſ. Sch.* 181
84. D. Alardi *Cummi* Paralyſis pedum ex Longiore in frigido mora. *Path.* 183
85. *Ejuſd.* Epilepſia hypochondr. ex retentis menſibus. *Path.* 184
86. *Ejuſd.* Epilepſia Venere ſanata. *Path.* 185
87. D. Valent. Andr. *Mœllembrocci* Omentum putrefactum. *Anat.* 185
88. *Ejuſd.* Mictio cruenta. *Path. Sch.* 186
89. *Ejuſd.* Mictio Chyloſa. *Path. Sch.* 187
90. D. Ph. Iac. *Sachiſii* Aloë Sileſiaca. *Botan.* 188
91. *Ejuſd.* Aloë Salitiana. *Botan.* 198
92. D. Alardi *Cummi* Rarum circa viſum Symptoma. *Path.* 202
93. *Ejuſd.* Viſus duplicatus. *Path.* 202
94. *Ejuſd.* Puris Sputum Menſtruum ſine phthiſi. *Path.* 203
95. *Ejuſd.* Vomitus Sanguinis menſtruus. *Path.* 203
96. *Ejuſd.* Hæmorrhagia menſtrua in gravida. *Path.* 204
97. L. Chr. Frid. *Garmanni* Muſcus terreſtris. *Bot. Sch.* 205
98. D. Ph. Iac. *Sachſi* Mira alvi ſtipticitas. *Path.* 207
99. D. I. F. *Hertodi* Cancer Pancreatis *Med. Anat.* 208
100. D. V. A. *Mœllembrocci* Prædictio futurorum ex dentibus. *Phyſ. Sch.* 210
101. D. *Bartholini* Mors repentina. *Anat.* 211
102. D. Ioan. *Jæniſi* Bugloſſum ſilveſtre monſtroſum. *obſ. Botan. Sch.* 211
103. D. Henr. *Volgnadi* Anatome Ancillæ Altemburgicæ. *Anat. Sch.* 213
104. L. *Garmanni* Horror à vermibus. *Path.* 217
105. D. Godofred. *Thileſii* Calculi ex abſceſſu hepatis. *Path.* 218
106. *Ejuſd.* Calculi veſicæ cum Uteri obſtructione. *Path.* 219
107. D. Ioach. G. *Elſneri* Veronicæ uſus in Calculo. *Ther.* 221
108. L. Ortholphi *Maroldi* Abortus per os. *Phyſ. Shc.* 221
109. D. Val. Andr. *Mœllenbrocci* Cati ex ore mulieris nativitas. *Phyſ. Sch.* 226

110. D. Ph. Iac. *Sachſi* Fœtús extra uterum inventus. *Anat.* *Sch.* 230
111. D. G. Sebaſt. *Jung. e Vienn. Cæſ. Muſeo* Crucifixus ex Crambe. *Ph.* *Sch.* 235
112. *Ejuſd.* Nomen Chriſti in Achate. *Phyſ.* *Sch.* 237
113. *Ejuſd.* D. Mariæ effigies in minera ferri. *Phyſ.* *Sch.* 238
114. *Ejuſd.* Inſignia Auſtriaca Lapidibus à Natura impreſſa. *Phyſ.* 239
115. *Ejuſd.* Lapis Bezoardicus monſtroſus. *Phyſ.* 240
116. D. Ph. Iac. *Sachſi* Radix miranda cum icunculis. *Phyſ.* 241
117. D. Guil. *Rivæ* Reſtitutio humorum in oculo. *Phyſ.* *Path.* *Sch.* 245
118. D. Ioach G. *Elſneri* An Lien veneris ſit ſedes. *Phyſ.* *Sch.* 246
119. *Eiuſd.* Anguillæ viviparæ. *Phyſ.* 248
120. L. Chriſt. Frid. *Garmanni* Araneæ nutriuntur aëre. *Phyſ.* 249
121. *Eiuſd.* Araneæ cum Bombyce antipath. *Phyſ.* 249
122. *Eiuſd.* Bombycum nutrimentum. *Phyſ.* *Sch.* 250
123. D. Th. *Bartholini* Pili demortuorum. *Phyſ.* *Sch.* 252
124. *Eiuſd.* Nervorum reſtitutio. *Chirur.* *Pat.* 253
125. D. Th. *Bart.* Aſellus Hermaphroditicus. *Ph.* *Sch.* 254
126. D. Fr. Matth. *Hertodi Sen.* Alvi difficultatis nova cauſa. *Pat.* 255
127. D. *Regn. d. Graff.* Arteriæ carotides induratæ. *Anat.* 256
128. *Eiuſd.* Monſtroſus uterus. *Anat.* *Pat.* 257
129. D. Ioan. Iac. *Dobrzenski* Calculi cyſtidis fellei *Anat.* 258
130. *Ejuſd.* Anatome Cerebri bovis petrefacti. *Anat.* 259
131. D. Ph. Iac. *Sachſi* Aurum vegetabile. *Phyſ.* 260
132. D. Chriſt. *Nitſchki* Lac ex Sanguine. *Pathol.* *Sch.* 263
133. D. David. *Spilembergeri* Cantharides innoxiè ſumptæ. *Ther.* *Sch.* 265
134. D. Iul. Guil. *Mannagettæ* Antipathia ad Muſicam. *Ph.* *Sch.* 266
135. D. G. Sebaſt. *Iungi* Antipathia ob nævos maternos. *Phyſ.* *Sch.* 268
136. D. Ioach. G. *Elſner.* Spermatis Ceti ortus. *Phyſ.* 270
137. L. Chriſt. Frid. *Garmanni* Serpentum & bufonum antipath. *Phyſ.* *Sch.* 273
138. *Ejuſd.* Scolopendræ Lux innata. *Phyſ.* *Sch.* 274
139. *Ejuſd.* Pullitiei nocumenta. *Phyſ.* 276
140. *Ejuſd.* Ovum inſolitæ figuræ. *Phyſ.* 276
141. D. Ph. I. *Sachſi* Lac arthriticorum ſolatium. *Ther.* *Path.* 277
142. *Ejuſd.* Emplaſtr. antipodagricum. *Ther.* 283
143. D. Frider. *Ortlobi* Inteſtina Sphacelata. *Anat.* *Sch.* 284
144. L. Chr. Pr. *Gammari* Præſagium mortis ex odore. *Phyſ.* 286
145. *Ejuſd.* Vermes inteſtina perforantes reſtituto ægro. *Therap.* *Path.* 286
146. D. Henr. *Volgnadi* Vermes inteſtina perforantes moriente ægro. *Therap.* *Path.* 287
147. L. Chr. Frid *Garmanni* Varia excreta per alvum. *Path.* 288
148. *Ejuſd.* Mercurii experimenta. *Phyſ.* *Sch.* 289
149. D. Guil. *Rivæ* Transfuſio Sanguinis in homine. *Chir.* *Sch.* 289
150. D. Ioh. *Paterſoni* Tinctura Coralliorum. *Chym.* *Sch.* 294
151. D. Georg. Hier. *Velſchi* Xylaloe Cardioides. *Botan.* 295

152. *Ejuſd.* Lignum Saſſafras à Radice diverſum. *Botan.* 296
153. *Ejuſd.* Tabacum Iaponicum. *Botan.* 296
154. *Ejuſd.* Iaſpis Carioſus. *Phyſica.* 297
155. D. Georg. Hieron. *Velſchi* Margaritæ Onychinæ & Margaritomantiæ. *Phyſ.* 298
156. *Ejuſd.* Achates Aphrodiſius. *Phyſ.* 298
157. *Ejuſd.* Spondylolithi & Dolicholithi Teriolenſes. *Phyſ.* 299
158. *Ejuſd.* Calcnli Pulmonum. *Pathol.* 300
159. *Ejuſd.* Fructus Americani nondum deſcripti. *Botan.* 300
160. & ultima *Ejuſd.* Anatome Muris Alpini. *Anat. M. Reduis.* 301
Obſervationes de Viperis Franciſci Redi nobilis Aretini Academici *della Cruſca.* 303

Catalogus ænearum Tabularum illuſtrandis quibuſdam Obſervationibus inſervientium, quæ in fine operis compingi debent.

Tabula I. 14. Serpens in ſtomacho cervi petrefactus.
17. Ducati ex auro chymico.
II. 18. Anevriſma cordis.
III. 39. Duplex ſecundina Gemellorum.
IV. 40. Mira vaſorum ſecundinæ humanæ textura.
V. 43. Cyſtis reni adeata.
48. Rapa monſtroſa anthropomorpha.
VI. 49. Fœtus mortuus unco extractus.
55. Anatomia Gemellorum.
90. Aloë Sileſiaca Floreſcens.
VII. 102. Bugloſſum ſylveſtre monſtroſum.
106. Calculi veſicæ.
107. Calculus renalis.
111. Crucifixus ex radice Crambes enatus.
VIII. 112. Nomen Chriſti Achati naturaliter inſcriptum.
IX. 113. B. Mariæ effigies in minera ferri-naturaliter expreſſa.
X. 114. Inſignia Auſtriaca lapidibus à natura impreſſa.
115. Lapis Bezoardicus miraculoſus, & monſtroſus.
116. Radix mirãda crucifixum cum duabus icunculis exhibens.
126. Nodi in inteſtlnis.
127. Arteriæ Carotides induratæ.

Errore Typographi ad obſerv. 102. & 106. indicata eſt Tabula *ſexta* loco *ſeptimæ*.

Summa Privilegii Regis Chriſtianiſſimi.

LUDOVICUS XIV. Galliarum & Navarræ Rex Chriſtianiſſimus, Diplomate ſuo ſanxit, ne quis per univerſos regnorum ſuorum fines, *Miſcellanea Curioſa ſive Ephemerides Germaniæ Medico-phyſicas*, intra quinque annos, præter voluntatem Ludovici Billaine ullo modo imprimat, aut alibi terrarum impreſſas in Gallici imperii ditiones importet, venaleſve habeat. Qui ſecus faxit, confiſcatione librorum & alia gravi pœna multabitur, uti latiùs patet in litteris datis Lutetiæ Pariſiorum VI. Januarii M. DC. LXXII.

Signat. DALENCE.

Inſcriptum Regeſto Bibliopolarum Pariſienſium juxta Decretum Senatus. Die 8. Januarii, anno 1672.

D. THIERRY, Syndic.

Editio præſens perfecta eſt die xx. Februarii M. DC. LXXII.

MISCELLANEA

EPISTOLA
INVITATORIA
AD CELEBERR. EUROPÆ MEDICOS.

VIRI MAGNIFICI, AMPLISSIMI, Excellentiſſimi, Medicinæ Antiſtites, ſcrutatores naturalium arcanorum ſolertiſſimi·

CIRCULUM ſanè putemus aut Globum omne id, quod à ſapientiſſimo & triſmegiſto Creatore productum fuit, qui undique circumvolutus nunc in ſuperius adſcendat, nunc deorſum ruat, ſic

> ——— *omnia migrant,*
> *Omnia commutat Natura & vertere cogit.*

Agnovere olim & nunc Sapientes hanc perpetuam & prætoriam circumvolutionis legem, ut ad ſummum perducta rurſus ad infimum relabantur, & ſtatis temporibus rurſus adſcendendo caput exerant. Quicquid vides, inquit Seneca, Natura, (melius Chriſtiani, Deus) mutationibus temperat: nubilo ſerena ſuccedunt, turbantur maria cùm quieverunt, flant invicem venti, noctem dies ſequitur. Eaſdem mutabiles Rerum vices etiam ſtudia arteſque Liberales à mundi ſtatim infantiâ, uſque ad decrepitam jam ejus ſenectutem expertæ ſunt, ut interdum ipſo Sole clariores ſparſerint Lumen, modò nigrâ Barbariei nube ſepultæ, cæcâ nocte viderint Mundum immerſum, donec diſcuſſis tandem ignorantiæ tenebris novâ luce rurſus refulſerint. Nolumus priores Mundi ætates prolixiore adumbrare penicillo, quomodo ingenita Primogenitorum Patriarcharum certa & firmiſſima eruditio Sophiſmarum & oppugnationum expers, jam ante diluvium plurimorum malorum hominum ſcelere & incuriâ obfuſcata fuerit; quomodo ad Chaldæos; quomodo ad Ægyptios per Ioſephum, ad Perſas per Daniëlem & Magos, porrò ad Græcos, tandemque ad Romanos devenerit. Putandum ferè *Migrationes litterarum* tam familiares eſſe & fuiſſe quàm olim Gentium, imò apud pleroſque cum Monarchiæ Majeſtate Eruditionis faces ſimul fuiſſe accenſas & eâ ruente extinctas. Certè dum Auguſtus Imperator ſummâ rerum Orbis tunc cogniti potiretur, aureum Litterarum & Scientiarum floruit ſæculum, manſit uſque ad Trajani tempora Monarchiâ Romanâ adhuc vegetâ: declinante poſteà Imperio rurſus *bonæ Litteræ* in exilium pulſæ fuerunt & coactæ Barbariei herbam porrigere victricem, gemente ipſo Imperio ſub iniquâ Barbarorum ſervitute. Tandem denique *in Europâ* firma ſibi fixerunt caſtra Muſarum Gratiarumque chori. Aſpiciamus Germaniam: in eâ ſub Sereniſſimæ Auſtriacæ Familiæ Majeſtate & ſplendore vitam vireſque receperunt Scientiæ, & non dubitandum quamdiu hæc Sereniſſima Familia in flore permanſura ſit, numquam quoque Artibus ſplendorem & incrementum defuturum. Sanè quo tempore ulla major æmulatio, ulla meſſis uberior recenſeri poterit Eruditorum, quam noſtro hoc vergente ſæculo, ubi non Urbes, non Ducatus, non Provinciæ, ſed integræ Nationes, integra Regna laudabili & non invidendâ æmulatione accendantur, & de novarum abſtruſarumque Rerum Inventionibus per experimenta comprobandis invicem decertent? Florentiſſima & ſibi viciniſſima *Regna, Gallicum & Britannicum* quo non fervore noſtrâ hæc ætate, quibus non ſumptibus, quanto non ingeniorum delectu & frequentiâ palmam invicem ſibi faciunt dubiam? Sub maximo & potentiſſimo *Galliarum Rege LUDOVICO*, Litteræ (quæ poſt Franciſci I. Summi Litterarum Patroni mortem, ſtrepentibus undique bellorum civilium flammis, ſuppreſſæ fuerant & ſepultæ) nunc novo vigore animantur, quod præter plurima variæ eruditionis lumina per Galliarum Regnum diſperſa teſtantur *Academiæ Pariſiis* noſtrâ ætate inſtitutæ *Domini de Mommor*, *Domini Tevenot* in Mathematicis, Anatomicis, Chymicis, & in examine Experimentorum; *Domini de Róo* in conſideratione novorum experimentorum, *Domini Launé* in Philoſophiâ, *Domini Bourdelotti* in rebus naturalibus. Cujus non aures attigit fama *Gaſſendi*, *Carteſii*, *Juſtelli*, *Petiti*, *Robervalli*, *Paſchalis*, *de la Chambre*, *Miramontii*, *Lantini*? Quis non miratur è Medicorum celeberrimorum choro *Riolanum*, *Pecquetum*, *Patinum*, *Moreau*, *Sponium* alioſque plurimos?

Si *Angliam* ſedatâ bellorum civilium horridâ tempeſtate Potentiſſimi Regis Caroli II. clementiſſimo erga Eruditos favore ſuperbientem aſpiciamus, obſtupeſcit Orbis ad conſeſſum *Experimentalis Collegii Londini* Regiâ Authoritate firmatum, Regio animo præditum, ipſorum Emblemati accommodatum: *Nullius in verba*. Integra Volumina non capiunt, quæ ex tam ſplendido cœlo ſidera enarrari deberent, quos inter *Digbæus*, *Boylæus*, *Bronker*, *Wrene*, *Hackius*, *Oldemburgius*, *Walliſius*, & præter hos Matheſeos & Naturæ Myſtas *Harveius*, *Charleton*, *Warthon*, *Williſius*, *Highmorus*, *Benettus* aliique Medicorum Anteſignani.

Quid non narrandum de Italia Studiorum & Sapientiæ Matre? Miſſis tot celeberrimis ferè omnium nobiliorum Urbium Academiis novaque *Experimentali Societate Florentiæ del Cimento*, Munificentiâ Magni Ducis Hetruriæ

Ferdinandi, & Principis Leopoldi ſuſtentata: quis non extollit *Athanaſ. Kircherum*, *Torricellum*, *Vincentium Viviani*, *Laurentium Magalotti*, *Euſtachium à Divinis*, *Caſſinum del Pozzo*, incomparabilem *Manfredum Seattalam*, *Corvinum Romanum*, alioſque quàm plurimos in indagandâ Rerum Naturalium veritate occupatiſſimos? Nonne *in Italiâ* præter elapſi ſæculi clariſſimos Medicos quàm fulgidiſſima nunc micant ubique Luminaria Medica novis & certis inventis Famæ templum illuſtrantia, *Barbatus Venetiis*, *Molinettus & Marchettus Patavii*, *Terzaga Mediolani*, *Fracaſſatus*, *Malpighius*, *Bellucius Piſis*; *Redi Florentiæ*, *Riva Romæ*, *Donzellus & Corneliu Conſentinus Neapoli* aliique innumeri?

Oſtentat *Belgium Plempium*, *Hornium*, *Sylvium*, *Blaſium*, *Regium*: Superbit *Dania Bartholino*, *Wormio*, *Borrichio*, *Stenone*: Gloriatur Suecia *Rudbeckio*, *Coſtero*, *Wittio*. Plures enumerare ex tam innumero numero chartarum anguſtia non permittit, & tenuitatem noſtram agnoſcimus, quòd indigni ſimus horum aliorumque virorum præcones, qui cum Alexandro nonniſi ab Homero deprædicari jure ſuo meritiſſimo dignum cenſerent. Tot tantorumque noſtro ſæculo clariſſimorum Philoſophorum & Medicorum exemplis Germani excitati, ut in aliis artibus ſolidis & utiliſſimis, ſic & in Medicinæ finibus dilatandis pro virili ſociato cum Exteris labore Remp. Medicam locupletare enixiſſimè allaborarunt. Non enarramus jam nunquam ſatis deprædicandos labores Excellentiſſimorum Profeſſorum in celeberrimis Germaniæ Academiis; non producimus Experientiſſimorum Practicorum in populoſis Imperii Germanici urbibus fidas Practicarum obſervationum commentationes; ſaltem referimus quoſdam è Medicæ familiæ Doctorum Grege ante aliquot annos inter tot Laborantium operas initâ *ſocietate* & ſuas opellas conjunxiſſe inſtituto *Collegio Naturæ Curioſorum* vocato. Fatemur equidem hoc *Naturæ Curioſorum* Collegium diu in Infantiâ hæſiſſe varias ob cauſas, præcipuè tamen ob Collegarum diſtantiam, Patronorum defectum & quorumdam invidiam, quorumdam ſocordiam: Applauſus tamen, quos non ſolum Germaniæ quidam primi ſubſellii Medici, ſed & exteri tribuere viſi ſunt ipſius incunabilis, τὸ εὖ acclamantes, lapſanti vires ſuppeditarunt ne in primâ, quod dicitur, herbâ occubuiſſet. Moti tantorum virorum ſtimulis, *præter ſingulares ſingularium è Re Minerali*, *Animali*, *Vegetabili tractatus* (quam ſolam viam hactenus *Curioſi* calcarunt) *novâ* quadam *methodo* & novâ ſemitâ labores curioſos auctiores reddere conſtituerunt & exterorum laudabilibus veſtigiis imprimere plantam. Viderunt quanta commoda *Ephemerides Anglicanæ*, Tranſactiones Philoſophicæ nuncupatæ, omnium ferè artium Cultoribus indies exhiberent, quam liberalem rerum curioſarum cognitionem *Gallicæ Ephemerides* ſuppeditarent; non incongruum itaque aut inutile fore futurum putarunt Curioſi, ſi *Ephemerides Germanorum* concinnarentur *è ſolâ Medicina* illiuſque filiis & agnatis *Phyſica*, *Botanologia*, *Anatomica*, *Pathologia*, *Chirurgia*, *Chymia*, ut quicquid curioſi per benevolam clariſſimorum Medicorum communicationem, quidquid per proprias obſervationes in Praxi aut diligenti inquiſitione & experientiâ occurriſſet, à Curioſis in unum *Ephemeridum volumen* conſcriberetur, & ſingulis annis publici juris fieret.

Si Praxim Medicam ſpectamus, nemo ferè Medicorum negare audebit, niſi proprio ingenio & Authoritati nimium confidat, quantas non utilitates à Primiceriis Medicis editæ hactenus *Obſervationes* præſtiterint intricatâ Praxi occupatis & non rarò Labyrintho ſymptomatum involutis, novorum & infrequentium morborum larvis deterritis. Ariadneum eas dixeris filum, imò Palladis Gorgoneum clypeum contra morborum monſtra, aut ipſam clavam Herculis Hydram Lernæam debellantem. Quantis non beneficiis Obſervationum fideli communicatione Rempublicam cumularunt *Amatus Luſitanus*, *Ant. Beniventus*, *Arnold. Bootius*, *P. Borellus*, *Joann. Chifletius*, *Rembertus Dodonæus*, *Marſilius Cagnatus*, *Nicol. Fontanus*, *Henricus ab Heer*, *Fabricius Hildanus*, *Gregor. Horſtius*, *Dominicus Panarolus*, *Felix Platerus*, *Paulus Renealmus*, *Henricus Smetius*, *Lazarus Riverius*, *Joannes Rhodius*, *Nicol. Tulpius*. *Franc. Valleriola* aliique? Quam liberali theſauro ditavit Medicinam Excell. *D. Thomas Bartholinus* de Republ. Medica, ſi ullus, ſummè meritus, enucleato & multifario hiſtoriarum Medicarum & Anatomicarum apparatu, plurima certè

Tempus edax rerum, & ſupina oblivio fati

æternis involviſſet tenebris, niſi tamquam Mercurius Soſpitator Caduceo iſto ab inferis revocaſſet. Tam iniqua ſors plurimorum veteris noſtrique ævi Medicorum Scripta & Obſervationes premit, quarum Medicarum Obſ. numeroſum catalogum profundâ eruditione & medicâ ſcientiâ Clariſſimus *Georg. Hieronymus Welſchius* obſervat. ſuarum Centuriis Medicis præmiſit.

Quis non in cœlum extollit de Repub. Medicâ meritiſſimi *Ioan. Georgii Schenckii* à fide digniſſimis communicatas hiſtorias, quas ſummo & curioſo Studio collegit, & poſteritati inſtar gazæ corraſit? Similia & nova quoque in dies Natura ſuppeditat exempla, ſuccreſcit in ipſa ſegete nova talium meſſis, & novis Obſervatis ad ſui contemplationem invitat.

Si *Anatomiæ* labores contemplemur, nullus ferè jam menſis, nedum annus elebitur, quo non aut vi extinctorum hominum diſſecta corpora vel novas, vel patentiores, vel propinquiores vias exhibeant, aut alia Anthropologiæ myſteria tam lynceâ mentis oculorumque, quàm cultri acie reperta: aut ſi morbo diem clauſerint, genuinas morborum cauſas & varias abſtruſas ſyrtes nodoſque in tam ſpatioſo Europæ theatro Spectatoribus demonſtrent. Alibi ab aliis detecta abſtruſa variorum experimentorum robore aliorum ſuccenturiata diligentiâ confirmantur: ibi vulnerum, ulcerum, fracturarum variæ differentiæ ratione ſitus, partium vicinarum compendioſiores & perfectiones curationes requirunt, indeque novis remediis & inſtrumentis excogitandis anſam præbent: ibi ars Naturam imitando beneficio ignis & furnorum Chymica Laboratoria novorum ſelectiſſimorum remediorum cornucopia inſtruit. Varii hinc inde varii idiomatis excuduntur libri, qui vel prorſus Medicinam ſpectant, aut ſaltem hinc inde varios floſculos exhibent, qui commodiſſimè decerpti, Medicinæ campo implantari poſſent & Germanis communicari. Quot menſes verò, quot anni elabuntur, antequam quicquid in variis regionibus, urbibus, oppidis agatur, iſta omnibus ſtatim patefiant? Paucos excipias ad quos vel navigationis commodo, vel poſtarum tranſeuntium ſubſidio celerrimè innoteſcant, reliquis ab hac felicitate in remotioribus angulis latitantibus excluſis. Quot eruditi Viri Praxeos moleſtiſſimæ & fœcundiſſimæ occupationibus obruti lubentiſſimè vel inventa, vel obſervata Poſteris aut Exteris communicarent; ſed quibus mediis? Integris Tractatibus conficiendis nec otium ſuppetit, nec officii ratio ſuadet: ſi iſta paucarum paginarum ſpatio comprehendant & divulgari patiantur, quàm citò fiunt folia Sibyllæ, venti ſpolia & quiſquiliæ. His prægnantibus rationibus mota *Curioſa Societas* opem & operam ſummorum Medicorum & Phyſicorum implorans, *Ephemerides Medicas* quotannis colligere & conſcribere, tandemque typis divulgare ſibi propoſuit, *in quas* varias *Phyſicas & Medicas Obſervationes rariores* ſed fide dignas, *tam Practicas-Medicas* quàm *Chirurgicas*, *nova experimenta tam Phyſica quàm Anatomica*, *nova inventa in Regno Minerali*, *Animali*, *Vegetabili*, *remedia* ſelectiora & *Chymica* generoſiora ſingulari uſu comprobata, tam per literas communicata quàm ex rarioribus & peregrini ſæpè idiomatis libris exhauſta, tamquam in viridarium quoddam multifariis florum blanditiis exornatum diſponere conſtituerunt. Hac ratione quicquid rarioris aut occulti in Phyſicâ & Medicinâ ubicumque locorum reſtiterit, putamus unâ quaſi in Tabulâ delineatum Eruditis exhiberi poſſe, cùm de ſincerâ & promptâ communicatione non dubitemus. Siquidem hac viâ multis egregiis ingeniis janua Famæ & utilitatis publicæ aperietur, ut cum ipſis aliquid ſingulare edendi tempus & otium non ſuppetat, cum ipſorum fama & honorificâ mentione in Ephemeridibus hiſce videre poſſint mundo exhibitum. Et ut eò citiùs & lubentiùs nobiſcum ſincera fiat communicatio, temperabunt *ſibi Curioſi* ab omni mordaci ſale aut judicii aculeo.

> *Magnum opus aggredimur, nec quæ quoque viribus hiſce*
> *Conveniunt,*

dum tenui antlia profundiſſimum Rei Medicæ Oceanum exhaurire tentamus, & ſcaturigines exinde ad omnes orbis angulos derivare. Sanè cribro hauriremus Aquam; niſi, *Viri Magnifici*, *Ampliſſimi*, *Nobil. Excell. Experientiſſimi*, *Statores & Atlantes Dogmaticæ & Hermeticæ Medicinæ*, *Veſtra* ſuccederet opera & fidelis communicatio; *Veſtra* diligentia in perſcrutandis abditis; *Veſtra* profunda ſcientia & certa experientia in debellandis morbis; *Veſtra* fideliſſima Ratio & ἐγχειρία in novis Remediis reperiendis; *Veſtra* fideliſſima communicatio *ſola* ; *ſola* hæc *Ephemeridum* noſtrarum erit gloria, ſplendor, materia & ſupplementum. Littera H. per ſe nulla eſt littera, reliquis tamen ſi addatur, integra componit vocabula : & noſtra *Curioſa Academia* tot tantorumque Litteratorum fideli ſymbolorum adjectione pondus mutuabitur, Lumen & animam. Veſtros floſculos prout diverſis communicabitis ſeptimanis, inſtar apum in alveolos *Curioſi* diſponent, Eruditis mel ſuaviſſimum & delicatum conficiendo, nunquam cum lividis araneis venenum inde exſugendo; cum honorificâ mentione inſcribentur *veſtra Nomina*, non floribus ſolſtitialibus citò marceſcentibus, ſed æternis chartis, victuræque papyro.

Nunc *ſalvete*, ô Lumina Hygienes, quos Auguſtiſſimum *Imperium Germanicum* veneratur & fovet. *Salvete* celeberrimi & verendi ſplendidiſſimarum *Academiarum Profeſſores* : *Veſtri* indefeſſi Labores pro Medicinæ incremento quotidie ſuſcepti, pollicentur nobis benevolam mentem, promptum calamum, & ſuccenturiatam communicationis nobis abſentibus operam, & informationem. Non minus *ſalvete* ô Medicinæ ſidera in populoſis Germaniæ urbibus fortunatiſſimâ Praxi fulgidiſſima; quam gravi diuturnæ experientiæ pondere roborari poterunt noſtræ diligentiæ ſpecimina, ſi veſtri favoris ſcintillantes faces noſtras Ephemerides Joviali planè aſpectu illuminari dignari vellent!

Sed & vos præprimis *ſalvete*, Nobiles & ingenuæ animæ, ô Fulcra Aſclepiadea, vel quæ ſubtiliſſima ITALIA, vel acumine præpollens GALLIA, vel ingenioſiſſima BRITANNIA, vel fœcundiſſimum claris Medicis univerſum BELGIUM, vel reliquæ DANIÆ, SUECIÆ, HUNGARIÆ, BOHEMIÆ, HELVETIÆ, BORUSSIÆ, LIVONIÆ Regiones admirantur: Ad Vos noſtræ diriguntur pariter humaniſſimæ & officioſiſſimæ preces, ut proſcriptâ fatali Nationum Invidiâ, ſepoſitâ malevolæ æmulationis rabie, relegatâ incuria & ſocordiâ, candido & ſincero affectu veſtris ingenioſis *inventis* aut felicibus *experimentis* tam *Botanicis* quàm *Anatomicis*, tam *Therapeuticis* quam *Chirurgicis*, *Chymicis*, *Phyſicis*, fideli per litteras tranſmiſſione *Ephemerides Germanicas* tanquam pretioſiſſimis gemmis exornari concedatis, quarum ſplendore quaſi rariſſimo Moſaico opere interteſſellatæ micabunt.

Nunc ut ſcopus & ratio noſtri Inſtituti rectiùs innoteſcat, jam Ephemeridum Medicarum Prodromo & Primo Anno proluſimus; hujus *Obſervationes* ſi quibuſdam leviores videantur, ii putent Romam ipſam Terrarum Dominam Caputque Mundi non ſubitò unâ vice marmoream excreviſſe, ſed lateritiam fuiſſe & paucorum tuguriorum rudi cultu, parvo ſpatio incluſam ſurrexiſſe, donec temporis progreſſu in tam ſplendidæ Majeſtatis formam adoleverit. Pauci ſurculi terræ infixi, ſucceſſu annorum in denſam numeroſamque congregantur ſylvam: non minus ſi Fortuna benignior nobis arriſerit, benevolentia Magnorum Medicorum & fervor communicandi conſpiraverit, ſingulis annis ditiorem meſſem conſtanter promittimus & auguramur.

Valete interim, & attingite quàm longiſſimos vitæ terminos, favete & noſtris conatibus, nobiſque, qui certè non ex faſtuosâ quadam prærogativâ, aut ex inanis famæ pompâ publica hæc Curioſæ diligentiæ tentamus ſpecimina. Abſit, ut his de cauſis aliorum oculos, voculas & digitos in nos convertere putaverimus: DEI GLORIAM, *Proximi Salutem* Cynoſuram poſuimus: *Honeſtum*, *Curioſum*, *Utile* unica meta, quò noſtra diriguntur tela: *Intronatorum Academicorum Lemma & noſtra ſuprema Lex ſit*: NEMINEM LÆDERE, *omnibus velle prodeſſe. Valete* rurſus *& favete.*

Academiæ Naturæ Curioſorum

PRÆSES

ADJUNCTI

& reliqui

Dnn. COLLEGÆ.

LECTORI

Amico, Benevolo, Candido.

QUOD Deus Ter Opt. Ter Max. benè vortat in majorem Sui Nominis Gloriam, & Proximi noſtri Salutem! debitum promiſſum nunc exſolvimus, *Primum Ephemeridum Germanicarum Medicarum* ANNUM edentes, & *Curioſa Medica* communicantes. Si Labor noſter primâ fronte non omnium exſpectationi ſatisfaciat, rogamus, ne primos hos Infantiæ annos alto ſtatim ſupercilio deſpiciant: ſicut etenim imperfectæ puerilis ætatis anni multum differunt ab iis, quando ſtatâ & virili ætate Homines fructuum ubertatem de ſe diffundunt: pariter primus Ephemeridum annus paucorum ſtudio collectus, non tam gravi pondere ſuperbire poterit (quis enim Herculis cothurnos aptaret Infanti?) quam ſi impoſterum, de quo nobis nullum dubium, Primicerii Medici Laboribus noſtris faventes, fideli Obſervationum tranſmiſſione victum quaſi locupletiſſimum, ſuccum & ſanguinem ſuppeditaturi ſint: tali demum robore inſtructus Partus noſter in dies fiet vegetior, indies incrementa capiet. Annuas ergo & Autumnales promittimus edendas Ephemerides, cum Autumno, prout Veris clementia, Æſtatis Cornucopiæ fertilem Communicatorum Meſſem exhibuerit, fructus in Horrea & Apothecas colligentes.

Ordinem obſervavimus abſque ordine, ne quenquam debita Honorum prærogativâ defraudari videamur; prout enim hâc vel illâ ſeptimanâ tranſmiſſæ aut collectæ fuerint Obſervationes, invicem ſe ſubſequentur. Non aliâ ratione Veris tempore Prata multivariorum Florum Herbarumque diverſiculorum lenociniis luxuriant, majori ſuavitate & gratia abblandientes quam ſi ordine nimis ſtricto certis pulvillis incarcerati unico aſpectu & unico ictu Curioſum ſaturarent oculum. Nec ſolarum Roſarum Purpura, Liliorum Argentum, Tuliparum aliorumque Regiorum & rariorum Florum rara textura Hortos exornat, quin &

Alba liguſtra nitent, vaccinia nigra leguntur.

Pari ratione etiam Medicarum Obſervationum floſculi non omnes & ſinguli unius ponderis futuri ſunt & momenti, varietas alibi & raritas magis delectabit, quàm ubique gravitas, dum alibi PHYSICÆ, alibi MATHEMATICO-PHYSICÆ, alibi CHIRURGICÆ, alibi ANATOMICÆ, alibi PRACTICÆ, alibi CHYMICÆ Obſervationes inter ſe diſperſæ reperientur.

Authorum

Authorum verba, quemadmodum communicata fuerunt, ex eorum Litteris adducimus, Scholion interdum adjungentes ſed abſque omni mordaci Sale, illuſtrandi cauſa, & enarratum caſum ſimilibus hiſtoriis explanantes,

Quos ex impreſſis rariſſimis opuſculis Ephemeridibus integros tractatus inſeruimus, illos fideliter ex Authenticis Exemplaribus deſcribere curavimus; quod rariora iſta plurimorum aciem adhuc ſubterfugerint, digna tamen quæ omnium oculis exponantur, unde ſi in Eruditiſſimorum Medicorum rariſſimis Bibliothecis ſimilis farinæ egregii & ſuccincti Singularium lateant tractatus, ut eoſdem, quò publici fiant juris, nobiſcum communicent, enixè exoramus.

Quædam ex peregrino idiomate conſcriptis Libris excerpſimus & Latina Civitate donavimus, quod illa non minùs videantur multùm conducere ad Hiſtoriam Medicam & Phyſicam illuſtrandam,

Scholia quibuſdam obſervationibus adjunximus pro aliqua illuſtratione, abſit tamen, ut iis cenſoriam virgulam in Summorum Medicorum obſervata nobis arrogare voluerimus. Hiſtorica illa mera ſunt & non Critica; ad eumdem Laborem ſuſcipiendum anſam dederunt Viri quidam non infimi ſubſellii, quorum quidam etiam extra Medicinæ cancellos vivunt, quibus non ea copia eſt ſelectiſſimorum Librorum Phyſicorum & Medicotum, delectantur tamen ſi viderint rariores obſervationes parallelis Hiſtoriis confirmatas. Unde ratione Scholiorum non putamus nos culpam aliquam incurriſſe, niſi apud illos quotum, nauſeabundus ſtomachus omnes cibos averſatur, & ſi non aliud habent, quod carpant, Veneris ſandalium incuſent. Et hac de cauſa Judicium definitivum neceſſariò ſuſpendendum fuit, cum optimè noſtræ tenuitatis ſimus memores; quiſque Eruditorum Lectorum penes ſe formare poterit pro lubitu, aut ſi libuerit, Liberum eſto tranſmiſſa obſervatione impoſterum mentem explanare.

Finitis anni primi obſervationibus adjungimus qnod ſimul promiſeramus ex Italica Lingua tranſlatum Illuſtr. Dn. D. REDI curioſiſſimum de Natura viperæ Libellum egregiis Experimentis refertum, ut etiam ab iis, quibus Italica Lingua ignorior cum jucunditate & fructu perlegi poſſit: continuabimus impoſterum aliorum rariorum Libeliorum ſimili interpretatione. Brevitas tamen temporis denegavit alia adhuc ſubjungendi, quorum mentio facta fuit in Epiſtola Invitatoriâ: ne tamen Primus hic Annus eorum communicatione defraudetur, ea propediem Appendicis loco, unà cum Indice ad hunc Primum Tomum copioſiore, ut ſubſequantur, procurabimus.

Denique cum *Collectio* horum Miſcellaneorum URATISLAVIÆ Sileſiorum à quibuſdam COLLEGII CURIOSI Membris continuetur, & impoſterum ſi DEUS vitam, vires, & Halcyonia conceſſerit, annuatim continuanda ſit, Excell. Dnn. Medicos & Phyſicos, alioſque curioſitatum Naturalium Fautores Inſtituto laudabili Naturæ Curioſorum faventes monerc nunc neceſſariò duximus, ut ſi pro Bono Publico Rei Medicæ augendo rariora aut utilia obſervata communicare velint ſubſequentibus Tomis inſerenda, (prout Epiſtola Invitatoria humillimè & honorificè invitati fuerunt) ut Litteras ſuas eodem modo quo viri quidam Eruditiſſimi conatibus noſtris applaudentes hoc anno fecerunt, Uratiſlaviam dirigere velint ad Collectores. Occaſionem habebunt vel extra Nundinas *Francofurtenſes* & *Lipſenſes*, vel in ipſis Nundinis, ubi Bibliopola Collegii noſtri *Vitus Jacobus Treſcherus* Bibl. Uratiſlav. vel præſens *Francofurti* aut *Lipſiæ* aderit, vel Litteræ Francofurti ad Mœnum Dn. *Matth. Gozio* Bipliopolæ, commendandæ, vel *Lipſiam* in Ædes D. Langii *in Bipliopolium Schurerianum* tranſmittendæ. Quin & Dn. *Godofredus Scholz* Bibliopola *Hamburgenſis* non denegabit nobis hanc gratiam, ut Litteras ejus fidei Hamburgum commendatas nobis afferat Uratiſlaviam. Aliis verò ſi licuerit ex Syllabo Dn. Medicorum, qui nobiſcum jam commercia fovent Litteraria, quorumque nomina hîc ſunt appoſita, eligere cui Litteras Uratiſlaviam offerendas commendare velint, etiam hac occaſione voti ſui fieri poterunt compotes.

SYLLABUS

EXCELLENTISS. DD. MEDICORUM

Qui pro augendo Tomo I. Ephemeridum Phyſico-Medicarum Obſervationes communicarunt: Secundùm Ordinem Alphabeticum.

1. Dn. D. Thomas BARTHOLINUS Hæreditarius in Hagenſted, Prof. Regius Honorar. in Hafnenſi & Fac. Med. Decanus Perpetuus.
2. Dn. D. Nicol. Guillelm. BECKERS S. Cæſar. Maj. Aulæ Medicus Viennæ.
3. Dn. D. Petr. à CASTRO, Ducis Mantuani Archiater, jam demortuus Mantuæ.
4. Dn. D. Alhardus Hermannus CUMMIUS Duciſſ. Brunſvvicenſ. Luchoviæ Archiater.
5. Dn. D. Jacob. Joann. Vvenceſlaus DOBRZENSKY de Negroponte Profeſſ. Extraord. in Antiqua Pragenſi, & p. t. Univ. Prag. Magnif. RECTOR.
6. Dn. D. Joach. Georg. ELSNERUS Practic. Uratiſlav. & *Academicus Curioſus.*
7. Dn. D. Joan. Michaël FEHR Phyſ. Imperial. Urbis Svinfurti, & *Acad. Naturæ Curioſ. Præſes.*
8. Dn. D. Regnerus de GRAFF Anatomic. & Medic. celeberrimus Delphis in Hollandiâ.
9. Dn. D. Joan. Georg. GREISELIUS Colleg. Med. Viennenſ. Aſſeſſor, *Academicus Curioſus.*
10. Dn. De Licent. Chriſtianus Frider. GARMANNUS Phyſicus Præfecturarum *Chemnis*, *Frandemberg*, *Sachſemburg*, *Lichtemaldt*, *Neu-Gorge* & *Stolberg* in Miſneâ *Academ. Curioſ.*
11. Dn. Lic. Sigiſmund. GRASSIUS Phyſic. Svidnienſ. in Sileſia.
12. Dn. D. Matthæus Franciſ. HERTODIUS Inclytor. Statuum Marchionatus Moraviæ Medicus Provincialis.
13. Dn. D. Joann. Ferdinand. HERTODIUS à Totenfeld, Regiæ Civitatis Brunenſis in Moravia Phyſicus, *Academicus Curioſus.*
14. Dn. D. Frider. Ferdinandus ILMER à Vartemberg, Inſtitut. Medic. Prof. Publ. & Ordinar. in Archi Gymnaſio Viennenſi.
15. Dn. D. Georg. Sebaſtianus JUNGIUS Colleg. Medic. Vienn. Aſſeſſor, *Academicus Curioſus.*

16. Dn. D. Joannes JÆNIUS Practic. Uratiſlav. & *Academicus Curioſus.*
17. Dn. D. Julius Guillelmus MANNAGETTA Trium Imperatorum Archiater, jam demortuus Viennæ.
18. Dn. D. Zacharias MANNAGETTA Phyſicus Znaymenſ. in Moraviâ.
19. Dn. D. Valent. Andræas MOELLEMBROCCIUS Phyſic. Hallæ. Saxon. & *Academicus Curioſus.*
20. Dn. D. Juſtinus Ortolphus MAROLDUS Gothan. in Diſtrictu Heldburgenſi Phyſicus.
21. Dn. D. Chriſtianus NITSCKE Forſta Luſatus.
22. Dn. D. Fridericus ORTLOBIUS Practic. Uratiſl.
23. Dn. D. Joann. Jacob. PISANI Medic. Practic Viennæ.
24. Dn. D. Joan. PATERSON Hain Boruſſus, Phyſic. Eperienſis in ſuperiore Hungaria.
25. Dn. D. Joan. Guillelm. RIVA Pedemontan. Anatomicus Romanus celebris Chiſianæ Legationis in Galliam S. Majeſt. Chriſtianiſſ. & Pontif. Clementis IX. Chirurgus.
26. Dn. D. Carolus RAYGERUS Practic. Poſonii in Inferiore Hungaria.
27. Dn. D. Salomon. REISELIUS Comitum Hanovienſium Archiater.
28. Dn. D. Joan. Theodor. SCHENCKIUS Prof. Publ. in Acad. Jenenſi.
29. Dn. D. Georg. SEGERUS S. R. Maj. Polon. Medicus, Thorunenſ. Phyſic. Ordinar. Gymnaſiique Prof. Honorarius.
30. Dn. D. David SPILEMBERGER Phyſic. Lentſchovienſ. in ſuperiore Hungaria.
31. Dn. D. Philippus Jacobus SACHS à Levvenheimb. Pract. Uratiſlav. & *Acad. Natur. Cur Adjunctus.*
32. Dn. D. Godofredus THILESIUS Phyſic. Reip. Uratiſlav.
33. Dn. D. Georg. Hieronym. VELSCHIUS Patritius & Med. Auguſtæ Vindelic. celeberrimus.
34. Dn. D. Henricus VOLLGNADIUS Pract. Uratiſlav. & *Academicus Curioſus.*
35. Dn. D. Joannes VVEPFFERUS Fac. Med. Baſil. Aſſeſſor & Practicus Sehafhuſanus in Helvetia.
36. Dn. D. Laurentius VVOLFSTRIGEL in Viennenſi Academ, Anatom. Prof.

MISCELLANEA CURIOSA MEDICO-PHYSICA ACADEMIÆ NATURÆ CURIOSORUM GERMANIÆ.

ANNUS PRIMUS.

EPHEMERIDES MEDICO-PHYSICÆ.

OBSERVATIO I. PATHALOGICA.

D. THOMÆ BARTHOLINI.

CONCEPTUS FALSUS.

DE Conceptu falſo hanc accipe hiſtoriam : Nobiliſſima Matrona poſt multorum annorum ſterilitatem ſe concepiſſe gaviſa ex omnibus ſignis apud alias conſuetis ad Partum omnia debito tempore præparat, advocataque Obſtetrice & aliis Amicis advolantibus uteri dolores quaſi jam paritura experitur, *nullo tamen fœtu prodeunte.* Poſtea ſenſim detumuit venter, ſicut antea accreverat, & ſpe excidit optima fœmina prolem in ſecundo Conjugio tandem deſiderans. Teſtis falſæ hujus parturitionis quoque eſt D. Paul. Moth, Medicus Regius, qui puerperæ adfuit & Medicinam adhibuit.

[*D. Th. Barthol. in Litter. ad D. Sachſium Hafniâ Uratiſlaviam miſſis.*]

SCHOLION.

Naturam Fœminarum non rarò à deſtinato legitimi Fœtus opere ob varia impedimenta *aberraſſe* teſtari poterunt tam variæ *molarum* differentiæ, quarum *aliæ* repræſentarunt Figuram cordis pericardio incluſi cum cono & baſi. *Th. Barthol.* Cent. III. hiſt. 1. *aliæ* figuram ſtellæ marinæ arboreſcentis. Plater. in obſerv. *aliæ* urticam marinam. *Lemn.* l. 1. de Occ. Nat. mirac. cap. 8. *aliæ* fungum ſeu manum complicatam. *Hildan.* Cent. II. obſ. 52. *aliæ* bulbum. *Panarol.* Pent. 4. obſ. 46. *aliæ* ad magnitudinem gallinæ, in quâ caput figuratum *cum roſtro in ſimilitudinem aquilæ*; cujus figuræ cauſam Cronemburgius Colon. Medicus rejecit in monſtroſas tales imagines in cubiculi camino ſculptas: *Foreſt.* l. 28. obſ. 61. p. 388. *aliæ* accipitris roſtrum. *Foreſt.* l. 28. obſ. 62. *aliæ* membrum virile *P. Salius Diverſ.* Annot.

in Altimar. cap. 112. *aliæ* globi inſtar membranoſi flatuoſo ſpiritu turgens, pellucens ut facies *Lunæ*, unde partus Lunæ dictus. *Carol. Piſo* de morb. ex ſero ſect. 4. cap. 5. p. 332. *alia* quæ *caput* ovillum cum dentibus in maxilla prominentibus, cum piloſa cute & oculis ovillis. *Th. Barthol.* Cent. IV, hiſt. 84. *alia pyriformis* intus villoſa, exterius lævis, qualis mulieris Hebrææ Anno 1647. Veronæ obſervata à *D. Petr. à Caſtro in obſ. m.* 55. *aliæ* Scarabæos cornutos & mures. *Salmuth.* Cent. I. obſ. 65. imò quædam quaſi viventes inſtar Zoophytæ, qualem *Marc. Gattinaria* l. de curat. ægrit. partic. cap. de Mola deſcribit, Tincæ piſci non abſimilem, Erinacei inſtar ſeſe complicantem, ſimilemque *à Salmutho* Cent. III. obſ. 98. deſcriptam figurâ oris lati, qualis cyprini piſcis, abſque cavitate tamen, cum duobus nigris punctis inſtar ocelli, quæ in terram prolapſa non palpitavit modò, ſed & variè ſe commovit, ac inſtar piſcis ſe convolvit. Obſervavit & *Zacutus* l. 2. Pr. obſ, 153. mirandam carneam humani capitis magnitudinem ſuperantem, in cujus medio tres oculi, quæ aquæ injecta duobus diebus ſupervixit.

Aberravit Natura à legitimo partu, quando in Norvvegia à Fœmina partus tempore ovum excluſum. *Barthol.* Cent. I. obſ. 4. quod & in agro Vincentino anno 1621. fœminæ obortis doloribus parturienti conſuetis accidiſſe refert *Ioan. Rhodius* Cent. III. obſ. 57.

Aberravit Natura, quando loco legitimi fœtus ſolum, aut unà vel poſt fœtus varia excluſit ex utero animalia: glirem & piſciculos. *Th. Barthol.* Cent. I. obſ. 10. Ranas, quod in quibuſdam Regni Neapolitani locis familiare eſſe ex *Ant. Torquemada Delrio* Diſquiſ. mag. l. 2. quæſt. 7. mures Egræ 5. enixos *Salmuth.* c. l. obſ. 62. Serpentes ex *Schenck.* l. 4. obſerv. 230. & ex *Gaſp. Bauhino* notis in Rouſſetum de Part. Cæſ. adducit *Melch. Sebizius* in de ſc. caſu Adoleſc. Argentorat. à ſerpent. interf. pag. 53. Aſtacorum copiam. *Schenck.* l. 4. obſ. 23. Rubetis ſimilia animalia. *Holler.* l. 1. de morb. intern. c. 61. in Schol. Alatum animal. *Lev. Lemn.* l. 1. de occult. nat. mirac. c. 8. & *Matth. de Gradib.* comm. in Rhoſ. c. 29. de molâ. Avem in Comitiſſa Manſfeldia. *Salmuth* Cent. I. obſ. 66. Arparum in Lombardis fœminis Lombardorum fratrum nomine partus Familiaris. *River.* Cent. II. obſ. 100. ex crebro fructuum, olerum aliorumque ciborum mali ſucci eſu; quos monſtroſos Uteri verminoſos partus *Platearius* vocat *fratres* Salernitanorum, *Tornamina* Harpas, Alex. *Benedictus* Harpyas *Savanarola*, & *Bonacciolus* Feras, malumque Argentoratenſibus fœminis non infrequens eſſe aſſerit *Sebiz.* l. a. p. 58.

Aberrat non minùs Natura, quando Gravidarum venter tandem rurſus ſponte detumeſcit, ut in adductâ obſervat. factum fuit. *Imponit* interdum *Hydropiſis*, ut graviditas putetur, quale exemplum apud *Cl. Barthol.* Cent. III. hiſt. 6. ubi proponit Anatomen fœminæ, quæ falsò prægnans credita fuerat ex affuſione ſeroſi ſanguinis è venis in abdomen. Adhuc magis *deludit mola Aquoſa*, cujus notabilis caſus apud *Rhodium* Cent. III. obſer. 55. extat, Matronæ 32. annorum, cui menſes ſuppreſſi, rugitus ac flatus ventris, cum videretur

partui

partui vicina excreto humore eâ quantitate quam 3. vel 4. occuparent pelves venter rurſus detumuit. Et *Zacut.* l. 11. Prax. Adm. obſ. 152. fœminam narrat per 10. dies ſingulis diebus 5. ℔ aquæ ſero lactis ſimilis ex utero profudiſſe detumeſcente tandem ventre. Interdum quidem *vera fit conceptio, ſed* cum nullus legitimo tempore edatur partus, *falſus putatur fuiſſe conceptus.* Nam vel exſiccatur fœtus in utero, cujus hiſtoria apad *Barthol.* c. 1. hiſt. 12. non aliter ac vitulus in utero vaccæ exſiccatus. *Idem* cent. 11. hiſt. 2. vel petrificatur uti fœtus Senenſis præterito ſeculo, de quo *Sennert.* l. 4. Pr. p. 2, ſ. 4. c. 7. *Alboſius* Medicus Gallus ſingular. tractat. *Joan. Georg. Schenckius* in Lithogeneſia pag. 83. *Ludov. Burgeſia* de offic. obſtetric. p. 102. *Ambr. Paræus* l. 25. de monſtr. c. 11. *Fortun. Licetus* l. 2. de monſtr. c. 45. *Thom. Barthol.* cent. 11. hiſtor. anatom. 100. pag. aut fœtus Muſſipontanus noſtro ſæculo gypſeus factus, de quo *Laur. Strauſſ.* & *Deuſingius* ſingular. tractatibus. Non rarò tamen totus perit Conceptus, & in putrilaginem vertitur ſenſim indies tanquam indies tanquam fluores albi emanans, oſſibus relictis in utero, & poſt aliquot annos tandem expulſis, cujus rei exempla ex antiquis collegit *Sennertus* Prax. lib. 4. p. 2. ſ. 6. c. 7. à pag. 420. uſque 427. Nova & recentia adducunt *Ronſeus* Epiſt. med. 1. p. 11. *Diomed. Cornar.* hiſt. adm. med. hifl. 6. & 8. *Tulpius* lib. 4. obſ. cap. 39. meminit *Barthol.* c. 4. hiſt. 14. fœminæ quæ fœtus oſſa conſumpti per 6. annos in utero geſtavit, matre nihilominus intra illud temporis ſpatium vivum fœtum edente. Et Exercitatiſſimus *Gn. Harvei* Exercit. de Partu p. 499. narrat Londini mulierem poſt abortum denuo concepiſſe, debito tempore Infantem peperiſſe; poſt aliquot menſes ſine dolore prioris abortus oſſicula nigra ſpinæ & femoris fruſtulatim ejeciſſe, itaque poſt primam conceptionem nihil excretum fuit remanente corrupto fœtu in Utero.

Maximè tamen credibile *in falſâ conceptione Flatus* Utero incluſos *loco veri Embryonis ſuppoſititium, Æolium & Anemium Partum* producere. Exſpectant Matres & Obſtetrices fœtum, ut

Parturiant ventres: naſcetur ridiculum S T
Aut ſine mente ſonus reboat, crepitus ſtrepituſque
Eduntur.

Et ut alterius Poëtæ verba adducam, qui Acciellæ falſum conceptum eleganter deſcribit:

Venter cum tumuiſſet Acciellæ
Septem menſibus & novem diebus,
Cœpiſſetque Lien parum dolere,
Acciri jubet illicò obſtetricem,
Quæri faſciolas & apparari,
Sperato puerum editura partu,

Mox inter medias manus miniſtræ
Laxo poplite, cruribus levatis
Lucinam geminans, quater peperit.

Obſervavi, inquit *Barthol.* cent. 3. hiſt. 21. in f. ex flatibus ſæpe commotum Uterum impoſuiſſe mulieribus, quæ ſalsò ſibi perſuaſerant ſe & uterum geſtare & Embryonis motum percepiſſe. Exemplum quoque *Hoechſteter.* de cad. VI. caſ. 4. affert Fœminæ, quæ cum biennio tumidum geſtaſſet ventrem tandem dolore parturientis ſimili accedente, ter cum maximo conatu flatum ex utero per pudenda excluſit: pari ratione quâ Baronis Uxor pro gravidâ habita, octavo menſe loco fœtûs ſonorum flatum dimidii quadrantis ſpatio Utero extorſit cum albæ pituitæ colluvie multa. *Zacut.* Pr. Adm. l. 2. obſ. 151. aut alia nonimeſtris dolore partûs vexata ter bombum ex utero magnâ vi elidens ac ſi tonitruum exaudiretur. *Ibid.* obſ. 150. Paucis abhinc annis ſimilem caſum Lugduni Batav. Eximii cujuſdam viri Uxori contigiſſe ſuo tempore cum ibi moraretur teſtis eſt Collega noſter Curioſus *D. Joan. Georg. Elſnerus.* Novit Juvenculam *Harvei.* Exercitat. de partu. p. 500. quæ gravida facta omnia prægnantium ſolita experta eſt ſymptomata, ea ſana poſt 14. ſept. fœtus in utero motum ſenſit, tempus partui debitum emenſa eſt, indicia imminentis partûs adeſſe rata omnia jubet eſſe in promptu, incunabula, obſtetricem: ſed fruſtra omnia: motus ſoliti ceſſarunt, paulatim ut increverat venter detumuit abſque ullâ ægritudine; manſit tamen ſterilis. Idem denique *Harveius* aliam novit Matronam, quæ plus decies enixa fuerat, quamque menſtruorum ſuppreſſio citra prægnationem nunquam fefellerat, poſt alteri nupta præter alia ſigna ſolita ex motu quoque (quam ipſa Sororque ejus juxta cubans ſæpè noctu ſentiebant) ſeſe gravidam judicabat, tandem ſpes omnis in flatum & pinguedinem ſeceſſit.

His & ſimilibus de cauſis falſi fieri poſſunt Conceptus. Quod verò fœtus vivus in ipſo partu, cum obſtetrix jam caput infantis tangeret in Comitiſſa pluribus fœminis præſentibus evanuerit, & ſurreptus fuerit, adeoque Mater ſummo cum ſtupore fœtum nullum viderit exeuntem, rectè obſtetricis tanquam ſagæ maleficio quàm cauſis naturalibus imputandum cum *Salmuth.* cent. 2. obſ. 55. cenſemus.

[*D. Ph. J. Sachs à Levvenh.*]

* * *

OBSERVATIO II. ANATOMICA.

D. JOANNIS VVEPFERI.

LIEN MAGNUS.

OBſervationem de Liene Magno adjungere placet. Illuſtriſſima Comitiſſa Franciſca Eliſabetha de Furſtemberg ex familia de Montrechier Splenis ingentis mole diu jam divexata (de quo ad Clar. *Barthol.* Dn. Frater meus *D. Joan. Jacob. Vvepferus* cent. IV. Ep. 14.) Anno 1668. Menſ. Aprili purgans aſſumpſit annuum ex Magiſt. Jalap. à quo ſepties alvus alias cum ἐυφορία commota, hâc vice ad 4. dies infinitis vicibus corpus diſcruciatum (iræ ſanguinem commoventi cauſa aſſcripta.) Alvo ex parte tranquillè reddita Venæ ſectio inſtituta. A Venæſ. conſtipatio nata. Illuſtriſſima verò cum ſcybala cum violentia ejicere conaretur, ruptionem in cerebro factam eſſe & Apoplexiam imminere fruſtra imaginata eſt, nam nullum motu defraudatum membrum fuit, copioſè bibit Aquam Apoplecticam: ſequitur vomitus per triduum durans cum ſumma debilitate & perpetuo narium ſtillicidio. Accerſitus Emulſ. item Decoct. rad. Chin. Empl. de Cruſta panis ſuaſi. Ab his melius ſe habuit: ſecunda adventus mei nocte dormit quietè ad tertiam noctis horam. Evigilans ob radios lunares cubiculum irradiantes vertigine tentatur levi, hinc jam Apoplexia (quem metum nullis rationibus pridie adimere valueram) ſe tactam eſſe firmiter ſibi perſuadet, & Spir. Apoplectici magnum ebibit haſtum. Adſtantes dum Illuſtriſſ. per cnbiculum ducere conantur ſyncope accedit, ut inter greſſum exſpiraret. Aperiendi corpus facultas conceſſa eſt. Abdomine recluſo *ingens Lienis moles* occulos incurrit: *longitudine æquavit quinque palmas tranſverſas, latitudine quatuor, craſſitie unam cum dimidia, pondere* VI. libras civiles valuit. Figura Lienis ſecundùm naturam oblonga eſt inſtar linguæ bovinæ, hic eminentiam palma largiorem inferius adnatam habuit ſemicirculum referentem, & infra umbilicum dextrorſum progredientem. Interior ejus ſubſtantia picem ſaturato nigrore referebat, exterius ob craſſiorem tunicam minus nigreſcebat, tactu ob craſſam hanc tunicam durus videbatur, eâ excoriata fungoſus & mollior. Fœtor ferè abfuit omnis. Stomachum ubi attigit, interna ſuperficie putridus & inflammatus. Eloto piceo ſanguine ſæpe repetita aquæ affuſione fibræ albæ & robuſtæ remanſere. Ventriculus in utroqne latere, ubi hepate & Liene tegitur, non aliter ac ſi combuſtus eſſet, tinctus. Intus exulcerationem patiebatur. A levi inflatione ventriculus diſruptus ad illam regionem quam Lien tegebat; ubi diſruptionem examinavi tenuem valde & levi tractu diſſilientem ventriculum vidi, alibi à fortiore diſruptione non volui disjungere. Cerebrum ab omni labe erat immune. Acidulis Rippelſavvenſibus uſa & Griesbachenſibus per aliquot annos vidit abdominis tumorem indies imminui. *D. Joan.*

Vvepferus in **Litt.** *ad D. Sachſium Schafuſiâ Uratiſlaviam* miſſis.

SCHOLION.

Excell. *Ioan. Jacob. Vvepferus* Anatomicus & Practicus in Helvetia inſignis Exc. Dn. *D. Thomæ Bartholino* Anno 1661. caſum viventis adhuc hujus Comitiſſæ deſcripſerat cent. 4. epiſt. 14. putans Tumorem in viva obſervatum, Lienem magnum eſſe à Scircho Lienis diverſum, dum ſpleneticæ ſcilicet fibrarum cavernæ admodum ſeroſo ſanguine ſint repletæ. *D. Bartholin.* in Reſponſ. Ep. 15. magnitudinem in ſiniſtro latere adſcititiam potiùs, vel ob μετάστασιν materiæ ex morbo præcedenti, vel ob abundantiam ſanguinis arterioſi plus æquo fluidioris, quàm nativam eſſe, conjecturam facit. Nunc Comitiſſæ demortuæ ſecto cadavere caſus à D. *Joan. Vvepfero* mihi tranſmiſſus dubia omnia ſolvit. Natura equidem ſingulis partibus ut juſtam figuram, ſic & determinatam aſſignavit quantitatem: non raró tamen ab hâc Lesbia diſcedit norma, & vel ab ortu, vel per violentiam morborum plus juſto grandiores efficit. Ambiunt Ventriculum & eumdem quaſi ab utraque parte involvunt Hepar à dextrâ, Lien à ſiniſtra. Hepar vidit *Bartholin.* cent. 4. hiſt. 71. in puellæ ſexennis diſſecto cadavere tantæ molis, ut integrum ferè occupaſſet abdomen ventriculumque adeò ad inferiora depreſſerit, ut quaſi ab œſophago viſus fuerit ſeparatus, unde propter pondus hepatis increſcentis impedita in pulmonibus circulatione depreſſus ventriculus cibos reſpuit; pariter ut Idem *Bartholin.* cent. 4. Epiſt. 15. Romæ vidit à compreſſione tumidi Lienis conſtrictis inteſtinis deglutiendi ſublatam facultatem. Aliud Hepar maximum vidit idem *Barthol.* cent. 2. hiſt. 85. in Anglo Anno 1645. diaphragmati arctiſſimè undique connexum. Monſtroſæ magnitudinis hepar apud *Panarol.* Pent. 4. obſ. 24. in helluone, qui poſt quotidianas potationes hydropicus obiit, ſecto ejus cadavere hepar in tantam molem excreviſſe viſum, ut univerſam ferè diaphragmatis cavitatem tam in dextrâ quàm in ſiniſtrâ parte impleret, duritie & magnitudine monſtroſum. *Andr. Spigelius* in de Hum. Corp. fabrica 8. c. 12. teſtatur, ſæpenumero obſervaſſe tam vaſtam Hepatis molem, ut ad Lienis regionem validis ligamentis annexum fuerit diaphragmati, quale exemplum *mihimet* videre contigit 4. Jan. 1648. Lipſiæ in Theatro Anatomico in cadavere fœminino, nec non hoc ipſo anno 1670. 6. April. Uratiſlaviæ in Viro ſphacelatis inteſtinis mortuo, in cujus ſecto cadavere Hepar licet exſuccum & omni ſanguine ſpoliatum fuerit, & veſicula fellea exempta, ultra tres tamen libras & VIII. uncias ponderavit, mole ſua ferè totum ventriculum involvens. Pari ratione Lienem inſolitæ molis longit, duarum ſpithamarum ſupra renem ſiniſtrum ad os iſchium uſque ejuſque cavitatem extenſum, pondere ℔. IV. civil. æquantem in ſplenetico notavit *Barthol.* cent. 1. hiſt. 80. §. 3. Lienes ℔. XX. ponderantes, quos cartilago exterius obvolverat, ſe inveniſſe *Reald. Columb.* l. XV. Anat. aſſerit. Eliſabetha Manbana apud *Marcel. Donat.* Hiſt. Med. l. 6. c. 3. Lienem quoque habuit univerſum abdomen occupantem.

Interdum quoque ambo hæc viſcera in uno Subjecto ſimul magna *Ioan. G. Schenck.* l. 3. Obſ. Rar. c. de Lien. Obſ. 9. ex Georg. Garmero refert in demortuo Lienem ℔. XXIII. Hepar vero ℔. XI. pondere exceſſiſſe. *Fabric. Hildan.* c. 2. obſ. 45. in pagana prope Lauſannam tantæ magnitudinis invenit Hepar, ut lobus ſtomachum verſus ſub coſtis ſiniſtri lateris ſpurias tranſgrederetur; Liene non minus immenſæ magnitudinis duro, & in inferiore parte verſus ilium rotundo, ſanguine aduſto pleno, atque hepatis locum adnato.

Contra Lienis tam exigui meminit *Vidus Vidius l.* 10. de cur. morb. c. 10. ut columbacei ovi magnitudinem non exceſſerit.

Tandem ſicut Furſtenbergicæ hujus Lien figuram non habuit ordinariam, ſic & alibi rotundum Lienem obſervavit *Th. Barthol.* cent. 1. hiſt. 32. §. 14. hiſt. 38. §. 2. aliumque inſtar Renis Bubuli. *Id.* cent. 1. hiſt. 45. §. 3.

[*D. P. I. Sachs. à Levv.*]

OBSERVATIO III. PHYSICA ANATOMICA.

D. GEORGII SEGERI.

SERPENTVM VERNATIO, OVORVM EXCLVSIO, Anatomia.

CUm anno 1656. propè Hafniam illorum Serpentum, quos, quia benigni ſunt atque innoxii, Æſculapii Angues uocant, magnum offenderem numerum, eorum aliquot vivos in ſcatulam repoſui, & in muſeum meum deportavi. His primum, majoris ſecuritatis gratiâ, linguam tenuem, quam more ſuo continuo vibrant, extraxi, quia cum vulgo credidi, eos hac ipsâ plagas inferre lethales. Deinde verò audacior factus non abſtuli eis amplius membrum hoc innoxium. Ablatâ linguâ ultra tres in ſcatulâ, madidâ terrâ repletâ, triſtes quieverunt, nec niſi tacti ſe commoverunt. Poſteà verò vegetiores redditi omnes muſei angulos liberè perreptarunt, circa noctem in ſcatulam ſuam ſe conferentes. Contigit aliquando, ut unus ex iis inter ciſtam meam & parietem, cui appoſita iſta erat, magno conamine ſe immittere contenderet. Ego id videns removi paupulum ciſtam à pariete obſervaturus ob quam cauſam anguſtias has peteret ille. Et ecce, exuvias ſuas, facto à capite initio, exuere cæpit. Acceſſi igitur & paulatim detrahendi ſuppetias illi gratiſſimas tuli. Peracto opere in ſcatulam ſuam æger ſe contulit, ibique per aliquot dies quievit. Intereà verò recens ſquammea pellicula conſiſtentiam debitam acquiſivit. Alio tempore fæmella in pavimento ſe præter ſolitum circumvolutans, depoſuit tandem ovum. Quod cum animadverterem, tranſtuli eam in menſam, ſimulque leviter & deſuper corpus illius contrectando, tredecim ovorum partum feliciter promovi. Duravit autem partus iſte per ſeſquihoram. Quievit namque parturiens inter quamlibet ovi depoſitionem peroctavam ferè horæ partem, & ubi ſola ſibi relinquebatur plus temporis excretioni impendit. Unde etiam gratum ei fuiſſe meum auxilium, vel inde ſatis ſuperque colligere potui, quod in ipſo opere capite ſuo mirum quantum obſtetricantes manus meas, pro excitando blando pruritu, fricuerit. Cæterum, quæ in anatome alterius cujuſdam fæmellæ aunotaverim hæc erant: Arteria aſpera teres fuit & longa, cujus annuli non erant toti cartilaginei, ſed ab ea parte, ubi ei adhæſit Oeſophagus tunica nimiæ diſtenſioni aptiſſima cartilaginum defectum ſupplevit. Deſiit autem aſpera arteria lato orificio in Pulmonem. Cor Pericardio ſuo, quod paucam aquam continebat, incluſum, oblongum erat, triangulare & albicans; ſecus ac in alio ſubjecto, in quo ſubſtantia cordis nigricans apparuit. Non habebat autem cor cavitatem inſignem, ſed loco illius multi aderant pori. Ea tamen parte, ubi Vena Cava ortum ſuum ſumit, pelvis excavata cernebatur. Inferiori Pulmonis parti adhæſit Hepar oblongum, cujus parenchyma pertranſiit Vena quædam, quæ in ſuperiori parte unica erat, mox verò in duos ramos, quorum ſurculi plurimi variè inter ſe concurrebant, findebatur, & tandem circa finem ferè concurrentibus dictis binis ramis, unica rurſum apparebat. Ventriculus, longè infra Hepar ſitus, vacuus erat, atque è duplici tunica conflatus. Harum exterior, quæ tenuior, circa ſuperius orificium plurimis donata erat rugis, cæteroquin glabra. Hæc facili negotio ſeparabatur ab interiori, quæ craſſior erat, ac denſior. Fundo ventriculi adhæſerunt Veſicula Bilaria, oblongè rotunda, ac ſucco flaveſcente tenui repleta; & Lien perexiguus, lentis formam atque magnitudinem æquans. Sub Liene & Ventriculo apparebat Glandula rotunda & alba, avellanæ mediocris magnitudinem non excedens, per cujus ſubſtantiam ferebatur Ductus, à veſicula fellis ad inteſtini principium tendens, & in itinere ramulos de ſe ſpargens; unde preſſa veſiculâ bilaria implebatur ductus ille cum ramulis ſuis. Circa finem ferè dictæ Glandulæ initium ſuum ſumpſit Receptaculum ovorum. Horum duodecim numeravi, phaſeoli figura & articuli auricularis digiti longitudine conſpicua. Quæ immatura adhuc eſſe exinde judicavi, quia ex iis diſciſſis luteus emanavit liquor. Secus ac in alio ſubjecto, in quo ſedecim ova majora offendi, quæ diſciſſa ſubſtantiam craſſiorem & teſtium ſubſtantiæ ſimilem habebant. Prætereà etiam liquor luteus ſimilis illi, qui è diſciſſis ovis effluxerat, circa Receptaculi fundum fluctuavit, quia ſcilicet omnis in ova nondum erat diſtributus. Ova quoque à Pinguedine omnino erant libera, ſecus ac in alio ſubjecto, in quo ova pinguedine prorſus erant immerſa. Inteſtinum unicum & uniforme apparebat, ad cujus latera utrinque excurrebat Corpus album, oblongum, latum, cavum & rugoſum & hujus externo lateri utrinque Ren incumbebat. *Severinus in Zootomia* part. 4. p. 362. in figura diſſecti viperæ marîs, Corpora illa notavit littera X. & vaſorum deferentium nomen iis indidit. Ego dixerim ea in ſerpente noſtra fuiſſe Cornua Uterina. Sed certi quicquam determinare minimè poſſum. Neque enim hujus generis ſerpentem maſculum eviſcerare, & utrum in eo eadem ſit partium harum conſtitutio inquirere, iter paulò poſt ſuſceptum conceſſit. Alias Inteſtinum rectum, ut & hæc duo corpora & Renes eumdem planè ſervarunt ſitum, qualem repræſentat dicta Severini figura. [*Ex literis ad D. Philipp. Iacob. Sachs à Levvenhaimb* è Thorunio Borunor.]

OBSERVATIO IV. PATHOLOGICA.

D. MATTH. FRANCISCI HERTODII.

VOMITVS VENEREI.

NOndum ita infœcunda eſt natura mirabilium novorum antiqua Parens, ut ævo quoque noſtro patiatur inopiam rerum inſolitarum. Novi hic in *Moraviâ* honeſtam *matronam*, *Urſulam* N. nomine, temperamenti ſanguinei, annorum viginti aliquot, ſpecioſam ſatis, ſterilem tamen, cæterum ſalacem valde, & quæ conſuetudinem mariti, præclari aliàs viri (de cujus nomine, & loco civitatis ſilemus) plurimum appetebat, prout ipſe mihi queſtus eſt, & ne in maritali officio tandem ſuccumberei, rogavit. Hæc, quototieſcumque ſive nocte, ſive mane, aut interdiu, jejuno, aut pleno ventriculo venerem exerceret, materiam quandam *albicantem*, modicæ tamen quantitatis, *tenuiori ſemini non abſimilem*, *vomere* conſuevit, ſubſequenti aliquali totius corporis, maximè verò capitis, artuumque debilitate; quo ſymptomate cum per annos circiter 10. pertentaretur, tabida tandem, unaque aſcitico-tympanitica evaſit, & paucis poſt annis præmaturâ morte fatis conceſſit. Si ergo miracula ſunt (ut inquit *Philoſophus* in quæſt. mechan.) quæ naturâ contingunt, quorum ignorantur cauſæ, vel res, quæ unde manaverit, aut quâ ratione conſtiterit, dignoſcere arduum eſt, ut habetur ex prolog. ult. cap. 1. lib. *Val. Maxim.* Certè præſens Symptoma, ut portentoſum & inauditum, cuique Paradoxon erit.

Ubi *quæritur primò*, *quæ fuerit hæc materia albicans tenuiori ſemini ſimilis? Secundò unde provenerit?*

Non fuit chylus, is enim quatuor horis à ſumpto, & in ventriculo elaborato cibo ad alias corporis partes demandatur; Cùm tamen hic vomitus, etiam manè jejuno, & ab omni cibo vacuo ventriculo ſecutus ſit.

Neque fuit recrementum chyli, ſeu quod in fermentum tranſit, & hoc non albicans, ſed potiùs fuſcum apparet.

Nec fuit colliquamentum mammarum (quod ſemper in glandulis etiam in lactantibus reperitur) ex nimiâ corporis agitatione in ventriculum delatum; cum de facto nullus ductus à mammis in ventriculum inventus ſit. Multo *minus ſemen* fuit in uterum *à viro* ejaculatum, & poſteà à ventriculo attractum, quâ enim viâ hoc fieri potuiſſet, obſtante ipſo fundo uteri? & ſi hic præternaturalis ductus ab utero ad ventriculum à naturâ formatus fuiſſet, quæ cauſa, cùm natura nihil fruſtrâ agat? Et ſi fuiſſet, tunc ſubinde chyli portio (niſi valvulæ obſtantes denegaſſent) per uterum excerni debuiſſet, quod tamen minimè factum eſt. Supereſt ergò ut cauſam hujus (ſalvô melioris ſententiæ judiciô) in nervos rejiciamus, ad illorum ſententiam accedentes, quorum plurimi jam antehac à nervis materiam ſeminis ad teſtes deferri defenderunt, ſtabiliti his argumentis: Primò cur tot nervi in teſtibus? Certè non ob ſensûs vel motûs gratiam, ſed quia per hos ſuccus nervoſus demandatus ad teſtes, inibi in ſemen elaboratur. Secundò ad hujus confirmationem videmus, quod à nimia venere debilitetur cerebrum, ſequatur nervorum flacciditas, & laxitas, & ipſa ſpinalis medullæ tabes, &c.

Ex quo inferre liceret in hâc matronâ multùm ſalaci venerem exercente copiam concurriſſe ſpirituum, qui cùm nervos ſexti paris copioſiſſimè ſuperiori orificio ventriculi implantatos dilataſſent, atque eorundem oſcula aperuiſſent, ipſos in ventriculum ſuccum hunc albicantem, tenuiori materiæ ſeminali non abſimilem ejaculaſſe, qui ſuccus, ut ſeminis veri naturam induat, amplius in teſtibus elaborari neceſſum habet.

Et hæc cauſa eſſe potuit ſterilitatis, tabis, & præfatæ hydropiſis; ubi per hanc præternaturalem ſeminandi rationem multum ſpiritibus exhauſta, calidum innatum depauperatum, & in ſanguine ſal conſervativus fuſilis procreatus, morſque intempeſtiva ſecuta eſt: juxta illud quod habet *Cato* major: libidinoſa & intemperans adoleſcentia effætum corpus tradit ſenectuti; & juvenibus detrahit vitæ plurimum. Marſ. *Fic*. de vitâ producenda lib. 2. cap. 8.

[*D. Matth. Franc. Hertodius in Litt. ad D. Ioan. Ferdinand. Hertodium Nicolaſpurgo Brinnam datis.*

OBSERV. V. CHIRURGICA.

D. MATTHÆI FRANC. HERTODII.

CANCER DENTIS.

IN Sacris Ægyptiorum litteris ſi quid auditum, aut arcanum luci proditum, ac revelatum oſtendere quis vellet, inquit *Pier.* Hieroglyphic. lib. XXVIII. de cancro, Pagurum, & ejus generis piſces, vel teſtacea, quæ latebris gaudent, face appoſitâ figurabat. Ego ubi hodie obſcurum infantis Hebræi caſum, *cancro non abſimilem*, ad illius cauſæ indaginem Naturæ Curioſis propono, ab eorumdem ingeniorum ſplendore, & toti orbi cognitâ eruditione illi facem apponi exopto.

Erat hic puerulus unius anni, corporis emaciati, coloris ad lividum inclinantis, in quo anteriores aliquot dentes naturaliter albicantes erupêre, mox prodeunte alio retuſo in mandibula ſiniſtra, qui totus quantus niger conſpectui ſeſe offerebat: hoc etiamſi intuentes parentes, ut inauditum, & nunquam viſum admirati eſſent, cùm tamen nullam moleſtiam puerulo inferret, per integrum ferè annum nullo adhibito conſilio tolerarunt. Sed ubi alios proximos mandibulæ ſiniſtræ dentes pari atro colore inficere, tumor doloroſus parti accedere cœpiſſet, ad malum debellandum Chirurgum ſollicitarunt; Is non cognito affectu varia adhibuit, etiam tumorem ſcarificavit, infœlici ſanè ſucceſſu, non tantùm gingivam, ſed & totam genam ſiniſtram exulcerando. Anxio Chirurgo, parentes me in conſilium vocare coacti ſunt; Examinatis examinandis cancrum primo occultum, nunc per intempeſtivè, & immoderatè adhibita exulceratum, ulcus certè malignum, ſordidum, livens, & cacoëthicum, aſpectu horrendum eſſe deprehendi. Facto prognoſtico de gravi & periculoſo morbo, in quo eſt repugnantia in via naturæ, & quod cancri confirmati & exulcerati nulla ferè curatio (maximè ubi commodè exſcindi vel exuri non valet) meliuſque fuiſſe eum occultum non curaſſe, curati enim citius intereunt, non curati verò longiore tempore vivunt, teſte *Hippocr.* 6. aph. 30. nam cancri non exulcerati medicamentis reſolventibus facilè exulcerari poſſunt, quæ ulcera, ut ab atrobilario humore provenientia incurabilia eſſe dixit idem Hipp. Nihilominus, ne miſellus infans omni auxilio deſtitueretur, præter diætam modicè humectantem & refrigerantem [aderat enim ſocia lenta febricula] palliativa ordinavi, quæ ipſi cancro blandiri, eumque lenire poſſent, ut ita minori cum moleſtia vitam tranſigeret; ceu eſt aqua ad cancrum *Chalmetæi* Henrici III. Gall. Reg. Chirurg. perit. quò ulcus foveretur, & ablueretur; appoſito deinde Emplaſtro Saturnino Mynſichti. Sed ulcus pertinax & rebelle, imò de ſua natura inſuperabile, ſuperari non potuit, quod ſenſim ſerpendo muſculum temporalem affecit, & convulſionem inducendo, mortem acceleravit. Mirabilis certè hæc fuit obſervatio, & fortè inaudita; *cancrum* radices ſuas tanto temporis ſpacio *in hoc ſolo dente* ſparſiſſe, nec alios ſtatim dentes affeciſſe; quod factum puto ob nutrimentum dentis depravatum, quod provida natura, quandiu potuit, retractum ſervavit, abhorrens ſui interitum.

Cancer hic *à dente* oriundus, non fuit caries, nulla enim caries ſolido denti aderat; nec iſta tumorem excitat, aut muſculoſas partes occupat. Neque fuit gangræna, ea enim eſt imperfecta mortificatio ad νέκρωσιν, ſeu principium & via ad corruptionem, quæ ad plures menſes abſque vicinarum partium ſphacelo & corruptione perdurare non potuiſſet. *Gal.* lib. 2. de art. cur. ad Glauc. cap. 5. *Celſ.* lib. 5. ſuæ med. c. 38. alii, &c.

[*Math. Franc. Hertodius in Liter. ad Ioh. Ferdinand. Hertodium.*]

OBSERV. VI. PHYSICO PATHOLOGICA

D. JOHAN. FERDINANDI HERTODI

à Totenfeld.

LACTIS in MAMMIS generatio. Ulcus mammarum.

L*Actis Materiam*, illiuſque ad mammas vias nemo adhuc de facto benè exprimere viſus eſt. *Quis* enim *Sanguinem Menſtruum* aſſignabit, ubi in vaſis mammariis cum vaſis Epigaſtricis nullam ἀναστόμωσιν niſi venam cum vena, arteriam cum arteria, ac conſequenter nullum uteri cum mammis conſenſum inveniet? Accedit quod ſanguis menſtruus nonniſi inutilis & extravaſatus primò ſanguis menſtruus vocari conſueverit. *Quis nervoſum ſuccum* adducet, ubi paucos in Mammis oſtendet Nervos? *Quis colliquamentum ſanguinis* accuſabit, ubi in omnibus hominibus illud unum eſſe advertet, nec tamen in omnibus mammis Lac experietur? Quis *lacteſcentem humiditatem* per vapores chyliferos à Pancreate attractum aſſeret, ubi chylus in Pancreate oculos ſcrutatoris ſubterfugiet? *Quis Chylum* ponet, ubi nullum ductum à ventriculo ad mammas à Naturâ factum conſpiciet? *niſi* mecum *à ductu thoracico Chylum* ad Subclaviam & mammariam in mammas deportari, ibique à glandulis magis elaborari, in Lactantibus quidem pro nutrimento fœtus, in non lactantibus verò & viris pro mammarum proprio nutrimento defendat. Ad quod credendum me ante annum compulit ſequens Hiſtoria.

Mulier cujuſdam Lanionis Brunenſis hic in Moravia, degens in ſuburbio 34. circiter annorum, multum obeſa & ſterilis: quæ cum per annos duos, & quod excurrit *Tumore Mammillæ* ſiniſtræ ad inſtar lyripipii correpta fuiſſet, carens toto illo tempore menſtruorum fluxu, ad dolorem immaniter excruciantem ſuaſu vetularum Cataplaſma appoſuit ex Lacte dulci, pane albo, croco & fl. Chamon. confectum, ſed invalido effectu. Ubi Tumor plus augeri, dolor exacerbari & vigiliis torqueri cœpit, vocatus fui unà cum *P. du Pleſſis* Chirurgo peritiſſimo in conſilium, quatenus tumorem hunc maturaremus. Appoſitis itaque per 4. & 5. dies maturantibus, ſed & his fruſtrà tentatis, Tumor potius grandior & duriuſculus evaſit. Quare præmiſſis Univerſalibus, ut aperiretur conſuluimus, adeoque appoſito cauterio potentiali id ipſum feliciter obtinuimus. Sed ecce! ubi ex aperto vulnere ingentem copiam puris egredi ſuſpicaremur, ſanguis ſinceriſſimus effluxit, quem ad ℔ 1. & ultra extraximus, Tumore nonnihil declinante. Appoſitâ cannulâ & deligatâ ipſa Mammâ per noctem ægram quieſcere reliquimus. Mane eandem viſitantes, & ſanguinem per cannulam extrahere cupientes, nullus amplius ſanguis, nec guttula quidem profluere, viſa eſt. Obſtupeſcentibus nobis retulit ægra, ſibi ea nocte menſtrua, quæ jam per totum affectus decurſum non habuerat, rediiſſe: ex quo luculenter apparet *in diuturnis menſium ſuppreſſionibus optimum remedium* eſſe *primo Venarum ſuperiorum ſectionem.* Quapropter cum nec tantis ut antea in mamma excruciaretur doloribus, bono ut animo eſſet ſolati ſumus, futuram enim per ſupervenientia Menſtrua Tumoris imminutionem. Sed quid fit? Elapſis tribus diebus noctu dolor acerbiſſimus unà cum inflammatione recurrere cœpit: ubi verò me demum matutino tempore ægra vocare potuiſſet; accedens gangrænam, imo ſphacelum jam imminere deprehendi, adeoque vocato ſimul Chirurgo partem gangrænatam ſcarificavimus, quæ verò poſt in ſphacelum degeneravit, amputavimus, prohibendo ulteriorem progreſſum, Spiritu vini camphorato immiſſo per ſyringam, Ungu. Ægyptiaco Butyr. ♁. ab intra verò Syr. de ſcord. Sp. Vini theriacal. camphorat. aliiſque corroborantibus, putredini ac malignitati reſiſtentibus. Hæc cùm per aliquot dies continuaſſemus, & *Glandulas* omnes, (quæ corruptæ, putridæ ac inſtar caſei verminoſi apparuere) extraxiſſemus, vidimus contextum membranoſum, quem *Ciſternam ſeu Capſulam mammariam* vocare liceat, plenam materia albicante Lacti ſimili, *ſuos ductus* (qui in hoc ſubjecto ad inſtar calami ſcriptorii erant) hinc inde per haſce glandulas putrefactas diffundentem, evidentiſſimo Signo, *Chylum à Subclavia ad mammariam in Ciſternam, ab hac per ductus ſuos ad Glandulas* deferri, ut ab his magis perficiatur, vel in non lactantibus & Viris in proprium Mammarum, & in Lactantibus in ipſius fœtus nutrimentum convertatur.

Voluimus quidem curioſiùs Ciſternæ hujus divaricationem ſcrutari, niſi in vivam carnem ita debacchari crudele duxiſſemus; quievimus itaque & medicamentis, quæ carnem generant & cicatricem inducunt priſtinæ Sanitati ægram, Deo benedicente, feliciter reſtituimus.

[*D. Ioh. Ferdin. Hertodius in Litt. ad D. Ph. Iac. Saehs à Levv. Brinnâ Vratiſlav datis.*]

* * *

OBSERVATIO VII. ANATOMICA.

D. CAROLI RAYGERI.

ANATOMIA MONSTRI BICIPITIS.

Apud nos in re Medicâ non multum novi, niſi quòd 5. Jan. anni 1669. ineuntis fœmina quædam honeſta, Uxor Civis & Mercatoris cujuſdam hujus civitatis non infimæ ſortis juſto tempore enixa fuerit monſtrum, ſeu potiùs puellum bicipitem, tribus brachiis, & duobus pedibus. Ad quale Spectaculum vocatus ego unà cum Domino Affine meo *Dn. D. Maximil. Ehrenreichio Zollighoffero* & cum Chirurgo jurato, aperui ita volentibus parentibus corpus & inveni

1. Remota cute multum pinguedinis albicantis, & tandem
2. Aperto infimo ventre, vaſa umbilicalia legitimo modo, vena convenienter in Hepar, Urachus in veſicam, & duo reliqua in Iliaca deſinebant vaſa.
3. Hepar inſigne erat, duabus veſiculis felleis, & infra hepar.
4. Bini cubabant Ventriculi cum duplici Pancreate, & binis utrinque lienibus. Quilibet ventriculorum ſua habebat & orificia ſuperiora & inferiora, ſingula inferiora in propria, & bipartita protracta inteſtina duodena & jejuna, tandem circa initium Ilæi, unita concreſcebant, & in unum deſinebant Ileum, cæcum, colon, & rectum.
5. Quoad renes, ſiniſter legitimo in loco & benè formatus, ſed alter monſtruoſus ex duplici parenchymate, ſed una pelvi, uno Uretere, & hoc quidem ubi in veſicam inſerebatur immodicè craſſo, & ita diſtento quaſi natura novam hic voluiſſet efformare veſicam.
6. Duplex inſuper arteria magna.
7. Duplex vena cava, ſed circa os ſacrum mutuo coaleſcentes, more ſolito in duplices abibant ramos crurales.
8. In Thorace bina cernebantur corda benè perfecta.
9. Unus tantùm pulmo mediaſtino diviſus ex quo duæ procedebant aſperæ arteriæ.
10. Quoad externa, ſingulum caput benè erat formatum, quorum in in medio
11. Brachium protuberabat, & in dorſum dependebat compoſitum ex uno tantùm oſſe humeri, ſed duplici radio, & unico oſſe cubiti ſeu ulnæ appellato, craſſiori plus juſto, huic annexa manus duabus volis, duplici pollice, tribus digitis utrinque prædita, coaleſcente in medio & minimo cum altero, ita ut apparuerit, & reverà erat manus undecim digitorum.
12. Spina dorſi bipartita, uſque ad os ſacrum procedebat, & in unum deſinebat os coccygis.
13. Circa vaſa generationis nihil monſtroſi obſervare potui.

Optaſſem habere Sceleton, ſed melioris conditionis Parentes infantem terræ mandari curârunt, neque accuratiorem ſcrutationem permiſerunt. Hiſce breviter tantum curioſitati tuæ ſatisfacere volui, ut, quid apud nos in medicina agatur, ſcias.

[*Ex litteris ad D. Ioach. Georgium Elsnerum Poſoniô Vratislaviam ſcriptis.*]

OBSERVATIO VIII. BOTANICA.

D. GEORGII SEGERI.

POLYGONUM POLONICUM COCCIFERUM
ſeu
CHERMESINUM POLONICUM.

DE *Polygono Polonico Coccifero* & ejus *Cocco*, primum ſcripſiſſe *Camerarium in Epitome Matthioli*; monet *Cl. Gaſparus Bauhinus* in Notis ad Commentarios Matthioli in IV. Lib. Dioſcoridis p. 678. *Idem* in Phytopinace L. 7. Sect. 2. p. 550. illud quidem Polygonis majoribus accenſet, ſed poſtmodum in Pinacis Lib. 7. Sect. 2. p. 281. primo loco inter *Polygona minora*, & rectè quidem, refert. Quæ de *Cocco* ejus addit, veriſſima ſunt: illis hoc adjungo. Uberrimè creſcit plantula iſta in noſtrâ circa Thorunium vicinia, lociſque ejus arenoſis. Unde ejus coccos plurimos anno 1668. collegit Pharmaceuticus quidam Studioſus; & quidem ſummâ cum diligentiâ, cum alias decidant, & facilè unà cum arenâ radicem ambiente, removeantur. Collectos & chartæ albæ impoſitos calori ſolari expoſuit, ubi Cocci illi, jucundo ſpectaculo in vermiculos viventes fuere transformati. Hos exſiccatos his Litteris incluſos cape. Placuit autem iis *Chermeſini Polonici* nomen indere. Licet enim, ut Chermeſinum verum à Pimpinellæ radice, non decerpantur, è plantulæ tamen noſtræ radice granorum inſtar decerpuntur, & præthereà madidè triti chermeſino colore obvia quævis tingunt. *De nomine* quoque *Polonico Kosmaczek*, quo noſtrum Polygonum indigitari memorat *Camerarius* in citatâ Epitome, hoc addo, quòd illo communiter denotetur Piloſella, non verò Polygonum. Conſentit mecum præter ipſam nominis notationem (Koſmacz namque, cujus diminutivum eſt Koſmaczek, villoſum ſeu hirſutum denotat) etiam *Simon Syrennius*, cujus *Herbarium Polonicum* omnibus reliquis meritò præfertur, qui itidem ſub nomine Koſmaczek de Piloſella agit. Apud quem de noſtro Polygono, quod miror, altum ſilentium.

[*D. Georg. Segerus in Litt. e Thorunio Boruſſ. ad D. Sachs Vratislav. datis.*]

OBSERVATIO IX. PHYSICO-MATHEMATICA.

D. GEORGII SEGERI.

PARELIORUM HISTORIA.

P*Areliorum* hiſtorias referunt acutiſſimus *Gaſſendus* Phyſicæ Sect. 3. Membri prioris lib. 2. cap. 6. 104. & 105. Et 12. lib. de Pareliis, quem reperire licet in Operum ſuorum Tom. III. p. 651. & ſequentibus & in Comment. de Rebus Cœleſtibus, operum Tom. IV. pag. 270. & 350. Et Patriæ noſtræ Decus ſingulare, Diligentiſſimus *Herelius*, in Delineatione Paraſclenarim & Pareliorum, Mercurio in ſole viſo annexâ, *Ephemerides*, quoque *Gallicæ*, Tom. II. Ephem. 19. p. 218. & ſeqq. rarum proponunt exemplum. *Nobis* recenti *hoc Anno* 1670. præter morem itidem frequentiores viſi, licet non tantis cum circumſtantiis. Placet tamen referre, ut quædam de eorum cauſa diſſerendi nobis detur occaſio. Cum ab ipſis Kalendis Januariis, Euro continuo flante, intenſum frigus hanc oram infeſtaſſet, die 12. Januar. & mane & veſperi cœlo ſereno viſus hic ſol verus inter duos Parelios. Sic quoque ſequenti die 13. Januar. mane. Binis his diebus ut & ſequenti frigus ſupra modum ſæviit. Aſt cum die 15. Januar. Euro ſucceſſiſſet Auſter, ſimul quoque frigoris inclementia remiſit. Cæterum *Phænomeni* iſtiuſmodi ſingularem & ingenioſam *cauſam* proponit Eruditiſſimus *Hugenius* in Ephemerid. Gallic. Tom. III. Ephem. 12. p. 188. dum in aëre exigua glaciei grana cylindriformia, ex duabus partibus, alterâ pellucidâ, alterâ opacâ, compoſita formari, è vario verò horum Cylindrorum ſitu omnes illas Pareliorum apparentias ipſorumque circulos neceſſariò ſequi, monet. Quam ſanè ſententiam ſummum frigus Parelios noſtros antecedens, concomitans & ſubſequens, approbare videtur. Imò ſi pluvia, quæ d. 17. Jan. decidit, mox poſt frigoris remiſſionem d. 15. Jan. decidiſſet, Cylindros illos in eam reſolutos fuiſſe meritò quis ſuſpicaretur. Verùm enimverò haut exigua ſunt, quæ mihi ingenioſam hanc ſententiam ſuſpectam reddunt. Quod ſi enim Cylindri illi glaciales Pareliorum ſubjectum conſtituerent non niſi hyemali tempore illa Phænomena apparerent. Cùm tamen & media æſtate viſa ſint, Antiquiora exempla jam non citabo. Cl. Gaſſendus Anno 1635. d. 9. Maii, Parelium obſervavit, quem & anteceſſit & ſubſecuta eſt pluvia. Quis verò illo tempore ejuſmodi Cylindros in aëre Gallico congelari poſſe ſibi perſuadeat? cum tunc ibidem omnia amœniſſimo recreentur calore. Secus ac hiſce in locis, quæ dicto menſe Maio rigidioribus infeſtantur grandinibus, frigoribus nocturnis & matutinis ſatis frequentibus. Ita quoque idem Gaſſendus Anno 1656. d. 5. Auguſt. alium annotavit Parelium, ſimul tamen etiam addit, quòd & illâ & ſequenti die calor viguerit. Sed & diſparitio Pareliorum dictam ſententiam impugnare videtur. Nam Pſeudo-Soles illos

illos quatuor anno 1629. d. 20. Mart. Romæ viſos in nubes candidas reſolutos fuiſſe memorat Gaſſendus lib. d. Pareliis. Ita & noſtri Parelii, qui matutinis horis ſunt viſi, licèt primum rotundam retulerint figuram, poſtea tamen, ſole vero altius aſcendente, & radios ſuos non jam ad latera, ſed deſuper ſpargente, oblongam & veluti conicam acquiſiverunt formam. Cùm tamen verò ſimilius eſſet, eos, ſi cylindris glacialibus ſuam deberent exiſtentiam in pluviam glaciatam ſeu grandines reſolvi debere. Nondum igitur planè rejiciendam eſſe cenſeo communem doctrinam, quæ ſimilia Phænomena in nubibus quieſcentibus, æqualibus, continuis, ſplendidis, & ad veri ſolis latus utrumque ita poſitis, ut illius imaginem ſpeculi inſtar commodè recipere poſſint, apparere ſtatuit.

[*D. Georg. Segerus in Litter. è Thorun. Boruſſorum ad D. Sachs Vratiſlaviam datis.*]

OBSERVATIO IX. THERAPEUTICA.

D. PETRI à CASTRO.

REMEDIUM ANTIPLEURITICUM.

SUmantur cucurbitæ longiores [quæ Italis Storti & Zucche vocantur, & ſemina habent quaſi quadrata] ſuſpendantur in loco concluſo, quo Solis radii non pertingunt, diſcindantur, & pulpa abjiciatur, cortex aſſervetur, & à cortice caro ſeparetur, ita ut cortex craſſitiem non habeat majorem quàm Patavinorum moneta Juſtina dicta & 26. ſolidos valet. Hujus corticis ſume ℔ j, olei olivarum vetuſtiſſimi (10. 20. imò ſi poſſibile ſit 100. annorum) ℔ iij; huic oleo incoque corticem donec humiditas corticis omnis ſit abſumpta. Signum abſolutæ coctionis, quando culmus ſtraminis huic oleo intinctus, candelæ ardenti applicatus & oleo imprægnatus accendatur ſine ſtrepitu ardet, & cortex quoque apparet ferè combuſtus, & quaſi in carbonem redactus, tunc ceſſa à coctione. Cola oleum per manicam. Denique accipiatur ſartago ferrea, geminum, aut ad minimum unum habens orificium in latere, ut oleum poſſit tranſire: fac ut candeſcat ſartago & per candentem ſartaginem oleum transfunde, ita ut per unum orificium infundatur, per alterum rurſus exeat in vaſculum ſubjectum, pro inunctione lateris dolentis uſurpandum. *Ex Obſ. MSS. D. P. à Caſtro è Muſeo D. P. J. Sachſi à L.*

SCHOLION.

D. Petrus à Caſtro, feliciſſimâ & frequentiſſima Praxi primùm in Hiſpaniâ, in Provincia Biſcaia, mox in Italiâ noſtro ſæculo maximè nobilis Medicus Veronæ poſtmodum Mantuani Ducis Archiater hoc *oleo Antipleuritico*, Pleuriticis, quorum in Italiâ ingens numerus, tum ratione ipſorum temperamenti, tum ratione climatis & aëris, ſæpius egregiam præſtitit operam, & ab ipſis orci faucibus quaſi reduxit in vitam.

Ipſo ante novennium Mantuæ demortuo, tamen ſupervivit fama utiliſſimi Euporiſti hujus remedii; quare cum *Anonymus* quidam *Ferraræ* degens ſummam hujus remedii utilitatem perſpexiſſet, ex amore Proximi commotus idem Remedium dignum cenſuit, ut publici juris factum, & è latebris extractum non tantùm typis divulgaretur, ſed miſſo Exemplari impreſſo ad celebriora Hoſpitalia Europæ, ubique innoteſceret. Simile Exemplar *Ferraræ per Alphonſum & Joan. Baptiſtam Mareſtos* cum licentiâ Superiorum 1669. impreſſum *Uratiſlaviam* Anno 1670. ad celebre Hoſpitale *S. Matthiæ* in formâ patente tranſmiſſum fuit, & mihi benignè ad deſcribendum conceſſum, quod ex Italico ſermone Latinâ civitate donatum pro majori explicatione prædictæ obſervationis ſubjungere placet.

Illuſtriſſimi Domini.

Quoniam (quemadmodum Angelus ad Tobiam dixit, poſtquam eum pulcerrimum ſecretum pro Patris cœcitate curandâ docuerat) opera DEI revelare honorificum eſt; Ego N. de N. qui ſupra omnem humanam fidem virtutem mirabilem cujuſdam olei expertus ſum, quod intra paucas horas ſanat Pleuritidem, aut dolorem punctorium, aut, quemadmodum alii vocant, morbum lateralem ſeu intercoſtalem; (illo,) ex quo cognovi, multis abhinc annis omnes illas perſonas curavi, quæ eo uſæ ſunt, citra quod poſſit allegari exemplum ſolius unici ex centum, cui non optimè contulerit, etiam cum ſtupore Dominorum Medicorum, qui videntes mirandum effectum, quem indifferenter apud omnes præſtabat, adeo ut nunquam falleret, veteri modo curandi patientes, abſtinentes, ne manu admotâ, dicebant ad ægros, mittite, & emite *Oleum Patris illius*; exiſtimavi rem honorificam, immò officium grande charitatis erga proximum, ſi curarem imprimere dictum ſecretum, ſcilicet modum conficiendi & applicandi ſupra nominatum *Oleum*, & communicarem Dominis Curatoribus Noſocomiorum in omnibus civitatibus Italiæ, immò Europæ, ut univerſos adjuvarem, & ab omnibus detur Deo gloria, cui tot modis placuit ſuccurrere generi humano. Obſecro ergò Illuſtriſſimas Dominationes, ut jubeant præparari dictum *Oleum* modo hîc ſubjuncto, & publicam faciant notitiam Civitatibus, ut [omnes] ſciant, quò confugere debeant in tempore neceſſitatis: curent etiam idem ipſum ſecretum iterum iterumque typis excudi, ut diſtribui poſſit in omnes ditiones, oppida & loca ſuæ juriſdictioni ſubdita; ut, ſive graſſetur Pleuritis, ſive in genere ſic dictus dolor punctorius, quod ſæpè experimur, unuſquiſque, etiam Pauperculi, qui ut plurimùm centuriatim inprimis hieme ex hoc morbo pereunt, præſens habeant auxilium. Habebunt certè, præter meritum apud Deum, maximam conſolationem, quando perſpicient *Olei* hujus effectum, ut ita loquar, miraculoſum.

Accipiantur illæ cucurbitæ longæ, quas Trombonos [Tubas] vocant, quando ad debitam magnitudinem excreverunt, idque ideo, ne fiant nimium duræ, ſed ſaltem ejuſdem craſſitiei, ut oleum intromitti poſſit. Raduntur [iſtæ] totæ ad modum quo raphani, ſed advertatur, ne mundentur ad modum pomorum, ſed ſolùm radantur, & inde auferatur ſolùm pellicula illa ſubtilis, quæ illas contegit, unde permanent virides. Hoc facto, ſecetur cucurbita per longitudinem circumcirca fimbriatim (ut ſingulæ fimbriæ) non magis latæ fiant, quàm eſſe ſolet latitudo cultri Genuenſis, aut certè in margine deſcripta figura, & abjiciatur aut ſaltem coquatur reſiduum cucurbitæ, quod eſt album (pulpa alba) quoniam nihil pro noſtro uſu confert. Hoc peracto ponderentur omnes illæ ſtriæ ſive fruſtula, quæ exciſa ſunt è cucurbita, ipſam intrinſecus mundando à dictâ pulpâ, & ſumatur tantum Olei olivarum [quò id præſtantius, tanto magis inſerviet] quantum pependit cucurbita. Et ſi cortices cucurbitæ pendent duas libras, duas pariter libras olei oportet ſumere, ſi quatuor, quatuor, & ſic conſequenter tantum oportet eſſe pondus Olei, quantum eſt cucurbitæ. Hoc facto immittatur oleum & cucurbita in ollam figulinam novam & ſatis validam, ob rationem quam infra dicam, & coquatur ad ignem carbonum vel lignorum (modò non adſit flamma) cucurbita in fruſta conciſa, ut ſupra, uſque dum reddatur omninò ſicca, &, ita loquendo, aduſta. Peracto hoc, eximatur cum cochleari ex oleo cucurbita exſiccata & arida, & abjiciatur, quia nullius uſus eſt. Poſtmodum oportet tranſmittere ferrum (non chalybem ſed ferrum) nullis aliis uſibus antea adhibitum ſedecim, aut octodecim vicibus calefactum & benè fervens, per dictum oleum, & ego procedo modo ſequente: Ollam cum oleo mando deferri in officinam fabri ferrarii, eumque in ignem mittere (jubeo) ſex fruſta, paulò grandiora dimidio palmo, ferri virginei, ſicut dixi, ſcilicet uſum nullum experti, & quando candefacta ſunt & benè fervent, unum poſt alterum ſubmergo cum vulſella, & exſtinguo in dicto oleo, & deinde iterum in ignem conjicio, & quando hanc operam ter repetii, ferrum (quia ſunt ſex ferri fruſta) octodecim tunc vicibus tranſivit, & tantum ſufficit ad perfectionem olei.

Ego nunquam præparo pauciores quàm octo vel decem libras; ſed poteſt ejus major vel minor quantitas parari pro lubitu, modò tantumdem ſumatur olei, quantum cucurbitæ. Quoniam, dum ferrum immergitur candefactum & fervens in dictum oleum, quandoque oleum incenditur, oportet habere ad manum operculum pro contegendâ ollâ memoratâ, ut ſuffocata flamma extinguatur; ſed quia poteſt accidere, ut ſuppreſſa flamma rumpat ollam, ob id ſupra monui, ut adhibeatur olla validior, & ego, quò magis ſecurus eſſe queam, antequam ferrum ignitum demergam in ollam, pono eam in aliud vas terreum, ne ſi in dicta operatione olla frangeretur, oleum profundatur; id refrigeratum in vitream lagenam infunditur & pro uſu neceſſario aſſervatur.

Modus utendi hoc Oleo.

Accipiatur parum hujus olei in patella (in qua ova tremula apponuntur) & bene incaleſcat quoad (tactu) perferri poſſit, & infundatur oleum; poſt accipiatur mappella immunda, quæ uſurpata fuit & complicetur in quadruplum, pariterque calefacta, in quantum perferre poteſt patiens, ponatur ſuper ſtupam, & cum ligamento adalligetur, ne motu oleum à parte affectâ recedat. Quoniam quandoque dolor etiam alteri lateri communicatur, ſimili etiam ratione alterum inungitur, imponitur ſtuppa & mappella: & quoniam interdum dolor ab unâ coſtâ ad aliam ſerpit, inungatur perſequendo dolorem quocumque proceſſerit. Quando Patiens inunctus eſt dicto modo, ſi non incipiat ſputare poſt quinque horas, renovetur inunctio, ſed rarenter opus erit repetitione, cum experientiâ comprobatum ſit, quod intra paucas horas Apoſtema rumpatur. Pro argumento eſt, quòd multi exteri ferè agoniſantes in noſocomiis potuerint proſequi iter ſani & liberi.

Complaceat ergò prompta mea voluntas, interea dum perſevero.

S. S. V. V. Illuſtriſſimarum
Ferraræ 9. Jul. 1669. Servus in Domino
N. d. N.

Parum hujus *olei* deſcriptio differt à præparatione *Caſtri*, viribus tamen convenit, & pro uſu in Pharmacopolia maximopere videtur introducendum. [*De Ph. J. Sachs à Levv.*]

OBSERVATIO XI. ANATOMICA.

D. HENRICI VOLLGNADI.

ANUS IMPERFORATUS

ANno 1669. Menſe Octobri *in Suburbana Vratiſlavia Villa* Fabro cuidam lignario naſcebatur puellus cætera optimè conformatus, præterquam quòd *anus penitiſſimè clauſus* eſſet. Obſtetrix id vel ex negligentia non obſervaverat, vel neſcio quâ ex timiditate rem parentibus revelare diſtulerat. Tandem quarta poſt partum die anxia ad me venit, conſilium petens; cui reſpondi periculum hinc vitæ impendere, niſi ociùs à Chirurgo perito clauſa porta aperiatur, opus tamen fore ut ante ipſe infantulum viderem, quàm certum curationis modum determinare poſſem. Properat obſtetrix & patri reſponſum meum denunciat, qui haut cunctanter filiolum ad me deferri curat, ipſe ſpectator curationis futurus. Sublatis ab infante linteolis, comperio *anum* ritè quidem locatum, nonnihil tamen prominentem præter ſolitum, *& penitùs coalitu veluti conſutum*, nec niſi *leviſſimum*, ac vix ab acutiore oculo ritè diſcernendum *indicium Foraminis*, quod lineola ſubtiliſſima, veluti calamo inſcripta, deſignabat. Digito etſi comprimeretur anus, in inteſtino tamen recto quicquam detineri excrementum, neutiquam dijudicari poterat. Econtra guttatim ſemel atque iterum, aliquando etiam paulò longiùs fæces alvinas modò tenuiores,modò craſſiores, prout paucior copioſiorve urina ipſas diluebat, per mentulam excernebantur, ex qua non rari etiam flatus cum ſibilo prorumpebant. Jam quoque venter ab excrementis retentis manifeſtè intumeſcebat. Interea ſerio penſitatis, quæ in tali caſu *Sennertus*, *Riolanus Mercurialis* atque *Minadous* conſulunt, atque inſuper in conſilium adhibitis Viris aliquot ex Praxi Medica celebribus, Fautoribus & Amicis meis omni cultu & honore obſervandis, vitium hoc non ſine ratione pro inemendabili habitum eſt: Nihilominus ut parenti tam enixè flagitanti ut quodvis auxilium tentaretur, etiamſi fruſtraneum foret, ſatisfieret, indultum fuit Chirurgo, aliàs ſatis ſolerti, ut periculum faceret, quoad aperiri clauſura poſſet. Hic quidem Lineolæ ſupra memoratæ, atque ab ipſa natura in prominentem anum inſcriptæ, Lanceolam dextrè infigit, verumtamen ſive ob profunditatem coaleſcentiæ, ſive ob laxitatem corrugatæ in extimo Sphinctere cutis, acies inſtrumenti etiam valentiùs & bis adacta, profundius penetrare non potuit, quàm ut locus ſuperficie tenus cum paucarum guttarum ſanguinis profuſione, vulneraretur, quemadmodum laudatus Sennertus ſatis clarè & fideliter *Lib. 5. inſtit. p. m.* 1005. prædixerat.

Cum ergo melius eſſet, ut ab operatione hac manus detraheretur, quàm ut infantulus porrò & fruſtra torqueri deberet, ſtatueretur, patri ſpe omni curationis excluſo filiolus domum reportandus redditus eſt. Infantulus verò Abdomine toto à Genitalibus uſque ad ſternum, mirum quantum intumeſcente, ut tantum non incluſa ibi viſcera, præprimis tamen Ventriculus, tranſparerent, die abhinc tertiâ (quæ ſeptima à partu erat) miſerrimo adſtantium parentum ſpectaculo, ſuffocatus obiit.

Cadaver, ſectione digniſſimum, nec prece, nec promiſſis, nec comminationibus à matre nimium ſuperſtitioſè obſtinatâ impetrari potuit. Infantulum hunc ſpectarunt Conſilioque & operationi interfuerunt Viri Nob. & Experientiſſ. D.D. *Godefredus Tileſius*, Phyſicus Reip. D.D. *Philippus Jacobus Sachs à Levvenhaim*, D. *Gaſparisn Feldnerus*, D. *Joannes Janiſius*, Practici Uratiſlavienſes, nec non Dn. *Daniel Schmied*, Chirurgus.

SCHOLION.

Tres *occluſorum Podicum* potiſſimum dari ſpecies ex Practicorum traditione & quotidiana Experientia comprobatur facilè; videlicet *Anguſtiam ſive Conniventiam* inteſtini Recti, ani *Clauſuram* per membranam, & *Coalitum*, ob quem patientes propriè *Atretæ* ſive *Imperforati* dicuntur.

Illam obſervavit *Scultetus* in Armamentario Chir. obſ. 77. (vel 71. ſecundum Exempl. German. Francof. edit.) ibique curationem per immiſſos penicillos ex radice Gentianæ, ad inteſtinum dilatandum, exhibet.

Iſtius deſcriptionem & curationem *Sennert. Inſtit. l. 5. p. 1. ſ. 2. c. 7. p. m.*

1005. *Fabritius Hildanus* C. 1. *obſ.* 73. *Ronſſeus Epiſt.* 14. *p. m.* 45. nec non *Borellus c.* 1. *obſer.* 77. *&* *c.* 3. *ob.* 9. fideliter communicarunt; unde elucet Eandem contingere triplicem, videlicet, *in aliis* inveniri *membranam tenuem*, quæ facilè digito dilacerari poteſt; *in aliis membranam denſiorem*, quæ ſcalpello opus habet; quale exemplum Nobiliſſ. Dn. D. *Sachs à Levvenheimb*, Fautor & Amicus, inter præcipuos ob ſingularia benevolentiæ ſuæ teſtimonia meritò habendus, communicavit; nimirum quòd anno 1663. menſe Maio vocatus fuerit ad Fabri cujuſdam Lignarii recens natum puellum, cujus anum membranula contectum invenit, ſubtus latente coloſtro nigro. Is, ſectione membranulæ adhibitâ, & ſuppoſitorio abſterſivo & dilatante operationem faciente Chirurgo *Henrico Neugebavaro* feliciter reſtitutus eſt, & aliquot annos vixit. Similem huic hiſtoriam *Oetheus* obſervavit, referente *Schenck. lib.* 4. *pag. m.* 383.

In aliis denique foramen ani *membranâ prædura*, in qua nullum ferè veſtigium ani, præter maculam (quam lividam in ſuo infante ſpectavit *Hildan.* l. modo citato) apparet. Nec dubito, quin ad hanc claſſem reduci debeat *Sculteti* Obſ. 77. ubi refert, ſe noviſſe obſtetricem Patavinam, quæ anum totaliter occluſum aciculâ communi perforare, & foramen turundis ex Gentiana ampliare ſolita eſt.

In hac ultimâ, ſive *tertia ſpecie* Foramen podicis omnino occluditur ſive carne, uti *Roniſcus* Epiſt. cit. exiſtimat, ſive etiam cute denſiore, vel, quod fortaſſe ſæpiùs contingere poteſt, utroque modo. Neque etiam à vero abſona videtur conjectura, naturam in his duplici modo aberrare, *vel I. in Conformatione inteſtini* recti, quando illa hoc vel fundo veſicæ vel ipſius corpori, recto ductu (quemadmodum obliquè ureteres inſeruntur) implantavit, quod Anatomia pueri Genevenſis apud *Hildan. c.* 1. *ob.* 75. & filioli lapicidæ Scaphuſiani, ap. *Schenck. l.* 4. *obſ.* 6. *de inteſt. recto. p.* 383. itemque *Lauremberg. Proceſt. Anatom. l.* 1. *c.* 16. confirmat. vel quando collo veſicæ inteſtinum inſeritur, uti in fœmellis in pudendum, ut plurimùm ſolet deſinere.

Vel II. in Conformatione Ani, quando inteſtinum rectum quidem rectè conformatum eſt, Sphincter vero connaſcitur vel carne oppletur, quod *Boniven. c.* 30. *d. Abdit.* obſervavit. Hinc minimè mirum, ſi quandoque unà cum fæcibus alvinis Urina quoque ſupprimatur, quale exemplum *Garnerius Schenckio* communicavit, & ab *Hoc* recenſetur *lib.* 3. *obſ. p. m.* 383. vel etiam, ſi inteſtinales fæces per Urethram excernantur, citra inſertionem inteſtini recti in veſicam; ſiquidem pluribus exemplis compertum eſt, materiam retentam ſua ſponte ſibi viam ex inteſtinis ad veſicam per exulcerationem ac fiſtulam quæſiviſſe, videlicet ex morbo inteſtinali, ut Scirrho, Calculo, vulnere, ulceribus Venereis, &c.

Hoc tamen miratu dignum videtur, adeò tenella infantum corpora tamdiu ſub tormento tam atrocis morbi durare poſſe; nam ut *noſter* infans ſeptimum, ſic *Ronſſei* undecimum, *Garnerii* ap. *Schenckium* decimum tertium, & *Hildani* decimum ſeptimum diem attigit. Obſervatu quoque dignum, quod

Imperforatis, ſtrictè nobis ſic dictis Puerulis hoc vitium ſemper lethale ſit, quod à *Riolano c.33. Lib. II. Enchir. Anat. p.* 220. non obſcurè innuitur, & plurimis Exemplis alibi: præcipuè tamen ap. *Tulpium l.* 4. *c.* 35. *p.* 50. & *Plater. l.* 3. *obſ. p.* 565. confirmatur. Fœmellis verò non item, certè non tam ſubitò, aut frequenter funeſta eſt ani occluſio, quod à *Minadoo lib.* 5. d. Ext. Aff. c. 18. p. 27. col. 3. exemplo puellæ comprobatur, cui cùm anus imperforatus eſſet, & inteſtinum rectum in pudendum deſineret, per id fæces nunquam non excernebat, vitam ad annos ſex & forte ulteriùs producens: cum quo conferatur *Fr. Sanchez.* obſ. p. 375. & alii.

Denique verbo notamus, quòd non aliud exemplum imperforati ani, quod noſtro magis ſimile ſit, in lectione Practicorum obtigerit, quàm quod *Platerus in Obſ. p.* 564, habet, excepto eo, quod ibi præputium quoque coaluerat, & nota in Ruga figuram rotundam obtinuerat.

[*D. Henr. Volgnadius.*]

OBSERV. XII. PATHOLOGICO-THERAPEUT.

D. JOACHIMI GEORGII ELSNERI,

REMEDIUM ATROPHIÆ OCULI.

PRoprio ſibi modo, ſcitè, inquam, plurimum Plinius pretioſiſſimam partem Corporis vocat oculos. Quod enim Sol macrocoſmo, id microcoſmo oculum eſſe conſtat. Nec ideo quod hæc pretioſior pars majoribus exemptam ſe inſidiis gaudet: cum ex pluribus affectibus, qui præter naturam ejus actiones turbant, ſit Atrophia *Oculi.* Quæ originem ducit vel ex nutritii humoris defectu, vel ab humectatione debita intermiſſa, vel nimia Spirituum jactura. Affectus hic quidem rarus eſt, curatuque difficillimus, cui etiam vix medicamenta ore aſſumpta ſolùm reſiſtere poſſunt; at enim reſtituendus medicamento planè ſpecifico humectante, foras oculis inſtillato, id quod docuit Juvenis atrophia incipiente correptus. Qui natura alias ſiccus, & à nimia Venere, calidiſque ad venerem languentem confortandam aſſumptis malum ſibi aſciverat.

Ut oculi periodus imminui videretur, ſiccitas adeſſet, & cum dolore levis ardor. Qui cum conſilium ex me peteret, opportunè ſe menti inſinuat confortativum humectans ſingulare in affectibus oculorum, quod mihi forte fortuna ante aliquot ſeptimanas culter anatomicus detexerat; cum occupatus fueram in anatomia Oculi Urogalli, quem cum nimium preſſiſſem, inciſione profundiori effeceram, ut humor aqueus caſu oculo inſiliret, illumque madefaceret, ex quo aciei viſus conſultum iri percepi, & lenitivum dolori, & ſiccitati, quibus tum temporis oculus mihi ex nimia lucubratione vexabatur, ſponte offerri ſentii. Sentii, & conſulenti autor fui, ut *ex erutis* mactato Urogallo cæteroque gallinaceo generi *oculis* (in copia quippe tum in Italia habebamus) ſibi inſtillaret hunc *liquorem*, pro diæta verò ſibi eligeret gallinas coctas cum Endivia. De cætero continentia eo anniteretur, ut abſtineret nimia venere, & uſu medicamentorum nutrimentorumque quæ gradum calidi debitum excedunt. Hiſque effeci, ut paucis eclipſata illius lumina illuſtrarentur; & globus oculorum ad priſtinam rediret figuram.

SCHOLION.

Notandum.

1. Non neceſſe erit, ſi quis humorem illum vellet in uſum medicum trahere, ut ſemper ſit ex oculis Urogalli, idem quippe præſtabit meo judicio aliorum animalium, præprimis illorum, quæ præ reliquis acutiori viſu gaudent. Nam quod ipſe ego tunc temporis humorem elegi gallorum & gallinarum, fuit quod ibi in Italia menſæ noſtræ ferè quotidie hoc alitum genere inſtruerentur.

2. Hoc Naturæ compoſitum prævalere multis pretioſiſſimis chymica arte eductis liquoribus exiſtimo; cùm Artem Naturæ famulam, an ſimiam dicere, certè ambigam.

3. Si cui data occaſione ſuppetat copia colligendi hunc liquorem ex oculis animalium, ſtudeatque modo illum conſervandi, adhibitis aliis, quæ vim ipſius non imminuant, ſed magis augeant, habebit ſanè ſingulare remedium, & poterit aliis ſpecificis miſcere, ut exinde præſtantius redundet auxilium.

4. Dum de oculo & liquore multis oculorum vitiis appropriato ſermo vertitur, placet erecto mentis oculo plus ultra tendere, eoque prælucente arduam ſcrutari materiam. An quoque læſis & *exhauſtis oculorum humoribus liquor iſte* vim habeat ſubveniendi. *Circa humoris aquei* reſtitutionem nullus facilè dubitabit, illius enim regenerationem vidit *Galenus l.* 1. de *Sympt.cauſ. cap.* 2. *Coiter* quoque illud obſervavit *in Obſ. Anat. Chir.* Calculum quoque ſuum addit *Benivenius cap.* 74. *de Abd.* quæ exempla nonnullis aliis illuſtravit *Schenckius in Obſ. medicis.* Si Natura jam vel maximè ſponte ſua occupata eſt, ut reſtituatur perditus humor aqueus, magis id præſtabit in iſta actione, cooperante liquore hoc verè appropriato.

Quin inſuper *reſtitutioni vitrei* quoque inſerviat non ambigo. Magis tamen præſtaret, ſi cum vitreo conjunctus quotidiè adhiberetur. Quia alias defectum hujus humoris albumine ovorum ſupplevit olim *Duncanus Liddelius* Medicus eximius, non abſque ratione, quod ſignatura ipſum edocuit comparationem planè ſimilem humoris vitrei cum albumine ovorum; & quod albumen ovorum vulnerarium eſt, & conſolidatione tunicarum efficere poteſt, ut humor effuſus regeneretur. *Sic Henricus ab Heer. Obſ. Spad.* 4. ſcribit ſucco Ulmariæ menſe Maio collecto, gallo gallinaceo, ut & puellæ cuidam vitreum & aqueum reddidiſſe humorem. *An* vero etiam conducat *criſtallino*, arduum ſanè erit formare judicium. Videntur enim omnes fere, qui hactenus in iſta re occupati fuere, unanimiter deſperaſſe in hujus humoris reſtitutione præter paucos, quibus [in hoc ſæculo aliàs ferreo, Ingeniorum verò politiorum fertili ſegete planè aureo] de meliori luto Judicium finxit Ter-maximus, qui acumine judicii & indefeſſo labore eò pervenere, ut deſtructis tribus humoribus immiſſo ſucco chelidonii effecerint, quod non ſolùm ab iſto humores reſtituerentur omnes, ſed & viſus priſtinæ integritati. Experimenti copiam exhibuit ante aliquot annos *Gaſpar Schottus in Tech. curioſ.* 11. *Mirabil. miſcellaneor. c.* 22. *p.* 895. aſſerens præſtitum Pragæ in præſentia DN. Doctoris Marci ab Anglo quodam curioſo. Sed quod majus, ante annum *Franciſcus Joſephus Burrhi in Epiſtola* ad Excell. Virum DN. *Thom. Bartholinum* non ſolùm hujus experimenti dedit deſcriptionem, ſed & arcani, & quo artificio humores exprimendi, & quo modo reſtituendi exactam exhibuit delineationem; multiſque factis experimentis veritatem hujus inventi vindicavit. Cujus rei teſtis omni exceptione major, accuratiſſimus hujus ſæculi obſervator *Thomas Bartholinus*, qui in Litt. prid. Cal. Oct. 1669. Hafniæ datis ad Excell. DN. *Philip. Iacob. Sachs à Levvenheim* teſtimonium ſequentibus ſcripſit verbis: De *artificio effuſos humores oculorum* omnes *reſtituendi* quæ ad me perſcripſit Illuſtris *Burrhus non dubito Te* legiſſe: Experimentum tantum in anſere ſucceſſit, quanquam juſto profundius fuerit vulnus oculo inflictum. Cæterum Laboratorium ſuum DN. Burrhus mole vaſtum, trabibus, ferro & camino, ab una Urbis regione diſſita ad aliam machinis tractoriis tranſtulit. De quo ipſe luſit:

Limina fixa volant, pariterque volatile figunt. Cui pentametrum addidit Huberus Muſicus & Poëta, Dedalus alter adeſt, Hermes & alter ovat. Ex quibus luce meridiana clarius apparet, poſſibile eſſe *arte reſtitui* poſſe *humorem* quoque *criſtallinum*. Aſt poſito humorem illum poſſe reſtitui artificio, ab exercitata manu expreſſum, effuſionem tamen illius caſu factam vix ac ne vix aliquis reſtituet.

Caſu quippe vel ictu vulnus inflictum violentia quadam peragitur, qua impoſſibile eſt ut nervus opticus non lædatur, vel fibræ profundiores pullulantes à nervo optico, vel tunicæ; quibus læſis etiam in artificioſa expreſſione, nulla reſtitutio ſperanda. [*D. Ioach. G. Elſner.*

OBSERVATIO XIII. PHYSICO-MATHEM.

D. PHILIPPI JACOBI SACHS à Levvenheim.

MESSIS OBSERVATIONUM MICROSCOPICARUM è Variis Authoribus collectarum.

Fertiliſſimo hoc acutiſſimorum ingeniorum à reparatâ humanâ ſalute ſeculo ſexcenteſimo, non infimum obtinet locum è conſpiciliis (præter *Teleſcopium*, *Helioſcopium* Scheineri, *Polemoſcopium* ab Hevelio anno 1637. inventum) *Microſcopium* ſeu conſpicilium, quo atomi viſibiles quaſi & minutula etiam inſecta in molem Coloſſeam tranſmutantur.

Vocantur hæc vitra alio nomine *Engyſcopia Borell. de Invent.* Teleſcop. (*edit. Hag. Com.* 1655.) *c.* 5. *f.* 8. item conſpicilia muſcaria, & pulicaria. *ib. c.* 6. *p.* 10. Smicroſcopia ubique *P. Kirchero in Oper.* & Lentes ſeu vitra Lenticularia. *Inventionem* hujus vitri Itali ſibi adſcribunt, & Authorem nominant *Franciſcum Fontanam* Neapolitan. quem *Hieronym. Sirſalis è Soc. Ieſ.* è Collegio Neapolitano laudat, quod ſicut ille Teleſcopio è convexo & concavo compacto ad varias obſervationes Lunæ & planetarum perfecto, iſto tubo optico nova cum cœlo commercia orbi terrarum exhibuerit, ſic major emicuerit in *microſcopio*, novos Naturæ fundos aperiens, minutiſſima corpuſcula & ſpirantes rerum atomos per cryſtallum inſpiciendo exhibens, magno obſtupeſcentis experientiæ plauſu. Ipſe *Fontana* circa annum XVIII. hujus ſeculi Neapoli ſe primum inveniſſe ipſe teſtatur *tract.* 8. *de nov. cœleſt. & terreſtr. rerum obſerv. c.* 1. *p.* 145. ejus dein poſt aliquot annos meminit *Scheiner. in Roſâ Urſinal.* 1. *c.* 30. Aliam fovet ſententiam *Borell. in dedicat. rbſerv. microſc. ad S. P. Q. Mildelburgenſem* in Seelandiâ, quibus inventum iſtud laude digniſſimum adjudicat, quando inquit: Ad vos brevi ſermone obſervata *microſcopica* deducere placet, tanquam ad Viros meritiſſimos, apud quos tale inventum *microſcopicum* repertum fuit. Fuſius & pluribus teſtimoniis id declarat idem *Borell. in de invent. Teleſc. c.* 12. *p.* 26. nominando Inventorem *Zachariam Ianſen* ſeu *Ioannidem Middelburg.* qui circa annum 1590. & Teleſcopium & *microſcopium* excogitaſſet. Adducit *c.* 14. *p.* 34. teſtimonium *Guilielmi Borelii* Belgii uniti Legati in Galliis, quod Middelburgi Civis quidam *Hans*, vulgò *Conſpicillifex* dictus, cum filio Zacharia vitra iſta invenerint, primumque obtulerint Principi Naſſoviæ Mauritio, alterum Archiduci Alberto, quod ab Archiduce *Cornelio Drebbelio* Alcmariano Londini degenti donatum ipſe Borelius anno 1619. ibidem viderit. Inde cum plurimi Eruditi inſignem hujus conſpicilii viderent uſum, ſeriò incubuerunt, ut indies exactiùs elaboraretur. Unde in *Italia* in iis conficiendis celebris *Franc. Fontana*, & *Torricellus*, quem *Kircher.* in *arte magn. Luc. l.* 10. *p.* 2. *c.* 8. §. 3. *Fontanæ* præfert, quod majorem theoricæ ſubtilitatis notitiam habeat; & notante *Academiâ Florentinâ* in *Natural. experientiis anno* 1667. *editis fol.* 23. eſt Idem *Torricelli*, qui anno 1643. primum invenit per preſſionem aëris ob pondus cum ☿ vivo demonſtrare vacuum. Non minus claret in *Italia*, ut aliarum rerum profunda Scientia & Muſeo, toto orbe decantatiſſimus *Manfredus Settala* Mediolani Urbis ſidus ſplendidiſſimum, Opticorum Inſtrumentorum confectione. Nunc *Euſtachius de Divinis* novâ quadam ratione *Microſcopium* confecit, 10. digitos cum dimidio altitudinem habens, ad quatuor longitudines varias aptum, cujus prima eaque minima longitudo lineas 40. majores monſtrat, quàm ſine microſcopio apparent; in ſecundâ longitudine 90. in tertiâ 111. in quartâ denique 143. & hoc peculiare habet, quod objecta plana, non verò curva repræſentet, & licet magnam de ipſo portionem tegat, mirum tamen quantum ipſa augeat. Vide quæ de hoc invento ex *Italicis Ephemeridibus Galli* adducunt *in Ephemerid.* 10. *tom. IV. p.* 134. & *Anglor. Tranſaction. philoſoph.* T*om. III. n.* 42. *p.* 842.

Apud *Gallos* celebre nomen *Microſcopiis* meruerunt *Ferrerius Arvennas Choureus*, *Guil. Menardus* Lutetiæ degentes, & *Stephan. Breſſyeus* Gratianopolitanus. *Borell. de conſpicil. p.* 11. nec non *Chalomonius* Aquenſis ſenator & *Dn. de Servié* Lugdun. vivens.

In *Angliâ* perfectiſſima & excellentiſſima conficiuntur à *Dn. de Rives* habitante in Longenker Londini, notante curioſiſſimo Peregrinatore *Dn. de Monconnys*, *Itiner. tom. II. p.* 11. & qui præcipuis aliis palmam facit dubiam inſigne Societatis Regiæ Experimentalis Sidus, *Robertus Hocke*, qui magnâ experientiâ & ſumptibus amplis, *Londini* 1665. edidit in folio Linguâ Anglicâ *Micrographiam* ſeu deſcriptionem minutorum corporum cum deſcriptione hujus inſtrumenti Optici, quò nobilius in hoc genere nondum viſum fuit.

In *Belgio*, poſt primos Inventores Middelburgenſes, clarus fuit *Ioannes filius Zachariæ Ioannidis* Seelandus, & *Ioannes Lapperhey* itidem Middelburg. *Cornelius Drebbel* Alcmarianus Londini tanquam alter Archimedes variis, & pene ingenium humanum excedentibus machinis Naturæ cursûs imitans. *Iſaaci Voſſi*, Hagæ Comitis commorantis, *Mecroſcopium* cum unâ ſolâ lenticulâ, facta in hemiſphærio & incluſa parvo ligno, quod ductile eſt, poſt parvam tabulam nigram excavatam ad formam oculi & perforatam in medio, ut perſpiciatur per parvum foramen, celebratur à *Dn. de Monconnys Itinerar. ſui tom. II. p.* 153. Amſtelodami *Dn. de Hudd* exhibuit bina diverſa *Microſcopia*, memorato Gallo *Dn. de Monconnys*, unum cum ſolâ lenticula; alterum cui applicat craſſiorem lenticulam, ab eâ parte, ubi objectum admittitur, tali modo, ut radii luminis lenticulam intrantes objectum illuminare poſſint. Monſtravit *Idem Hollandus Dn. de Monconnys* modum præparandi iſtas lenticulas, notatum *in dicto Itinerar. tom. II. p.* 161. Solet nempe modo ſolito vitrum pro lenticulâ liquefacere ad ignem lampadis, cum quo aliàs ſolent conficere cryſtallina vitra puriſſima, extrahendo ſalem intus hærentem; hoc vitrum dum candeſcit emittit ſalem ad ſuperficiem, quem deinde facili negotio removet; de vitro hac ratione depurato particulam ſumit extremitate virgæ ferreæ candentis, cui tantum quantum lubet adhærere patitur, eamque particulam liquefacit, poſteà in igne lampadis circumgyrando accipit formam perfectè rotundam.

Germanis annumero *Athanaſ. Kircherum* toto orbe notiſſimum; *Fuldenſem*, quamvis in Italiâ fixus hæreat, qui *tractatu de Peſte ſ.* 1. *c.* 7. §. 2. *p.* 70. ſuum *microſcopium* diligenti non minus quàm peritâ arte elaboratum, prædicat, quod objecta millies in ſe majora, quàm in ſe ſunt, præſentet. Vixit paucis ante annis Uratiſlaviæ *Theodorus Moretus* è Soc. Jeſ. Mathematum Profeſſor, qui ſtrenuam ut in aliis inſtrumentis mathematicis & diverſis ſpeculis, ſic & in *microſcopiis* navavit operam. Celebritatem famæ *microſcopiis* quoque auxit generoſus pariter atque tam ex rei militaris quàm ſingularum rerum Mathematicarum & Phyſicarum ſcientiâ celeberrimus undiquaque Vir *Dn. Baſilius Titelius* Seren. *Saxoniæ Elector.* in arce Pliſnæburgo ad Lipſiam Præfectus meritiſſimus. Claret inſuper horum præparatione in Germaniâ Ulmæ *Dn. Chriſtophorus Vveicman* Vir curioſiſſimus, narrante *Dn. de Monconnys in Itiner. t. 2. p.* 320. uti *Auguſtæ* Vindelicorum *Vviſelius* & *Vviſelii Gener.* ibidem Auguſtæ degens *Dn. Daniel de Pierre* laudatus à *Dn. Monconnys T.* II. *Itin. p.* 328. *Viennæ Mattmullerus.*

Variis parantur microſcopia modis. Quidam utuntur duabus lentibus convexis; quidam utuntur ingentibus ſphæris vitreis aquâ repletis: alii minima ſphærula vitrea, quarum diameter minimarum perlarum diametrum non excedit, quantitate litera O, includunt tubulo cuidam & in hujus ſuperficie poſita inter oculum & lampadem aſpiciunt, quale fuit *Ioan. Caroli Cardinalis Medicæi*, quod *Kircherius in Arte Magn. de Luc. & Umbr. l. X. p.* 2. *c.* 8. §. 5. non reprobat, omnibus tamen præfert lentem cyclo-hyperbolicam. Plura de *microſcopii confectione* videri poterunt apud *Fontanam in tract.* 8. *de nov. cæleſt. & terr. obſerv. c.* 2. *Renatum des Chartes in Dioptr. Hevelium in Selenograph. Gedani* 1647. *edita*, *Athanaſ. Kircher. de Luce & Umbr. l. X. l. paulò ante citato. Petr. Borellum tract. de parandis conſpiciliis Hagæ Comitis* 1656. edito, ubi tam ex variis Authoribus confectiones adducit, quàm *cap.* 6. *p.* 10. *n.* proprias adjungit. *Ioan. Chriſtoph. Kolhanſium in tractatu optico. Monconnys Itiner. tom.* 1. *in Itinere Italiæ primo pag.* 117. *uſque ad p.* 128.

His præmiſſis ex diverſis Authoribus nobiliorem *Meſſem* demetere & in horrea noſtra colligere placet, cùm ii non omnium terantur manibus, in poſterum verò propria curioſorum Germanorum obſervata *microſcopia Ephemeridibus* noſtris adjungere conſtituimus. Videri quidem poſſem me Iliada velle ſcribere poſt Homerum, hoc eſt, poſt ante laudatam perfectiſſimam *Hocki Microſcopiam* aliquid notare velle, ſed cum rariſſimus iſte liber ſit, & inſuper linguâ Anglicâ, paucis notâ, conſcriptus, necdum quod ſciam Latinâ civitate donatus, interim curioſo Lectori Authorum quoque aliorum narrata non ingrata fore futura putavi.

Illa quæ *per microſcopium* fuere *luſtrata*, referuntur *vel ad Opera Artis*, *vel Naturæ.*

I. OPERA ARTIS.

1. CHARTA tenera & melius unita ope conſpicilii ſcabroſa apparet, & inſtar telæ ruſticæ, in eâ namque apparent fibræ, villi, cavitates & eminentiæ innumeræ. *Borell. obſerv. microſc.* 24.
2. VITRI ſuperficies læviſſima ſcabroſiſſima eſt, rimis, fiſſuris & irregularitatibus ſcatens. *Borell. obſerv. micr.* 28.
3. *Acus cuſpis* ſubtiliſſima, licèt videatur eſſe imperceptibilis, ope *microſcopii* apparet tam lata, quàm quarta pars unius eſt digiti. Cuſpidis illius ex-

tremitas, non in conum deſinit, nec rotunda aut plana penitus eſt, ſed obtuſa, inæqualis, irregularis, clavum præfractum referens. Ex *Hocki microſcop. Ephem. Gall. tom. II. p.* 479.

4. *Novaculæ acies* benè acutæ, apparet tanquam dorſum aliquod caninum, cum multis dentibus. *Ibid. p.* 480.

5. *Puncta ſubtiliſſima*, quæ in libris ad diſtinctionem periodorum ponuntur, videntur quaſi nuces caſtaneæ *Ibid. p.* 480.

6. *Telæ* ſubtiliſſimæ fila apparent quaſi chordæ craſſæ; tranſparentem verò telam reddunt foramina inter fila, reticulis quæ cancellatis apponi ſolent feneſtris penè ſimilia. *ibid. p.*461.

7. *Undulæ in Sericis* ex eo apparent, quòd in iſtis materiis partes quædam ſint elevatiores, quædam verò depreſſiores, unde variæ reflexionis Luminis cauſæ. *ibid. p.* 481.

8. *Sal roris Majalis* ab Equite Anglo Henſham ſingulari artificio paratum, cum *microſcopio* conſpectum, angulorum numero & figura nitri æquavit angulos, uti ex *Ephemerid. Anglic. Gallicæ referunt tom.* 2. *p.* 23.

9. *Colorum varietas* & recta miſtura facilè colligi poſſet induſtria *microſcopii.* De coloribus per *microſcopium* detectis tractaſſe Hockium in *microſcopia,* teſtantur *Ephemerid. l.* 2. *p.* 488. Ante aliquot annos *Dn. D. Chriſtianus Langius Prof. P.* Lipſiæ & Chymicus egregius, Studioſis non ſemel monſtravit *colorem viridem* per hoc inſtrumentum nihil aliud eſſe quàm coloris albi & cœrulei (rectius *bleu,* caremus enim vocabulo, quo hunc colorem rectè exprimamus) miſturam, cujus rei teſtis eſt oculatus *D. Joan. Jæniſius,* Collega noſter Curioſus. *Ludov. Savotus in accurato tractatu,* quem de *coloribus Pariſiis* 1613. edidit, ex variâ docet colorum miſturâ *varietatem colorum* oriri: Ex *colore Iaune* id eſt, *flavo,* (vocabula enim colorum latina propriè offendi *Idem* negat, cum tantùm ſpecierum ſub his generibus concluſarum exprimantur) ſeu ex albo & rubro tenui atque colore *bleuë* oriri *viridem* atteſtatur, qui ſe ex *pauco jaune & bleu*, oriri colorem *vert-gay*, (viridis floridus) ex *plurimo bleu & jaane*, naſci colorem *vert-brun* (viridis ad caſtanei formam accedens) & *vert-noir* (viridis ad nigredinem vergens.) Si color *bleuë* in permixtione exſuperavit, prodire *vert de mer* (marinus) ſi verò color *jaune*, inde conflari *vert-jaune* viridis flavus,) & ſi aliquid nigri accedat, *color de fueille-morte* (color qualis foliorum ex arboribus deciduorum.) Sic quando Infectores & Pictores, colori *jaune* (flavo) rubrum craſſarum partium parvâ quantitate admiſcent, producunt colorem *Orangé* (aurantium) ſi largiori, colorem *zinzolin*: Ex *Iaune-palle* (flavo pallido) multum diluto & rubri craſſarum partium quàm minimo, fit *color d'Iſabelle*: Si colori *zinzolin* aliquantulum nigri addatur fit *Couleur de Roy* (color Regius,) ſi autem plus nigri, C*ouleur de minime.* (i.e. color qualis Franciſcanorum (ſeu potius Minimorum) habitus.) *Flavus* autem *color* provenit ex rubro tenui & albo pellucido. *Color bleuë* cum albo reddit *bleu-pers*, *bleu-turquin*(qualis in gemma Turcoide) *bleu-cœleſte* (propriè cœruleus,) *bleu-blanc* (cœruleus ad albedinem

declinans) *Savotus cap.* 7. Miſtum *album* perſpicuum opaco nigro, facit colorem *Gris* (griſeum) & pro variâ amborum compoſitione & unius ſuper alterum exſuperantiâ, *Gris-bleu*, *Gris-argenté* (cinereum) *Gris-brun*, *Gris-noir. Idem c.* 6. Rubrum craſſum albo temperatum facit le *rouge brun*; ſi exſuperantiſſimum rubrum fuerit; ſed albo plus amplificato *le rouge-vif*, (purpureum) quod in lanis *le rouge d'eſcarlate*, in ſericis *le rouge Cramoiſy* aut *rouge de cochenille* & tandem *l'incarnat*, & *couleur de chair* (carneum) *idem. c.* 8. Et tot colorum origines miſturæque per *microſcopium* dignoſci poſſe credibile eſt, novique plures exinde inveniri colorum phœnomena.

II. OPERA NATURÆ.

1. *IN REGNO MINERALI.*

1. *In Lapide* ASTERIE ſtellæ ſeu Roſæ apparentes nihil aliud ſunt, quàm fiſſuræ. *Borell.* obſ. *microſ.* 6. unde iſte lapis Trochites ſeu Aſtroites movetur aceto perfuſus motu locali, & ſi ex eo teſtudo formetur, ἀυτόματοι admirandum reddit, notante *Kirchero de arte magnet. l.*3. *p.* 3. *c.* 2. *p.* 152. quia acetum fiſſuris ſe inſinuans ſpiritu ſuo agit in ſal lapidis, ubi in iſta pugnâ mutuâ & ebullitione motus excitatur ille violentior, uti oculorum gammarinorum motus localis rationem quoque dedi in *Gammarolog. curioſ. l.* 1. *c.* 14. *p.* 318.

2. CRYSTALLI in pollinem redacti ſingula corpuſcula ſi inſpiciantur, ſingula quid radioſum præ ſe ferre teſtis *Kircher. in Mundo ſubter. l.*8. *ſ.* 1. *c.* 8. *f.* 24.

2. IN REGNO VEGETABILI.

In Genere.

1. *Lignum Carioſum* oculo armato inſpectum immenſam præbet vermiculorum pullulaginem, quorum alii corniculis inſtructi, quidam alatum quid affectant, oculos habent inſtar punctorum nigrorum cum proboſcide, ut Creatoris ſapientia maximè ſit admiranda, qui omni visûs acumini imperviis animalculis membra inſtruxit, ſine quibus nec movere ſe, nec ullos vitales actûs exercere poſſent. *Kircher. Scrutin. peſt. ſ.* 1. *c.* 7. §. 2. *exper.* 4. *pag.* 74.

2. *In genere in plantis*, *herbis*, *arborum frondibus* conſpiciuntur venæ ingenioſo opificio ductæ, in iis ſuccus, quo aluntur eæ, quæ radicitus continentur, quomodo in illis ſuccus gelet & fluat: videtur *in floribus* ſuccus, venuliſque florida innatans ambroſia. *Fontana obſ.* 18.

33. *In omnibus herbis* videntur minutiſſimi vermiculi, qui juxta herbæ plantæque conditionem generantur, qui mox in papilionem, mox in alterius inſecti volatilis ſpeciem degenerant. *Kirkher. Scrutin. peſt. l. a. exp.* 3.

4. In quibuſdam *plantarum foliis* ſtellulæ multæ, & conglobationes atomorum longarum cernuntur, multæque ſpinæ quibus undique horreſcunt. *Borell. obſ. micr. 6.*

5. *In Capillaribus herbis*, *Lonchitibus*, *polypodiis*, *linguis Cervinis* & aliis plantis ſemine deſtitutis, (ut vulgo creditur,) ſemina per *microſcopium* inveniuntur, ſunt enim tergiferæ ut dorſigeræ, ut cum Principe *Cæſio* loquitur *Borell. obſ. micr.* 8.

6. *In plurimis plantis* cernuntur *foramina*, ceu in hyperico è. g. in dente Leonis, in ſpinaceis; tamen hæc folia non penetrant plantam, ſed habent membranulam lucidam inſtar cancelli. *Borell. obſ.* 5.

In Specie.

1. SALVIÆ folii extrinſeca tota aſpera ſuperficies, videtur per *microſcopium* operta, veluti aranearum texturâ quâdam, intra quam minutiſſima comparent animalcula, cum bullulis quibuſdam veluti ovis ſuperficiei offuſis, quæ fœtura virulento humore, ſi abſque lotione gingivis hominum affricetur, noxam adfert, abſterſo enim folio cum digito aut aquâ loto ſtatim diſparent. *Kircher. de peſte ſ. 1. c. 7. §. 2. exp. & in Mundo ſubterr. l. 12. ſ. 2. c. 6. f.* 369.

2. MORI tam folia, quam cortex, ſi *microſcopio* obſervetur textura, naturam ita texuiſſe reperire licet, ut ſericum flavum fibris ſuis proximè æmuletur. Ex horum foliorum ſeminio deciſo naſcuntur bombyces. *Kircher. mund. ſubter. l. a. f.* 360. In mori foliis plexum mirum ſeu rete mirabile oſtendit *Borell. obſ. micr.* 63.

3. MARRUBII folia tuberoſitates & rugoſitates habent rotundas, quæ olei guttas imitantur. *Borell. obſ.* 87.

4. SIGILLI *Salomonis* folium, viſu 9. tantùm nervos exhibens, hujus inſtrumenti ope 74. monſtrat. *Borell. obſ.* 71.

5. URTICA, unde tanti pruritus moleſtiam inferat, ac puſtulas concitandi potentiam acceperit, *microſcopii* inſtrumento ſtatim comparet. In univerſâ herbâ, imprimis in foliis, obſervantur acuformes, imò & tricuſpides, adeoque horridiſſimæ ſpinæ, quibus tota urticæ ſuperficies abundè obſita eſt, unde aculeis ſuis evidenter pungit, & ex dolorificâ hâc compunctione poſtmodum ſuboritur læſæ cutis ardor; dum ob ſpinulas per contactum infixas, inibique non paucas relictas Archeus ſeu ſpiritus inſitus partis læſæ irritatus, ſpiritus influentes ad expellendas ſpinulas allicit, & ſanguis, qui horum eſt vehiculum copioſius affluit. *D. Chriſt. Lange de Morbillis. diſput. Lipſ. 1660. habitâ §. 61. 62. uſque 67. Hockius in micrographia* pariter in *urtica* obſervavit, ſpiculis acutiſſimis habere cooperta folia, quorum baſis ex veſicâ flexibilis ſubſtantiæ conſiſtat in figurâ cucumeris ſilveſtris, cum liquore acri & venenoſo ibi contento, qui videri poſſit deſcendere & aſcendere, ſi ſpiculorum extremitas prematur digito contra baſim: unde cum cuſpis ſubſtantiâ conſtans duriſſimâ & validiſſimâ in medio foramen habeat, ex quo liquor ille veneno-

ſus deſcendat, in partem tangentem, exinde dolor excitetur. *V. Ephemer. Gall. T.* 11. *p.* 484. In *urticæ* in *cineratæ* lixivio concreſcere glacialem cutim noctu, & in ipsâ glacie totam urticæ faciem exprimi aſſerit *Kircherus de Luc. & Umbr. part.* 1. *c.* 12. *f.* 156. per *microſcopium* autem videri totam urticæ faciem ex minimis & quaſi infinitis ſtellulis concreviſſe.

6. *In* FICUS *folio* recenti, & parvo, miræ in dorſo rugoſitates, quæ conos obtuſos imitantur: In *Ficu Indica* ſ. Opuncia innumeri aculei maximi, unde tractata dolorem infert. *Borell. obſ. micr.* 86.

7. ACETOSÆ folia exhibent atomos oblongos, hirtos & rectos acuformes, quibus linguam vellicari veriſimile eſt. *Borell. obſ.* 4.

8. LENTISCI *& Liburni* folia verminoſa ſunt. *Borell. obſ.* 15. *Kircherus in arte magna L. X. p.* 2. *c.* 8. §. 2. *f.* 834.

9. *In* RICINI foliis innumera ſtellarum congeries. *Kircher. l. a. Borell. obſ.* 25.

10. *In* BORRAGINE ſpinæ horridiſſimæ, & quidem geniculatæ. *Borell. obſ.* 46.

11. GRAMEN vulgare folia habet ſtriata inſtar vittarum Chinenſium, vel inſtar fol. graminis ſtriati, in quo natura manifeſtius id expreſſit. *Borell. obſ.* 46.

12. *In* CHELIDONIO folia perforata ſunt. *Borell. obſ.* 63.

13. *Hyperici foramina* adeò augentur, ut maximè homines in admirationem rapiat. *Borell. obſ.* 5.

14. *In* CAPRIFOLIO venæ foliorum rubeſcentes, in LAURO vireſcentes. *Borell. obſ.* 63.

15. *Trifolii Acetoſi* folia perforata valde ſunt, & quaſi rore perpetuo madida. *Borell. obſ.* 52.

16. MATRICARIA tota maculata eſt. *Borell. obſ.* 63.

17. PHASEOLI vel AMYGDALÆ ſemen aqua calidâ emollitum ſi aperiatur, acuque optima ejus germinis fiat ſectio, plantæ forma in eo reperietur, pari ratione ac in gemmis arborum & germinibus ſeminum plantarum videntur rudimenta. *Borell. obſ.* 17.

18. ORCHIDIS ſ. Satyrii anthropomorphi foliorum filamenta exploranti, flores per totum minutiſſimis figuræ humanæ imagunculis (quaſi foliis cum fune appenſi eſſent homunculi) contexti apparent, quod ære inciſum exhibet *Kircher. mund. ſubter. lib.* 12. *ſ.* 1. *c.* 9. *f.* 349.

19. *Ex vite, vinoque* fit *Acetum.* Hoc ope perſpicilii *microſcopii* inſpectum vermes exhibet ſerpentiformes ſinuoſo greſſu & ſatis celeres reptantes. *Borell. obſ. microſ.* 1. *Jo. de Mey in c.* 4. *Gædartius de Inſect. ſeu metamorph. natur. p.* 52. *Domin. Panarol. pent.* 4. *obſ.* 36. qui etiam interdum ſolo viſu acri ad radios ſolares cernuntur abſque inſtrumento, quod jam elapſo ſæculo obſervavit *Andr. Baccius de natur. vinor. hiſtor. l.* 1. *c.* 23. & *de Thermis l.* 6. *c.* 21. aut ſi acetum aquæ limpidæ miſceatur, fluitare longiuſculos vermiculos in vitro, & manifeſtè cerni ex Fratris *Eraſmi Bartholini* relatione

aſſerit *Thom. Bartholin. Cent. IV. obſ. hiſt.* 13. Sic *Franciſcus Prona.* 8. *Prol. Saturn.* vermes vidit in aceto argenteos natare inſtar piſciculorum, qui recedente aceto vitro adhæſerint. In aliquibus aceti generibus ſe ſaltem vermes notaſſe ope *microſcopii* refert *Jo. Nardius in noctibus Genial. noct.* 1. *p.* 75. in iis ſcilicet, quæ ex vappa & debilibus vinis confecta, non verò quæ ex generoſis vinis: *Borell.* tamen *Obſ.* 1. acerrimum etiam acetum (generoſiora verò vina acerrima exhibent; uti in *Ampelographia Curioſa ſect.* 8. *c.* 1. *pag.* 528. notatum) non excludit, & *Panarol. l. a.* ſtatuit in omni aceto reperiri, & quò acrius eò copioſiores fluitare vermes figurâ oblonga, tenues, cum parvo capite, & enecari ſi theriaca aceto addatur.

3. IN REGNO ANIMALI.

1. *Inſecta.*

1. Acori ſeu *Cyrones* & *Sirones* German. *Die Neitliſen* in cute humanâ puſtulis affecta hærentes vermiculi, effoſſi, minutiſſima inſecta, candidi puncti ſimilitudinem præ ſe ferentia, *microſcopio* inſpecta, animalia piloſa & prorſus urſo ſimilia exhibent. *Kircher. ſcrutin peſt. ſ.* 1. *c.* 7. *ex p.* 4. Hiſtrici ſimilia facit. *Borell. obſ.* 21. & mirandum cenſet, quod in tam puſillo animali, & puncto quaſi, tamen omnia organa, pedes, nervi, oculi & aliæ partes animalis cernantur. Monſtroſam eorum figuram cum permultis & oblongis poſt tergum caudis depingit *D. Auguſtus Hauptman in Epiſt. ad Athanaſ. Kircher. de vivâ mortis imagine ſcripta & tractat. Germanic. de Thermis Wolckenſteinenſ. inſerta p.* 200. communem denique iis vultum adjudicat, qualem habent caſei vermes *Die Molben.*

2. Apis conſpiciuntur oſſiculorum commiſſuræ, juncturæ, pedum unguiculi, alarum diſcolores formæ & vario colorum penicillo undatæ & interpictæ, denticulorumqne diſtinctiones quibus libare flores non deſinunt. *Fontana obſ.* 10. Per hoc inſtrumentum obſervatur quod *Apis* ceram externè ſupra femur ferat, quod mel in Stomacho gerat, illudque parumper alteratum, & tanquam chylum ut pipiones evomat; ſi namque apis ſeparetur in duas partes, conſpicitur ſubitò in illa inſtar grani mellis veſicula, quæ ſi ſugatur dulcis eſt. *Borell. in obſerv. medico-Phyſic. cent. I. obſ.* 10. *De Franciſco Stellato Fabrianenſi*, Academico Lynceo narrat *Jo. Faber in hiſtor. Mexican. l.* 1. *p.* 757. quod mirabilem anatomen præbuerit partium omnium externarum, quæ in ape minuto animalculo ſint, oculorum ſcilicet, linguæ, cornuum, jubæ, aculei, pedis, digitorum aliorumque in ea, & in æs incidi curaverit, unde de eodem eleganter *Ignatius Braccius* luſit, annotante *Leone Allatio in Apibus Urbanis de vir. Illuſtrib. p.* 113. ſeq. carmine:

Fulvam tuereriſque Lynceus *Jubam*
Apum, Leoninæ parem,
Ocelluloſque ſeta quos vallat crebra,

& duplici *labellulâ*
Servata vagina, quod & mirum eſt magis
ex *ore linguas* parvulo
prodire quinque acutulos gladios velut,
STELLATUS *exiguo vitro*
Rimatur hæc *Franciſcus Oculari* meus.

Plura quoque de obſervatione *Apum partium* per *microſcopium*, quæ aliàs ab intuentium oculis in ipſo animalculo abſconduntur, *Fabius Columna annotat. in Fabri hiſt. mexic. f.* 895. Nec non FEDERICUS CÆSIUS Dux Aquæſpartæ, S. Angeli & S. Poli Princeps, Marchio Montis Cælii & Baro Romanus, qui ipſemet, teſte *Leone Allatio in Apib. Urban. pag.*91. edidit Apiarium cum universâ mellificorum familiâ. Notat quoque *Kircherus in mundo ſubterr. l.* 12. *ſ.* 2. *c.*2. *expl.*1. *ſi microſcopio* excrementitiæ partes Apis examinentur, quod videantur frequentes primo quidem vellut folliculi, mox iis ruptis vermiculi, quorum alii jam erucas referant, alii jam alis aſſumptis in perfectas apes formentur.

3. *Bombyces* ſericum videntur non ab ore ſed è mammis, quibus dorſum eorum ſcatet, eructare, quod ore quidem decerpunt, & applicant. *Meyin Gædart. de Inſect. not. in c.* 4. *d.* 54.

4. In ERUCIS villi & colores egregiores quàm in Zibellinis & holoſericis veſtibus apparent. *Borell. obſ. micr.* 55. & in dorſo verſus caudam tres habent quaſi umbilicos rubros, quædam duos tantùm, ex quibus rubrum quid effundunt. *Idem obſ.* 62.

5. FORMICA Cancri magnitudinem ſortitur: *rictus* illi eſt cuſpidatus, inſtar forcipis acuminatus, in cujus interiore parte candicant & longo ordine diſtinguuntur *denticuli*: ex capitali ſummitate eminent gemini velut remi, omnes omninò hirſuti, nigricant orbes moris ſimillimi, qui in ſpinetis naſcuntur. Sex pedes illi ſunt *oſſiculorum* commiſſuris diſpenſati, caput varios habet & interſtinctos ordines & lineamenta: *Corpuſculum* ovi ſimilitudinem imitatur, pluribus velut faſciis circumvolutum. *Fontana obſ.* 3. *p.* 149. *Borell. obſ. micr.* 48. *Oculi* tamen ejus difficulter cognoſcuntur ob nigredinem, melius verò videntur in albis formicis, ubi oculi ſunt nigerrimi. *Borell. obſ.* 34.

6. PAPILIONES ſi vitro includantur cum plantis appropriatis naturali motu ad ſe invicem advolant, & una excrementum ovis pulicum ſimile emittunt; quæ ſi *microſcopio* examinentur, intra exiguum tempus in novos vermiculos ſive erucas animantur, hæ in Chryſalides, & denique in novos papiliones tranſmutantur. *Kircher. lib.* 12. *mund. ſubterr. ſ.* 2. *c.* 3. *f.* 360.

7. In CULICE vidi Elephantum, inquit *Hieron. Sirſalis Soc.* Jeſu in *Colleg. Neapolit.* adeo mucronati telum aculei, flexilis tuba & crurum exilitas excreverunt grandeſcente Naturâ per mendacia.

8. MUSCÆ *ungues* ſunt Aquilini, roſtrati, felibus ſimillimi. *Alas* habet diſcoloribus & minutis maculis interpictas, diſcolorum varietate conſperſas & eleganter coloratas. *Arteria* in tam exiguo corpuſculo, *oſſiculorum* commiſſuræ,

miſſuræ, *juncturæ*, *venæ*, *nervulorum* articuli & in venis ebulliens *Sanguis* conſpicitur. *Fontana obſ.* 4. *Borell. obſ.* 49. *Oculum* muſcæ 3000. cancellos habere ex *Hodiernæ* libro dicto *dell' occhio della moſca*, recenſet *Borell. obſ.* 33. *Structuram aculei* egregiè depictam ex *Hockio* exhibent *Ephemerid. Gallor. to.* 2. *p.* 484. *& pedem* muſcæ *ibid. p.* 481. *Muſcarum cadavera* vel excrementa aquâ mellita macerata, nonnihil ſuper laminam igne lento tepefacta videntur prima microſcopii ope inſenſibiles vermiculi naſci, dein aſſumptis alis ſenſibiliter in muſcillas, & tandem ad ſenſum creſcentes in perfectas muſcas. *Kircher mund. ſubterr. l.* 12. *ſ.* 2. *c.* 4. *fol.* 361.

9. ARANEUS Aprorum inſtar obarmatur mucronibus: oculi indicibili ordine diſtincti, 4. in fronte, bini in capitis vertice, alterum à lævâ, alterum à dextra corporis parte totum corpus illuſtrantes: in ore dentes aſſurgunt armati in vindictam, craſſiori pilo ſimillimi: pedes habet oſſiculorum commiſſuris & juncturis inter ſe diſtinctos, & quod ſtupendum, in pedibus habet nigerrimas ungulas aquilinis non diſſimiles. *Fontan. obſ.* 6. Oculos octo in araneo (non tamen omni) obſervavit *Borell. obſ.* 19. lunatim diſpoſitos in fronte, 6. in primâ phalange, & 2. in ſecundâ; & quidem oculos cryſtallinis ſuis munitos, unde ob acutum viſum tantâ celeritate muſcas petant. Totum corpus pilis conſutum. Telam ſuam abore depromit, caudam ſive eminentias podicis caudaceas mobiles habet. *Idem Borell. obſervatione* 20. parvo *microſcopio* obſervavit ad candelam 40. ova aranearum in telæ ſuæ marſupiolo pendentia inſtar unionum, & in iis punctum nigrum cordis principium.

10. In PULICE informi admirandæ viſuntur formæ, nempe exta & inteſtina, quæ tam mirâ arte inter ſe diſtincta, coacta & collocata, ut fidem obtrudant intuentibus. Non ſemel tenuiſſimâ acu pulicem tranſverberando, ex ejus vulnere ova proſiliiſſe, & è vitiatis ovis pullos ſemiformes in lucem editos vidit *Fontana obſ.* 2. Quid pulex niſi locuſta ſine alis, inquit *Kircherus in arte magn. f.* 156. nam natura in minimis exhibuit leones, tauros, equos, canes, feles, aſinos, aquilas, anſeres. Pulicem ſquillæ vel cancro fluv. ſimilem eſſe putat *Borell. obſ.* 12. cum multis aculeis uniformibus horrendis, præcipuè in coxis & tibiis, & caudâ ſuâ ſquammoſâ hominibus dolorem inferre. *De pinnulâ crurum pulicis*, quorum ſex habet & eorum forma ex *Hockio* conſuli poterunt *Ephemer. Gall. to.* 11. *p.* 487. §. 8. Ex *ovis* denique pulicum ingens copia emergere obſervatur, qui primò quidem candidi, mox nigro veſtiuntur indumento. *Kirch. Mund. ſubterr. l.* 12. *ſ.* 2. *c.* 7. *f.* 371.

11. PEDICULUM nemo melius deſcripſit & depinxit *Hockio in Ephem. Gall. to.* 2. *p.* 482. & ſeq. ubi ipſius oculi, pedes, pectus, roſtrum &c. delineantur. Et inſignem tranſparentiam in eo *Borell. obſ.* 11. obſervavit, cujus favore circulatio ſanguinis in ejus corde cum admiratione videatur, & ſi cum pulice conjungatur, pugna fiat quaſi duorum monſtrorum in Amphitheatro, ut & motus & ebullitiones ſanguinis ab irâ excitatæ conſpiciantur.

2. VERMICULUM emictum, magnitudine grani hordei & perſpicilio

auctum *Nic. Tulpius l. 2. obſerv. 42. p.* 171. ſic depingi curavit. Capite & binis corniculis ſcarabæo ſimilis, præterquam quod roſtrum habet acutum & glabrum. Venter ex decem articulationibus, velut geniculatim componitur, quorum ſingulæ utrinque pedem villoſum & ſcabrum, ſcarabæorum inſtar, emittunt. Cauda tribus articulationibus conſtat, quarum penultima circa ſuum finem ex parvo foramine ab utroque latere binos villos ſive pilos, ultima verò trinos emittit, à cujus medio cauda incurva ſcarabæina prominet.

13. Alium *Vermiculum idem ibid.* depingit emictum, craſſitie filum mediocre, & longitudine digiti auricularis latitudinem vix æquantem. Hic *perſpicilio* auctus Erucam apprimè refert, loricatim articulatam, capite parviſſimo acuto, antrorſum ſolùm utrinque pedibus quatuor præditam. Conferatur *Tab. ænea apud Tulp. l. a.* viſenda.

14. *Vermes muros depaſcentes* ex lapide ſtructili factos per *microſcopium* inſpexit, & obſervata circa illos deſcribit in literis *De via ad Auzutum in Ephemer. Gallic.* 22. *part.* 2. *tom.* 2. *p.* 373.

2. PISCES.

SQAMMÆ piſcium apparent lineis multis orbicularibus diſtinctæ, & in eâ parte, quâ cuti adhærent, radiis ac punctis multis diſcurrentibus diviſæ. *Borell. obſ.* 37.

3. AVES.

In *Ovi* germine per paucos dies ab incubatione totum pullum etiam parvum formatum eſſe cernimus & cordis motum. *Borell. obſ.* 18. Latius id explicat *Kircherus l. 2. de Luc. part.* 1. *c.* 10. *f.* 151. Accipe, inquit, ovum tertio ab incubatu die pertuſum, & eâ quâ par eſt induſtriâ apertum, *microſcopio* diligenter inſpice vitellum, & comparebit in eo manifeſtè cordis effigies, ad inſtar guttæ ſanguinis concretæ, viva, & mirificâ ratione ſe agitans, fibris cruentis ex eo undique tanquam è luce radiis, atque è fonte rivis deductis: nihil reliquorum membrorum apparet, niſi poſt alios 4. dies, ubi ſpinæ dorſalis è cerebro deductæ velut rudimentum & nebuloſa ſubſtantia comparet, dein ſucceſſivè reliqua membra.

2. In *Anatibus* & *Gallinis* mirabilis exiſtit vis, quâ digeſtio in iis operatur, quarum globulis è vitro cryſtallino ſolidis ſaginatarum, & ſpatio aliquot horarum mactatarum ventriculi aperti, circumdati viſi fuerunt tunica adverſus ſolem relucente, quâ *microſcopio* perluſtrata, non aliud viſum fuit, quàm vitri pulviſculus ſubtiliſſimus & impalpabilis. *Academici probantes ſive del-Cimento Florentini in ſpecimin. Natur. nxperim. fol.* 268.

4. ANIMALIA TERRESTRIA ET AB IIS DESUMPTA.

1. In *Limacibus* non ſolùm dentes acerrimi, ſed & oculi in cornibus duc-

titii; videmus nigrum eorum ab inferiore cornuum parte, ſeu à cerebro ad eorum partes ſupremas aſcendere, cùm moveri cupiunt, & greſſum ſuum dirigere, quo cornua convertuntur, aure unicâ præditi ſunt, & in eorum corpore jecur, venæ, arteriæ, aliaque multa. *Borell. obſ.* 90.

2. CARO radiis lunaribus expoſita per noctem, applicato *microſcopio* eâ parte, quam radii lunares tetigerunt, ſcatet vermiculis diverſæ quantitatis. *Kircher. de peſte ſ.* 1. *c.* 7. §. 2. *exper.* 1. *p.* 70.

3. In LARDO veteri vermes non ſolùm oculis & villis horridi, ſed & innumera alia animalcula alterius figuræ. *Borell. obſ.* 14.

4. LAC vermibus refertum præcipuè ſi acidum. *Borell. obſ.* 2. quod & *Kircherus mund. ſubterr. l.* 12. *ſ.* 1. *c.* 10. *f.* 352. *&* *ſ.* 2. *c.* 1. *f.* 357. atteſtatur, indeque cauſam reddit, quare pueri vermibus ſcateant, quia lacte frequenter veſcuntur. *Vid. & Eund. ibid. c.* 7. *f.* 370.

5. In CASEO pulvis innaſcens, prodigioſum refert animal, cui ſupercilia leniter ducta, & quaſi penicillo deſcripta, oculorum grandes orbes perſpicuè ſubnigri latumque lumen reddentes; Unguiculis & ungulis armatur, tota corporis facies eleganter colorata, reptat, vorat, ſe movet, magnitudine humanum unguem æquans, dorſum illi totum hiſpidum & ſquammis obductum, variis ſtellarum lineamentis interpictum, ſpiſſis & hirſutis obvallatur ſetis. *Fontana obſ.* 1. ejus motus & manducatio obſervatur, imò excrementorum eductio, hiſtricem æmulatur, cornicula habens, & tres in caudâ aculeos inſigniores. *Borell. obſ.* 27.

5. *HOMO.*

1. HOMINIS PARTES.

1. In *Epidermide* humanâ fragmenta reticulata apparent. *Borell. obſervatio* 88.

2. *Cutis* fœminarum etiam læviſſima, hirta, horrida, & quaſi ſquammata apparet. *Borell. obſ.* 97. in poris ubique ferè pili. *Idem obſ.* 13.

3. CAPILLUS Humanus *ſpecilio* ſuppoſitus orbiculatam & alveatam refert zonulam, imò evulſo pilo ſpectantur pori & meatus cutis per quos ſudor & pili erumpunt, imò craſſus & terreſtris humor, & viſcoſa capilli radix. *Fontan. obſ.* 8. Capilli concavi & ut canales pertuſi ac perforati, adeò ut pennas avium repræſentent, & in iis varii colores & quaſi Irides. *Borell. obſ.* 23. Eandem cavitatem pilorum aſſerit *Panarol. pentic.* 4. *obſ.* 34. *Th. Bartholin. Anat. Reg. l.* 4. *c.* 1. Rotundos verſus extrema craſſiores eſſe quàm circa radicem, & ab uno extremo ad alterum eſſe excavatos perinde ac cornu aliquod, aſſerit *Hockius in Ephem. Gall. tom.* 2. *p.* 485.

4. LENTES capitis videntur ova egregiè conglobata, eaque ſucculenta & diaphana. *Borell. obſ.* 10.

5. In NASI poris multorum hominum vermes inveniuntur hoc *inſtrumento*, capite nigro, tamquam araneæ in foraminibus deliteſcentes. *Borell.*

obſ. 30. unde ratio dari poteſt, cur pruritus inſignis naſi in Infantibus, qui vermibus laborant.

6. *Digitorum* lineæ ferè inviſibiles inſtar ſulcorum agri ſordibus multis ſcatentes reperiuntur. *Borell. obſ.* 13. & hoc Inſtrumento Chiromantiæ lineæ latentes deteguntur. *Idem obſ.* 94.

7. *Ungues* adeò hiantes videntur, ut non malè rictum feræ maximum æmulentur. *Borell. obſ.* 40. In iis venulæ inter ſe diſtinctæ à natura ſecernuntur, juxta pororum figuras. *Idem obſ.* 76.

8. In PARENCHYMATIBUS, CORDE, PULMONIBUS, HEPATE, RENIBUS videtur plexus organulorum & fibrarum quaſi cribra, quibus variæ ſubſtantiæ à naturâ ſecernuntur, juxta pororum figuras, *Borell. obſ.* 76.

9. *Sanguis Humanus per microſcopium* verminoſus apparet. De quo ſingulari obſervatione.

10. In RENIBUS per univerſam mammillarem ſubſtantiam ſerum ab innumeris foraminulis & poris in pelvim effundi aſſerit *Laurent. Bellinus de ſtructurâ Renum p.* 68. Hæc filamenta ab altero illarum extremo, pelvim ſcilicet ſpectante, ſi comprimantur & inſpiciantur, aquam uberrimè proſilientem exhibent: diſcitur hoc multò faciliùs, ſi oculo *perſpicilium* admoveatur, tunc enim compreſſis tabulis prodiens urina quaſi ex tot ſiphunculis effuſa apertiſſimè aſpicitur. *Ibid. p.* 70.

11. *Oſcula* ex arteriâ deſcendente in emulgentem & ſanguinem ad *renum* ſuperficiem per ſubtiliſſimas arteriolas deportatum effundentia non patent, aut ſenſu percipiuntur, reperiri tamen & ratio ſuadet, & *perſpicilium* confirmat. *Bellinus l. a. p.* 75.

12. In *Linguæ* eminentiis, in quarum fundo ſunt nervi, cum *microſcopio* plura plana foramina invenit *Idem Bellinus Florentinus* pro guſtûs organo conſtituendo in *tract. de guſtûs organo, & ex eo Ephem. Gall. tom.* 2. *p.* 460.

13. NERVOS eſſe corpora compacta & firma, demonſtrat *Willis* ope *microſcopii in deſcriptione nervorum c.* 19. *p.* 179. *edit. Amſtel.* Verba ejus hæc ſunt: Nervorum ductus non uti arteriæ & venæ perforati exiſtunt, nam illorum compages non modò ſtylo cuivis impervia eſt, ſed & perſpicilii ſive microſcopii applicatio cavitatem nullam hic adeſſe confirmat. Et quamvis *l. c.* & deinceps *p.* 206. nervos olfactorios æquè ac opticos pro tubulis habeat, ipſis tamen cavitates non qua nervis propriè, ſed propter, aliud hoc eſt propter influxum ſpirituum animalium competere aſſerit.

2. *MORBI HOMINIS.*

1. *Peſtis* tempore aërem refertum eſſe vermiculis, qui reſpiratione deglutiantur, & ex aëris corruptione naſcantur, ex *Alſtedio* adducit *Borell. obſ.* 79. Pariter *Kircherus de peſte, ſ.* 2. *c.* 4. *p.* 239. vermiculos ſtatuit peſtis propagatores, licet tam tenues, tam ſubtiles ſint, ut non niſi exquiſitiſſimo *microſcopio* ſub ſenſum cadant, atomi potius dicendi, tantâ tamen pullulagine, ut ſub ſenſum non cadant, qui ſudoriferis ex corpore extruſi leviſſima aëris agitatio-

ne concitati diffluunt, in quodcunque obvium incurrentes, illi tenaciter adhærent, & in intimos poros ſe inſinuant. *Idem* aſſerit *Dn. de Monconnys in Itiner. Tom.* 1. *p.* 178. quod in puſtulis peſtilentialibus inſignis deprehenſa fuerit parvorum inſectorum copia, quæ cum natæ ipſis ſunt alæ, avolant, & undiquaque contagioſum illum morbum apportant. Nam cum omnibus animalibus & plantis Natura proſpexerit maximâ copia inſectorum parvulorum inſenſibilium deſtinatorum ad exſugendas & attrahendas impuritates & corruptiones viventis tanquam emunctoria Naturæ; fieri putat, ſi atomi, ut ita dicam, animatæ extraordinario modo ſe multiplicent, aut grandiores fiant per aliquem ſingularem exceſſum, quod morbi Epidemici oriantur inter animalia.

2. *In Febribus puncticularibus* vermiculi videntur vaſa capillaria perfodere, atque ſic unà cum ſanguinis extravaſatione maculas & petechias producere. *D. Hauptman Epiſt. ad Kircher. de viva mort. imag. p.* 200.

3. *Variolarum* puſtulas nihil aliud eſſe quàm verminoſorum effluviorum conceptacula ac hoſpitia aſſerit *D. Chriſtian. Lange in diſp. de morbill.* §. 59. qui vermes cum acoris habeant figuram communem, §. 68. quique multipedæ, acutiſſimis roſtellis inſtructi cutaneas partes accedentes & mordicantes dolorifico pruritu humorum affluxum excitent. *Id.* §. 69. In variolis vermes quoque *Borell. obſ.* 31. ſtatuit.

4. *In Scabie* ſimiliter videntur vermes. *Borell. obſ.* 32.

5. *In Scabie Venereâ* vermes Limacum inſtar tantæ fœcunditatis vidit *Kircher.* ut intra dimidiam horam ad 50. alios ſimiles ſibi partus effuderit. *L. XII. mund. ſubt. ſ.* 1. *cap.* 10. *f.* 352.

6. *In* CALCULOSIS arenulæ albæ per *microſcopium* viſæ opacæ ſunt, non diaphanæ, aſperrimæ & pungentes, cùm extremitates ſint acuminatæ, ſubſtantiâ ſimiles fragmentis lapidis Tiburtini. *Rubræ* verò ſive *flavæ*, lapides pretioſos nempe Sardonium repræſentant, læves, figura ovali, aut rotunda & friabiles. *Panarol. penticoſt. IV. obſ.* 35.

7. *In Gonorrhœâ* affecto balano inſectulum limaciforme inventum fuit. *Borell. obſ.* 53.

Et *hæc* de *Microſcopii* mirandis obſervationibus ex Authenticis Authoribus adductis enarraſſe ſufficiat.

* * *

OBSERVATIO XIV. PHYSICA.

D. SALOMONIS REISELII.

SERPENS in ſtomacho Cervi PETREFACTUS.

Vide Tabul. Æneam. I.

CUm hactenus aliquot Epiſtolis mentionem fecerim *Serpentis in ſtomacho Cervi petrefacti*, qui inter rariora Illuſtriſſimi Comitis Hanoviæ in Muſeo aſſervatur, nunc *plenariam deſcriptionem* unà cum *genuina delineatione* propriâ manu factam, & à Gen. Comite clementer conceſſam tranſmittere volui.

FIGURA *ipſius talis eſt*. Quatuor digitos eſt longus, tres latus, in medio ubi latiſſimus eſt, varias extuberantias ſinuſque varios, à fruſtis hîc flaccidis quaſi, illic plenioribus contortis, chylo herbaceo impactis & prominentibus formans, altero fine acutior, altero latior, in medio utrinque fruſta quædam protendens, inter quæ tamen neque caput, neque cauda dignoſci poteſt: ut hîc *Burrho* deſcribenti credere poſſis, quando Figuram ipſi flexuoſam aſcribit, quaſi trochiſci ſerpentis in ſtomacho adhuc ſemivivi & ſe contorquentis ſubriguiſſent. Cui tamen de viva contorſione vix adſentiendum puto, quod multa minutim conciſa fruſta & vel digitum ſaltem longa apparent. Hinc reſpondeo Dubio *Diſſertationis Epiſtolicæ* & *Reſponſoriæ*, dicens non coaluiſſe iterum commorſas partes, ſed conglutinatas tantùm chylo ſuperfuſo. In *adjecta Figura hâc* duæ ſunt *facies*: *ſuperior* una, quæ commorſas partes altius erigit, & inæqualis eſt; *altera inferior* magis plana & quaſi ſecundum concavitatem ventriculi ſeſe efformans, uti quidem conjecturam facio.

PONDUS, quando anno 1668. menſ. Decembr. rurſus fuit ponderatum, habuit Uncias XXiij.

Quod Dn. *Dn. Joan. Vvolfgangus. Cranzius* Illuſtriſs. Comitis Hanov. Archiater de Petrificatione incœpta, nondum penitùs perfecta ſcripſerit, verum eſſe mox patebit. Hujus verborum ſenſus, ut in Germanicis ad me Litteris ſonat, *Daran noch merctlich der zuſammen gerollten Schlangen.* corpus *an theils Ortenzu ſehen Gammarologiæ* verbis *p.* 183. an ſatis expreſſus, neſcio, ubi vertuntur, hinc inde clarè apparere quibuſdam in locis, quomodo ſerpentis fruſta in unum globum coaleſcere tentârint, unde & *Ejuſd. Gammarol. p.* 185. non adeò rectè concluditur, partes quaſdam intactas reliquit fermentum duriore quotidiè cortice penitùs undiquaque veſtiendas. Namque attentiùs mihi conſideranti, limaque & ſcalpro tentanti, *omnia fruſta* majora & minora ipſius ſerpentis, ubi non ſunt tecta & ſepulta ſeu gypſeo ſeu lapideo chylo, ubique durâ, ſplendente, ſquamoſa, ſeu verius ordinatis granulis diſtinctâ, nigricante & ferè ſui coloris; paulò tamen obſcurioris quam vivis ineſt ſerpentibus, *cute* armata apparent. Hæc verò ſi abradas; molliorem intus oſtendit carnem cum fibrulis ſuis [niſi me fallit *Microſcopium*] petrefactam tamen & minùs nigredine tinctam, ut hanc potiùs *Mumiam*, *quàm Lapidem* dixeris, eamque cortice lapideo incruſtatam, quia hæc faciliùs, ille difficillimè abradi poſſet. Exſiccatio enim ſola mumiæ hîc locum non habuit propter putrefacientem calorem ventriculi. Ipſe autem circumfuſus & ferruminans *Chylus* exterius quidem nitet duriore tegmine, intus verò fragilior, gypſum ſeu calcem, illam tophaceam materiam refert, quæ in fornicibus & cellis deſudans adnaſcitur, & in ſtirias formatur.

In rima aliqua, quæ aſteriſco in delineatione notatur, ubi oblongius fruſtum alteri impoſitum à Chylo minùs firmiter agglutinatum eſt, cedit hoc manui moventi & flectitur parum, ut inde non ad medullam uſque induratum conjicere oporteat. In hâc figura videre licet aliquot herbarum fibras mobiles, ubi chylus quoque ipſe obſoleto colore minus nitet ut extrà. Et hîc imprimis *Odorem* ſpirat amabilem, & qualem vel Bezohar vel Unicornu incluſum, aut aliæ fragrantes alexipharmacæ herbæ ſolent, quando in reliquo corpore propter firmatam cutem & effluvia odorifera detinentem minus ſentitur, niſi ubi chylus hinc inde abraſus eſt. Hunc odorem etiam *Burrhus*, nempe carnis ſerpentinæ & vegetabilium permixtorum exſpirantem odoratus eſt.

De modo & mora petrificationis dubium hæret. *Dn. D. Major* quidem *p.* 25. *de cancr. & ſerpent. petrefact.* putat Serpentis naturam prius deſtructam & utrimque corruptam fuiſſe, poſtà petrefactam. Et *ibid.* Petrefactionem non momentaneam contigiſſe, vel probandum eſſe ſerpentem eodem, quo deglutitus eſt à Cervo, tempore, & induruiſſe ſimul, & ſaxeum ab hominibus in Cervo eviſcerato inventum fuiſſe. Ego vero *petrificationem* (ſalvo aliorum Judicio) *ſubito factam* conjicio, probandumque prius monſtratur ex forma cutis non deſtructa, plena etenim pleraque ſunt diſcerpta fruſtra, & quaſi recenter exſiccata, ita etiam ut labia vulnerum crenata & recurvata adhuc videam, longiuſcula verò compreſſa, contorta & reflexa. Confirmant momentaneam congelationem, quod inferiore facie æqualior & complanatior ſit, quaſi ad modulum ſtomachi; in ſuperiore vero inæqualior, fruſta ac ſi ſemiviva & ſe contorquentia ſubriguiſſent, prominere erectiora & anguloſiora faciat, vel propter immiſtos alios cibos ſeu fructus ſeu plantas (quibus eviſceratus adhuc tegebatur) quando & ſuperius maculis viridibus & fuſcis plus diſtinguitur, quam inferius, ubi à chylô magis cocto & ſubſidente molliore plus pallet ſeu albicat. Colliquationis tamen initia poſſes alicubi concedere, ſeu attritionem ſeu polituram in lævigatis tuberculis, præſertim ubi longius prominent, nullam certè putredinem agnoſcere, niſi illud à motu & rotatione diutina in ventriculo evenerit. Probat poſterius omni exceptione major, vivus teſtis *Illuſtriſſimus Comes* ipſe, qui trajecit Cervum, qui hoc ipſo Decembri anno 1668. non majore duritie agnovit, quam fuit in prima eviſceratione ſtatim inventus.

Colore accedere naturæ Bezoartici Lapidis *D. Cranzius* p. m. inquit. Verum eſt, præſertim Orientali, & qui magis nigricat & politus eſt, iis nempe in locis, ubi ſerpentis fruſta nuda ſunt, quamvis cretam non tingat virore, ut verus Bezoar, verum chylus affuſus palleſcit modo fuſcedine, modo flavedine, modo virore quodam ſua herbarum principia oſtendens.

De *Ætate* hujus *Cervi* notandum, quod hic Cervus cum adhuc recens natus ſeu pullus eſſet Babentruſam delatus, liberè nutritus & educatus ſit, hinc cum petulcus fieret, intra muros caſtri incluſus ſex ferè annorum, totidem cuſpidibus armatus, transfoſſus eſt admodum pinguefactus, ut nullum ipſi cervo incommodum à ſuo hoc fœtu veniſſe videas.

Quoad *Speciem ſerpentis*, è vulgaribus non eſt noſtris, quantum ex forma cutis cognoſcere licet, quandoquidem nullæ, ut in illis ſunt, interſectiones ventris notantur, ſed ubique eſt minutiſſimis granulis ſeu tuberculis æqualiter & ordinatè exaſperata exuvia, inſtar lacertorum, ut potius Natricum aut viperarum ſpeciem conjicias. Major eſt cæcilia, & cutis illius aſperior: minor noſtris vulgaribus ſerpentibus, ſi adultum credas eſſe, menſe ſcilicet Octobri, & forte paulo antequam eſſet necatus cervus, devoratum, niſi velis fuiſſe aliquem è junioribus.

A quo itaque tam *efficaci principio* tam ſubita converſio, inquirendum ſagacioribus relinquo: nullas ſanè ſi ad externum ſpiritum Salis confugias, ſalinas aut minerales aquas Babenhuſæ, ubi vixit Cervus, audio, paludoſus etenim eſt locus. Dignam Curioſo ſæculo *Hiſtoriam brevi hoc Epigrammate* concludo:

Victurus ille detrahens ſenectulam
Æterna *Serpens* ſecta, dum comeſtus eſt
Ab ore *Cervi* pro juventæ pharmaco,
Juvante ſucco *Plantæ* Alexipharmacæ,
Ceu *Balſamo* conditus atque conditus,
Poſt fata factus ipſe vitæ *Balſamus*,
Virtute par majorve Bezoarticis.
Figente namque ſpiritu, liquamine
Sub gypſeo ſepultus inſtar marmoris,
Rigere nigrâ cernitur flavedine.
In carneo tumbo cadaver ſaxeum
Servatur intra Rariora Hanoviæ
Cimelium Illuſtriſſimi rariſſimum,
Et durat altiora ſaxo ſæcula
Honore, fame, laude glorioſius,
Quam ſi reconditum teneret *Corniger*
Adhuc, ſuo ſibi bono an gravidus malo.

[D. *Salom. Reiſelius in Epiſtola Hanoviâ Vratiſlaviam miſſa ad D. Phil. Jac. Sachs à Levv.*]

SCHOLION.

SCHOLION.

Ut eò clarior fiat hujus obſervationis Hiſtoria, paucis repetenda erit ab ovo, quod dicitur, & licèt alibi jam narrata fuerit, tamen bis recoquenda crambe. Anno MDCL. 8. Octob. *Illuſtriſſimus Comes Hanovienſis ſecundo genitus Joannes Philippus* in Urbis ſuæ *Bohenhauſen* pomœrii foſſa confodit *Cervum* cujus in ventriculo dum exenteraretur *Serpens comeſtus & lapidea cruſta contectus* inventus fuit, cui exenterationi & venationi cum *Comite* præſentes fuerunt *Locumtenens Brunnerus*, & tres venatores *Georgius Almannus Spergerus, Joan. Lachmundus* & tertius *Anonymus*. Relatus itaque eſt ob raritatem in Muſeum nominatiſſimum FRIDERICI CASIMIRI *Comitis Hanoviani*. Primam hujus mentionem mihi Litteris fecit Dn. *D. Martinus Chriſtophorus Mezger*, tum temporis *medicus Poſonienſis*, nunc *Phyſicus Ratisbonenſis* meritiſſimus, in Litter. 1662. 25. Octob. ad me Poſonio datis Authoritatem adducens Exc. *D. Luberti Erbenii Archiatri R. Poloniæ* olim, poſt *Protomedici Exercituum Cæſareanorum*, inventum ſcilicet in *Cervi* transfoſſi *ventriculo ſerpentem petrefactum*. Eam Hiſtoriam tanquam maximè curioſam communicavi cum Exc. *D. Joan. Dan.* MAJORE tum temporis *Medico Hamburgenſi*, jam vero *Reverendiſſimi & Celſiſſimi Principis Holſatiæ Epiſcopi Lubecenſ. Archiatro*, & in *Chilonenſi* Academia *Prof. Publ.* meritiſſimo, *Collegâ Curioſo*, qui ex hac Occaſione *Diſſertationem* edidit 1664. *de Cancris & Serpentibus petrefactis*, ubi varia de hoc ſerpente *p.* 11. 12. 23. 24. 25. 28. 29. cui *Ipſe Reſponſionem* quandam de *miranda Lapidum Natura* regeſſi, ubi quoque de hoc ſerpente *pag.* 60. 61. Interim ulterius hujus Hiſtoriæ certitudinem aliquot Litteris confirmavit ante laudatus *D. Salomon Keiſelius*, Archiater Hanovienſis *Baxovillæ*, nec non poſt ipſum *D. Joan. Vvolfgangus Cranzius* Archiat. Hanovienſis Hanoviæ 1664. 25. Aug. cujus verba adduxi *in Gammarolog. mea Curioſa pag.* 182. *ſect.* 1. *cap.* 8. ubi de hâc Hiſtoria plurima notatu digna *à p.* 177. *uſque* 185. *Franciſcus Joſephus Burrhus* Philoſophus, Patritius & Eques Mediolanenſis ad petitum Illuſtriſſimi Comitis Hanovienſis Amſtelodamo 1661. 25. Octob. judicium ſuum de hoc ſerpente perſcripſit, quod *ex Epiſtola Hanoviæ* typis impreſſa deſcriptum *Gammarologiæ* inſerui *p.* 179. *& ſeq.* & paucis verbis ſerpentis hujus mentionem facit quoque *Athanaſ. Kircherus in Mund. ſubterran.* L. 12. *ſect.* 4. *c.* 5. *f.* 417. quando inquit: Audio Comitem Hanovienſem Lapidem tenere, *ſerpentis* in ſpiras convoluti formam exprimentem, *intra Cervi ſtomachum* à venatoribus *repertum*, quod facilè ſibi perſuadebit, qui cervorum in ſerpentibus venandis Naturam non ignorârit. *Hæc Kircherus.*

[*D. Phil. Iac. Sachs, à Levvenheimb.*]

OBSERVATIO XV. ANATOMICA.

D. GEORGII SEGERI.

PHTHISICI Pueri Anatome.

ANno 1666. menſe Decembri Puer Nobilis duodecim circiter annorum Civitatis Thorunenſis Viri Conſularis Filius unicus, poſt plurimarum hebdomadarum decubitum Phthiſi extinguitur, cujus interiora permiſſu Ampliſſimi Parentis luſtravimus. Aperto thorace Mediaſtinum putrefactum fruſtulatim apparuit. Pulmo albicans innumeris puſtulis undique ſcatebat, quæ diſciſſæ craſſum pus fundebant. In Pericardio ultra 12. cochlearia aquæ citrinæ fluctuabant. Cor flaccidum, omnique ſanguine vacuum conſpiciebatur. Reſerato abdomine in Hepate & Liene præter inſuetum pallorem etiam plurimæ puſtulæ albicantes obſervatæ, quæ diſciſſæ glandularum ſubſtantiam æmulabantur. Inteſtina ſolis flatibus diſtenta innumeras habebant maculas lividas & luridas. Reliqua ob ſupervenientis Amitæ tergiverſationem contemplari non conceſſum. *Ita enim noſtri abhorrent à ſectione Cadaverum, ut rariſſimè, nec niſi ſingulariter perſuaſi eam admittant. D. Segerus in Litt. ad D. Sachſium Thorunio Vratiſlav. datis.*

SCHOLION.

Quod Exc. *Segerus* conqueritur *de difficultate impetrandi demortuorum* vi morbi *Cadavera*, & rimandi in abditas ſæpe ſymptomatum cauſas, id per Germaniam ferè commune malum eſt, & querimonia, qui nimium ſæpe in demortuos religioſi ſunt, cum tamen ſæpius inventâ genuinâ cauſa, quam ſtochaſticus Medicus Rationalis in vivis non ſemper certo aſſequi poteſt, multis aliis ægris Sanitas deperdita eò feliciùs reſtitui poſſit. Licet etenim quidam ex vulgo clamitent morbi ſævitia enectos non demum poſt mortem eſſe excruciandos, alii verò objiciant cadavera humana non ita laceranda & dilanianda cum ſepeliendi ritus apud omnes ferè gentes ſacroſanctus habitus fuerit: iis tamen reſpondendum, cadavera iſta, hoſpite ſuo jam viduata, nihil ſentire amplius corruptioni jam dicata; abſit etiam, ut ſepulturæ honorem profanet iſta apertio, cum artificioſa ſectione non ſolùm membra, quæ in Probis fuerunt organa Spiritus Sancti, monſtrentur, & magnalia Dei prædicentur, ſed & fruſtula illa Terræ ac ſi integra adhuc fuiſſent, communi noſtræ Matri tradantur. Quin & corpora ſummorum Imperatorum, Regum, Principum aliorumque Magnatum à multis jam ſæculis, plerumque eviſcerantur, & membra ſcrutantur ferro, ut Balſamationi ſeu conditura odoriferæ fiant aptiora, qui mos uti apud Ægyptios maximè familiaris fuit, atteſtantibus hoc ipſorum *Mumiis* prope Cairum copioſè inventis in cryptis ſubterraneis (de quibus præter alios innumeros ſingularia habent recentes orientis luſtratores *Petrus de la Valle Roman.* in *Itinerar. Turcico* Epiſt. 11. *à pag.* 309. *Edit. Venet.* uſque 323. & *Dn. de Monconys in Itinerar. Tom.* 1. *p.* 185.) ita etiam apud Chriſtianos inolevit ab Annis plurimis, plurimis in locis apud illos, qui in lauta fortuna ſunt conſtituti. Hinc laudandum præprimis *D. Joan. Jacob. Vvepferi* Poliatri Schafhuſani inſtitutum, qui indultu Magiſtratus aſſumptis Sociis Laborum *D. Chriſtophoro Hardero*, *D. Friderico Lucio Screta*, *D. Emanuele Hurtero* Schafhuſi jam ab aliquot annis varios morborum impetu exſtinctos ægros aperuit, & morborum veras cauſas inveſtigavit. Inde prodiit in Lucem Prodromi quaſi Loco *Tetras Hiſtoriarum Apoplexia extinctorum*, Schafhuſ. 1658. ad inquirendum genuinum locum affectum in Apoplexia: & maximè optandum, ut reliquæ hiſtoriæ per ſectiones varias ab Ipſo notatæ (quas citat *in præfat. ad Lector.*) demortuorum lethargo, mania, ulcere gulæ in aſperam arteriam pervio, pleuritide, phthiſi, palpitatione Cordis, febribus hecticis, hydrope pectoris, empyemate, ventriculi diſtenſione maxima cum tunicarum incredibili tenuitate, ejus ulcere, dyſenteria, ileo, inteſtinorum vulnere, hydrope, aſcite, renum ulcere, menſenterii apoſtemate, calculo veſicæ, ejus ruptura, hydrope uteri, difficili partu, ſuffocatione ab utero, tandem multorum in commodum typis mandarentur, non minus quàm *D. Hurteri* hiſtoria, qui in vicino Schafhuſi pago diſſecavit puellam ſine cerebro inventam. Et Medicis optimo jure conceſſum in populoſis Urbibus *Pariſiorum*, *Amſtelodami*, *Lugduni Batavorum*, *Patavii*, *Romæ*, *Neapoli* alibique morbo enectorum corpora aperire & in cauſas rimari. *Ballonii* diligentiam in morbidorum cadaverum diſſectione extollit *D. Thomas Bartholinus in defenſ. dub. de Lact. Thorac. contra Riolan. c.* 2. Plurimas tales Hiſtorias Ipſe *Bartholin.* annotavit ſparſim reperiendas *in Centuriis* ſex ſelectiſſimarum Hiſtoriarum Medicarum & in Epiſtolis medicis, & *D. Petri Pavv* Prof. Anat. Lugd. Batav. collectas *Idem* publici Juris fecit *Iacob. Bontius* Med. Amſtel. eandem ſedulitatem exercuit in diverſis Indiæ Orientalis locis, demortuorum Indorum corpora poſt mortem diligenter inſpiciendo, & *L. III. Hiſtor. Natur. Indic. à ſe* editæ inſerendo ea, quæ curioſa obſervavit; quem laborem Pariſiis quoque *Ioan. Chiffletius* proſecutus eſt obſervationes Pariſ. 1612. edendo. Recentioribus annis *Ioannes Faber Bamberg.* Romæ Profeſſor vix trigeſimum annum egreſſus centena diverſi ſexus & ætatis humana cadavera ſecuit, quem rarum theſaurum in Poſteritatis commodum proditurum promittit *Leo Allatius in Apib. Urbanis p.* 157. Meminit *ipſemet* Faber Eorundem in *Expoſition. Anima L. Novæ Hiſpaniæ Nardi Antonii Recchi. p.* 492.

Et *Petr. Caſtellus* Prof. Meſſanenſis in Sicilia ſcripſit *Sepulchretum* ſeu Anatomicas obſervationes, quas in Centum cadaveribus ſectis, dum eſſet Romæ Profeſſor, notavit, teſte Eodem *Loone Allatio* l. a. Earumdem *Obſ. Anatom.* è demortuis meminit *Ipſe Caſtellus in Indic. Libror. proprior. Antidotario Romano ſubnexo*, & *in lib. de opt. med. ſect.* 6. *p.* 12. ducentas illarum eſſe, aſſerit. *Marci Antonii Vvlmi* Obſervationes Anatomicæ diſſectorum à ſe & ab aliis humanorum corporum, qui ex morbis perierunt, ab *Ipſo* citantur *in Elencho operum ſuorum libro de Utero muliebri præfixo.* Talem Anatomen mortuorum diu ſe meditatum eſſe fatetur *Th. Barthol. Gent. IV. Epiſt.* 93. *p.* 546. ſed vereri ne cum illo moriatur: Simile opus *Harveio* in mentem veniſſe *Exercit. l. ad Riolan.* teſtimonium deduci, ſed nihil tale in publicum emiſſum quod dolendum, & forte cum aliis Lucubrationibus Cedro dignis furto ſurreptum eſſe: (de qua jactura operum ſuorum conqueritur in *Exercit.* 68. *de generat. Animal. p.* 442. Optandum ſanè, inquit *Barthol. l. a.* ut ad hanc Curam ſe Proſectorum Induſtria demitteret, quibus in Noſocomiis cadaverum copia ſuppetit. Laudes hujus Anatomiæ recenſet *Deodatus* in *Valetudin. p.* 117. Ego unam hanc Anatomen plus facerem, quàm centum alias, concludit. Ob hanc Utilitatem ſectionum in cadaveribus, curioſi poſthac erunt ſtrenui Collectores, ut tales Hiſtoriæ Ephemeridibus hiſce inſerantur, ſi modò Magiſtratus indulgentia, & Exercitatiſſimorum Medicorum favor & promptitudo in communicando conatibus noſtris conſpiraverit. [*D. P. I. Sachs à Levvenhiemb.*]

OBSERV. XVI. ANATOMICA.

D. GEORGII SEGERI.

RENUM & VESICÆ EXULCERATIO CUM Calculo Veſicæ.

ANno 1668. menſe Maio Henricus Hendrichdorf, Adoleſcens novemdecim annorum, poſtquam per bene longum tempus immenſis doloribus circa Veſicæ & ſiniſtri Renis regionem, Vomitibus frequentibus & dolorifica Urinæ excretione mirum quantum excruciatus fuiſſet, nec remedia tam interna quàm externa, ipſæque injectiones in Veſicam quicquam ſolatii attuliſſent, moritur. Hujus Abdomine cultello recluſo, ob ingentem fœtorem ſeſe poſt ſectionem exſerentem, rectà ad ipſum locum affectum acceſſimus. Ubi primum in exteriore & ſuperiore Veſicæ ſuperficie inſolitus ſinus pugni magnitudine conſpicuus erat, quem in membranis illis efformaverat pus, quod diſciſſo ſinu cum fœtore affatim diffluebat. Inde acceſſimus Renem ſiniſtrum, ex eo enim pus illud in dicto ſinu inventum deſcendiſſe meritò ſuſpicabar. Totum autem Renis illius parenchyma erat ſuppuratum, imò in pus planè converſum: unde tunicâ illius ſcalpello ruptâ pus fœtidum in Abdominis civitatem copioſè effluxit. Properavimus inde ad veſicam urinariam, cujus cavitas nullam Urinam, ſed ſolum calculum exactè rotundum, aſt nimium aſperum ſeſquiunciam ponderantem, continebat. Interior verò tunica tota, & quidem ſatis profundè erat exulcerata, quod à calculi aſperitate eveniſſe reor. Reliquas partes luſtrare immenſus fœtor prohibuit.

[*D. Segerus in Litt. Thorunio Vratiſl. miſſis.*

OBSERVATIO XVII. CHYMICA.

D. PHILIPPI JACOBI SACHS à Levvenheimb.

AURUM CHYMICUM.

Vid. Tab. æneam I.

CHRYSOPHILI certant, an adhuc ſub Judice Lis ſit.

NUM aliud aurum præter id, quod Natura in intimis terræ viſceribus excoquit, per novercantem artem produci poſſit Naturali prorſus analogum, aut, quod Philoſophi per Ignem & Adepti volunt, multò excellentius? Sunt plurimi, qui id *abſolutè negant*, & variis rationibus ducti, & exemplis tot Impoſtorum territi. Sic etenim *Marcus Bragadinus Mamugna* dictus, ex Creta oriundus, olim Capucinus, poſt vitæ oſtentatione multiplicandi Auri artem callere creditus, Venetiis in Ædibus Jacobi Contareni Patricii fucum faciens, aliquali tranſmutatione ficta Anno 1590. Monachii Ducis Bavariæ juſſu ſecuri percuſſus eſt. *V. Thuan. tom.* 3. *hiſt. l.* 99. *c. fin.* Sic *Jo. Henricus Mullenfelſius* Barbitonſor, (qui innocenti Sendivogio inſidias ſtruxerat) ob detectam fraudem infamis Ligni appendix factus eſt, & contubernalis furum in crucibus. *V. Blavenſtein contr. Kircher. de Lap. Philoſoph.* 4. Eandem Fabulæ Cataſtrophen ſortiti fuerunt alii tres Aurifices Anno 1591. notante *Mart. Zeilero Cent.* 1. *Epiſt.* 9. *p.* 42. Nota hiſtoria & ſingulari tractatu confirmata eſt, de quodam deſtinato Crucis Candidato, qui Magnum Ducem Hetruriæ pulveriſato Auro & Crucibulo injecto, ſub nomine *pulveris Uſufur*, circumvenit, non minus quàm alius Sycophanta, qui Erneſtum Marchionem Badenſem, Auro itidem pulveriſato & à Rizotomo ſub nomine *pulv. Radicis Reſcho*, emendo circumvenit, quam poſtremam hiſtoriam deſcribit *Kircher. in mundo ſubterr. l.* 11. *ſ.* 2. *f.* 281.

Adducunt varias talium Impoſtorum ſtrophas & fallacias, dum 1. *alii* baculos Ligneos quibus metalla circum agitant prius in ſolutiones auri & ☽ intingunt, & iis imprægnant. 2. *alii* Carbones pulveriſatos Solut: ☉ & ☽ cum metallis miſcent. 3. *alii* atramentum ex ☉ & ☽ temperant, cum quo inſcribunt Chartæ materiam reducendam. 4. *alii* in Charta ſcriptas litteras loco arenæ cum Calce ☉ & ☽ aſpergunt. 5. *alii* tigillos adhibent cum duplici interſtitio quorum inferius ☉ vel ☽ repletum, illudque in operatione diſrumpunt. 6. *alii* baculos adhibent internè excavatos & ☉ vel ☽. repletos. 7. *alii* carbones implent ☉ iiſque tigilla cooperiunt. 8. *alii* clam ſumma celeritate manibus ☉. vel ☽ injiciunt. 9. *alii* loco ☿ comm. ſumunt amalgama ☉. & plures alii modi, quos Ingenium nequiſſimorum excogitat, recenſentur à *Crugnero in Informator.* Chymico p. 53. *Kircher. in mund. ſubterr.*

l. v f. 281. *& Michael. Mejero*, qui in *Examine Fucorum Pſeudochymicor. ultra* 29. alias deſcribit technas *à p.* 32. uſque 37.

Adducunt *negantes* quoque tantam Chymicorum diſcrepantiam, quòd magna animi contentione ſerram trahant invicem reciprocam in conquirenda materia, dum alii Sulphur; alii Vitriolum, alii ☿ in maſſam aluminis congelatum, alii Arſenicum, alii ☿ non communem ſed qualem Sol rediens menſe Martio ubique diffundit, & menſe Octobri maturus colligendus ſit (verba ſunt ex *Fonte Chymico Philoſoph. p.* 90.) quidam etiam materiam viliſſimam quærunt vix aliquot obolis conſtantem. *Inde Kircher. in mund. ſubterr. l.* 11. *ſ.* 2. *c.* 1. *f.* 250. media vult via incedere, & neque Chryſopœiæ ἀδυναμίας neque etiam eo modo fieri quo Alchymiſtæ illud produci exiſtimant, ut ſit genuinum & naturali multo nobilius puriuſque vult aſſerere, rejicitque Lapidis operationem, quæ conſiſtit in Calcinatione Rerum, in 4. Elementorum ſeparatione, in Conjunctione, Putrefactione, Coagulatione, Cibatione, Sublimatione, Fermentatione, Circulatione, & tandem Projectione. Sed contra hanc Kircheri ſententiam acerrima arma ſumit *Salomon de Blavvenſtein in Interpellatione brevi ad Philoſophos contra Alchymiſticum mund. ſubterran. apud Bernates* 1667. *edita*, nec non *Valerianus Bonvicinus in Lance peripatetica, qua vetus Arcani Phyſici veritas appenditur & Authoris mundi ſubterranei nova objecta revocantur ad pondus.* Mitius eundem Kircherum oppugnat *Zvvôlffer: in Mantiſſ. Spagyr. part.* 1. *c.* 1. *f.* 324. *Innumeri contra Tranſmutationem aſſerunt*, & quis enumerare poſſit *Turbam* iſtam *Philoſophorum*, quæ pro certitudine Lapidis depugnat, & præparationem docere conatur? Catalogum eorum exhibet ex Arabibus, Græcis, Hiſpanis, Gallis, Italis, Anglis, Germanis *Joan. Dan. Mylius in Tract. III. Baſil. Chym. præf. l.* 1. eorumque ſcripta enumerat *P. Borellus in Bibliotheca Chymic. Pariſ.* 1654. *in* 2. *edit.*

Noſtri inſtituti non eſt tantorum Virorum tantas componere lites, nec adducimus elapſorum ſæculorum teſtimonia, & *Raimundi Lullii. Arnoldi Villanovani*, *Paracelſi*, *Michael. Sendivogii*, *Anton. Bragadini Veneti*, *Treviſani*, *Turnheiſeri* aliorumque, quos fama refert *Aurum Chymicum* confeciſſe Exempla; Cum Curioſa *noſtra ætate* aliquot *Experimenta* facta fuerint certiſſima, rationum in negantem partem adductarum pondus deprimentia. Illa Curioſo Lectori exhibere, præſente obſervatione non ingratum fore confido, hiſtorias tales à fide dignis acceptas adducendo, & enarrando, quamvis paucis conceſſum ſit Colchos navigare, modum inveſtigare, quomodo Aureum vellus ſurripiendum ſit, nam ut Poëta canit:

Quam paucos tanto dignantur munere Divi!

Nec optandum etiam eſſet, ut iſta Ars nimis ſieret familiaris & frequens: ſiquidem quod ingenioſiſſimus *Thom. Campanella in de Monarch. Hiſpanic. c.* 16. *p.* 113. judicat, melius fuiſſe divitias mundi novi non fuiſſe inventas. mundum enim novum perdidiſſe veterem, mentibus hominum avaritiam inſerendo, & mutuum amorem inter homines extinguendo, propter Auri amorem, quod produxerit magnam inæqualitatem inter homines, reddens alios nimis divites, unde inſolentia, vel alios pauperes, unde avaritia & Latrocinia: id de *Chryſopœia* quoque affirmare poſſemus, quod Auri Copiâ penitus homines corrumperentur.

Sit ergo hiſtoriarum tranſmutationis

I.

Metalla reliqua in Aurum reduci poſſe inquit *Dan. Sennertus in l.* 5. *Nat. Scientiæ c.* 1. *noſtro* ſæculo ſæpiùs probatum eſt. Quid *Alexander Sedonius Scotus* Coloniæ, Baſiliæ, & aliis locis præſtiterit, notiſſimum eſt, quâ de re videantur Hiſtoriæ tranſmutationis metallicæ ab *Evvaldo de Hogelande* deſcriptæ, & ſcripta *Andr. Libavii*, quæ pro *defenſione artis illius tranſmutatoriæ* edidit.

II.

Tot tamque præſtantium virorum teſtimoniis, exclamat *Cornelius Martinus Antvverpienſis Analyſi Logic. c.* 8. inter quos ſunt Doctiſſimi Philoſophi, Jure-Conſulti, Medici, etiam Theologi, nec non Viri Principes, qui libris editis ſanctè affirmant, ſe oculis ſuis vidiſſe & manibus non tantùm palpaſſe, ſed & confeciſſe tranſmutationem unius metalli in aliud, ego fidem derogare nequeo, hoc enim imprudentis eſſe videretur, non Philoſophiæ Studioſi. Hic *Cornelius Martinus* cùm diſputaret in Academia Julia contra Lapidem, & negaret Eundem plurimis argumentis, è corona Nobilis quidam adſtans Carbones ac ♄ ſibi afferre juſſit, & in præſentia Cornelii, aliorumque Tincturam quandam liquato metallo injiciens, ejus virtute liquatum ♄ in ☉ tranſtulit, & exclamavit, ☉ adhuc calidum porrigens Cornelio: *Solve mihi hunc Syllogiſmum.* Unde & Cornelius priorem mutavit ſententiam. *Zvvolff. Mantiſſ. ſpagyr. fol.* 328. *col.* 2.

III.

Joan. Baptiſta Helmontius nobiliſſimus Philoſophus de ſe ipſo fatetur *in tractat. Arbor. Vit. Oper. p.* 793. Cogor credete Lapidem Aurificum & argentificum eſſe, quia diſtinctis vicibus manu mea unius grani puto ſupra aliquot mille grana ☿ vivi ferventis projectionem feci, adſtanteque multorum cœtu, omnium cum titillante admiratione negotium in Igne ſucceſſit, prout libri promittunt. Ille vir peregrinus unius veſperi amicus, qui mihi ☉ dedit (dabat autem forte ſemigranum, cum quo Uncias ix. atque $\frac{5}{4}$ ☿ tranſmutavi) habebat ſaltem & ad minimum ejus tantumdem, quantum ad ducenta millena librarum ☉ commutanda ſat forent. Eadem. *Idem confirmat in de Vit. Ætern. circ. f. p.* 743. *& fuſius in tractat. Demonſtr. theſis* §. 58, *& ſeq. p. m.* 671. *Edit. Amſtel.*

IV.

Anno 1648. S. Cæſ. Majeſt. FERDINANDO III. Pragam granum unum fuit tranſmiſſum L. P. cum quo Libr. iij. ☿ in ☉ fuerunt converſæ *Hars-*

dorffer in ſpeculo Hiſtoric. hiſt. 80. Ab aliis accuratiùs hiſtoria ita deſcribitur; Qui in præſentia *S. Cæſ. Majeſt.* pulveris grano unico ☿ in ☉ reduxit Nobilis fuit cognomine *Richthauſen*, quem S. Cæſ. Maj, ad Baronis faſtigium evexit, & *Dn. de Caos* titulo inſignivit. Ex iſto tranſmutato. ☉ S. Cæſ. Maj Numiſma Aureum excudere juſſit, in cujus binis faciebus ſingulares Inſcriptiones. In una parte facies Juvenis nudi, loco capitis Solem radiatum habens, in dextra manu elevata Lyram Apollinis tenens, in ſiniſtra depreſſa Caduceum ☿, cum aſcriptione: *Divina Metamorphoſis Exhibita Pragæ XV. Jan.* 1648. *in præſ. S. Cæſ. Maj. Ferdin. III.* In altera Nummi facie: *Raris hæc ut Hominibus nota eſt Ars, ita raro in Lucem prodit. Laudetur Deus in æternum, qui partem infinitæ ſuæ Scientiæ abjectiſſimis ſuis creaturis communicat.* Illud Numiſma cum in Secretiſſima Imperatoris arcula reſervatum inventum fuiſſet, à S. Cæſ. Majeſtate LEOPOLDO, clementiſſimè *Zvvolffero* ad excuſionem & in æs inciſionem conceſſum fuit, uti ipſe *Zvvolff.* atteſtatur *in Mantiſſ. Pharm. ſpagyr. f.* 329. ibique depictum cernere licet, & inſeruit ejuſdem nummi effigiem in *Oedipum ſuum Chymicum Joa. Joach. Becherus p.* 185. Quomodo verò ille Dn. de Caos pulverem iſtum & unde acceperit, deſcribit Hiſtoriam *Dn. de Monconnys* Gallus (prout Eminentiſſimus Archiep. Moguntinus, dum cum Duce de Chevreuſe in Comitiis 1664. Ratisbonæ degeret prædicto Gallo in familiari & convivali colloquio retulit) *in Itinerar. to.* 2. *p.* 378. cujus verba ex Gallico tranſlata ita ſonant: Vixit quidam nomine *La Buſardiere* in ædibus Magnatis cujuſdam (quem Generoſ. Comitem de Schlick fuiſſe, pronuper Generoſus quidam Comes affirmare auſus eſt) Pragæ. Is morbo oppreſſus mortique vicinus ad familiarem ſuum nomine *Caos* ſcribit, rogatque, ut quamprimum Pragam veniat: ſed æger exſpirat aliquot horis ante Dn. de Caos adventum, qui dum venit, interrogat, num æger aliquid reliquiſſet? Præfectus ædium ipſi monſtrat aliquem pulverem, quem Dominus Suæ Curæ commendaſſet arctiori, quanquam neſciret, quem uſum habeat. Hic pulvis à Dn. de Caos clàm fuit ablatus ſummâ cum dexteritate. Rediens Dominus Hoſpitii à ſuo Præfecto inquirit, quorſum pulvis devenerit, minaturque ſuſpendium, niſi procuret, ut pulvis reſtituatur; Præfectus cum duobus ſclopetis minoribus armatus, adit Dn. Caos, & niſi pulverem reddat, mortem certiſſimam proponit, quia nemo præter ipſum hunc abſtuliſſet, quem ille quidem reddidit, ſervata tamen meliore parte, aut forte ſuppoſito alio, quod tandem innotuit. Nam cum Konigsmarckius Pragam occupaſſet, & ſimul hujus Domini ædes diripuiſſet, unà ſurreptus fuit hic pulvis, quem cum Dominus repeteret à Konigsmarckio per litteras, ſignificans nil aliud eſſe, quàm pulverem contra calculum; reſpondit Konigsm. pulverem non fuiſſe inventum, ſi tamen contigiſſet ipſum inveniri, quod voluerit ipſum propriis dicare uſibus. Cum hoc pulvere plurimas fecit projectiones Dn. Caos, quarum prima in præſentia defuncti Imperatoris, qui ex iſto ☉ nummum curavit fieri, in cujus una facie ☿ 19. in altera inſcriptio diei & anni, quando excuſus. Hactenus *Dn. Monconnys*, qui in nummi à ſe non viſi delineatione differt à *Zvvolffero* oculato, & inde fide digniore Teſte.

V.

Præter hoc exemplum *Dn. de Monconnys* retulit ibidem Ratisbonæ Generoſ. *Comes de* PAR, Camerarius defuncti Imper. & rerum Naturalium Curioſiſſimus, quod incognitus Homo Imperatori obtuliſſet parum de pulvere reſtante in fundo parvæ Pyxidis, qui unà cum pyxide impoſitus maſſæ fuſæ ex ☿ & ☽ partibus æqualibus, pyxide permanente illæſa à conflagratione, Tincturam exhibuiſſet tam fortem, ut poſtquam maſſa iſta extraordinariæ rubedinis fracta & diſſecta fuerat, interius plurimas venas rubras inſtar ſanguinis exhibuerit, indicium exhibentes pulverem adhuc fuiſſe nimis fortem. Poſtquam refuſa iſta maſſa, cum additione novæ materiæ iſtius ponderis, ut prima vice, omne in ☉ converſum fuit pluſquam 24. carattorum, ratione coloris. Ille homo acceperat pulverem ab alio, myſterium itaque parandi ignorabat. *Moncon. Itiner. tom.* 2. *p.* 371.

VI.

Idem Generoſ. *Comes de* PAR retulit, alia vice quendam ſenem adiiſſe Imperatorem, & aliquid de pulvere quodam attuliſſe, & rogaſſe, ut probaretur pulvis, quia crederet, eundem forte aliquem uſum præbiturum: Imperator mandat, ut intra triduum rediret, interim Pharmacopolam accerſiri jubet (& eumdem quidem, apud quem Ratisbonæ Dn. Comes de Par 1664. menſe Martio hoſpitabatur,) ut probaret pulverem ab incognito ſibi datum, & convertit uncias 8. ☿ in perfectum ☉: Quo viſo Imperator quæri curavit hominem iſtum in hoſpitio, quod nominaverat, ſed eumdem jam abiiſſe nunciatum fuit, nec unquam plus comparuit. *Moncon. Itiner. tom.* 2. *p.* 371.

VII.

Pharmacopæus Ratisbonenſis S*trobelberger* narravit *Dn. de Monconnys*, quomodo Mercator quidam Lubecenſis, (qui aliàs parum negotia mercaturæ tractaſſet, ſed calluiſſet artem figere ♄ & convertere in ☉) Regi Sueciæ Guſtapho Adolpho dediſſet maſſam ☉ centum Librarum, quando Lubecam tranſiverit, ex qua Rex cudere juſſerit ducatos, & ut innoteſceret, quod iſtorum ducatorum Aurum agnoſceret natales ♄, ab una parte impreſſa fuit effigies regia, ab altera verò inſignia Regia adjunctis ſignis Chymicis ſubphure & Mercurio ab utroque Latere. A dicto Pharmacopæo tale accepit aurum D Monconys, ut veritatem videret comprobatam. Poſt mortem Mercatoris, licet à plurimis annis Mercaturâ abſtinuiſſet, nec umquam ſua negotia ipſi proſperè ceſſiſſent, hæreditatem reliquit 1700. Millium Coronatorum. *Monconys Itiner. tom.* 2. *p.* 381. Horum ducatorum mentionem quoque fecit ante aliquot annos, cum Conjugis ipſius Sanitatis curam gererem admodùm Strenuus & Nobil. *Dn. Ludovicus de Schonleben* Hæreditarius in Gure, & Vice-Colonellus, Rerum Chymicarum Studioſiſſimus, nec ſolùm talem monſtravit, ſed & ex liberalitate eumdem Muſeo meo dono conceſſit, ſigno ſulphure & ☿ notatum, quem in adjuncta Tabula ænea non minus quàm alterum Moguntinum, ex Ejuſdem Domini ſupellectile delineatum exhibere volui, ut non ſolùm veritas dictorum eluceſceret, ſed & ſi forte fortuna ſimiles obvenirent (quod interdum fieri ſolet, mihique alia vice contigit:) à reliquis ob ſingularitatem diſcerni pont. *Domini de Morey* Eques Anglus & Nobiliſſimum Regiæ Societatis membrum in Epiſt. ad Dn. de Moncony ſcripta (*in Itinerar. Anglic. Dn. de Moncony tom.* 2. *p.* 70. cum dubitet, an talis Ducatus iſtic locorum in Anglia reperiri poſſit, rogat *Eund. Domin. de Moncony*, ut talem ipſi Londinum tranſmittere curaret, Societati Regiæ in ejus memoriam offerendum.

VIII.

Moderni Electoris Moguntini Anteceſſor GEORGIUS *Fridericus de Greiffenclau*, medius inter *Joan. Sviccardum de Cromberg & Anſelmum Caſimirum Warnboldum* Archiepiſcopos Moguntinos, aureos ex ☿ in ☉ converſo cudere juſſit, cujus Ingenio & arte, non adeò cognitum eſt, notati illi ducati Signo ☿ uti *in tabula ænea* delineatus fidem præſtat; qualem ipſemet manibus meis tractavi, talemque in Muſeo raritatis ergò ſervo.

IX.

Ante Laudatus *Dn. de Caos* præter factam *Projectionem* in præſentia Imperatoris, aliam fecit coram Vicario ſummo Moguntino, & coram ipſo quoque Eminentiſſimo Archiepiſcopo. Hanc, ut ipſe Elector *Dn. Monconys* retulit, effecit cum omnibus cautelis, quas alias Philoſophi in tali Operatione ſolent adhibere: ſumpſit parvam pilulam inſtar lenticulæ ex pulvere illo cum gummi tragacanth paratam, ut unita invicem melius cohærerent. Hanc Pilulam involvit cera ex candela cerea forte ibi ardente, deſumpta: hanc ceram intruſit fundo Crucibuli, ſuperimpoſuit uncias IV. ☿ & igni immiſit, ſupra infraque & circumcirca cum carbonibus nigris Crucibulum contegendo. Ubi Ignis maximè inflatus fuit, ſpatio dimidiæ horæ viderunt rejectis carbonibus ☉ fuſum, cum radiis tamen maximè rubris, qui alias ordinariè ſunt virides. Putavit ergo Aurum adhuc nimis reſtare generoſum, neceſſarium itaque, ut imminuatur adjectione ☽. Elector ipſemet injicit aliquot fruſta Argentea, & poſt perfectam fuſionem ubi in fuſorium effuſum fuit, facta maſſa aurea pulcherrima, ſed quæ paulo acrior inventa, cujus cauſam retulit Caos provenire ex odore orichalci, qui fortè inventus fuiſſet in fuſorio, optimum itaque eſſe, ſi adhuc in officinam monetariam mitteretur profuſione, quod ubi factum, reportatum fuit inde pulcherrimum & dulciſſimum. Præfectus monetæ affirmavit, ſe numquam pulchrius vidiſſe, quod ſuperaret 24. carattos; & quod maximè admirandum, quomodo aciditas iſta unica fuſione mutata fuiſſet in tantam dulcedinem. De hoc auro particulam promiſit Eminen. Dn. Elector *Dn. Monconys. Vid. Monconys Itiner. tom.* 2. *p.* 378. Hoc ipſum quoque confirmat *Ioan. Iacob. Bicherus in Oedipo Chym. titul.* 7. §. 6. *p.* 186. Idem, *inquit*. qui Imp. Ferdin. Tincturam dedit, ille binis abhinc luſtris Moguntiæ in præſentia Eminentiſſ. Princip. Electoris aliorumque Magnatum in ſat magnâ quantitate præſtitit, cujus ⊙ etiamnum reſervatum iſtius Loci monetæ Præfectus, qui ex tali ⊙ ducatur excudit, teſtis eſſe poteſt.

X.

Idem *Elector Moguntinus* affirmavit ſe vidiſſe cum pondere unius grani pulveris, tres marcas ⊙ ex ℔ ij. ☿ factas, & cum Crucibulo extractæ viderentur nimis rubræ, quod adjectione dragm. iij. vel iv. ☽ omnia in ⊙ fuerint converſa *Dn. de Monconys tom. 2. p. 372. dicti Itiner.*

XI.

Quomodo ignotus, plebeio amictus habitu, præ ſe ferens hominem ex Hollandia ſeptentrionali oriundum, 27. Decemb. 1666. Hagæ Comitis in Ædes *D. Io. Frideriti Helvetii* venerit, ipſique fruſtum pulveris dederit, æquans magnitudinem ſeminis raparum cum quo cera involuto & in dragm. vj. liquati ♄ injecto, eæ tranſmutatæ fuerint in ⊙, narrat *Idem Helvetius in tractat. Singul. edito ſub nomine vituli Aurei c. 3. p. 26. & ſeq.* Hoc ⊙ ubi Examinatori Generali Monetarum Hollandiæ Borelio oblatum, per probandi formam, ut vocant, quartam examinatum, adeò inſigne repertum fuit, ut adhuc de ☽ in proba adjecta aliqualem partem in ⊙ tranſmutaverit. Idem ignotus homo in pectore geſtavit quinque taleolas magnitudine interioris ſpatii Orbis Stannei cum inſcriptionibus ſingularibus ibi adductis, beneficio hujus Tincturæ ex ♄ paratas. *Ibid. p. 31.*

Hiſce rarioribus Exemplis adhuc aliquot ſubjungere placet, pro majore confirmatione, quæ inter alia eruditiſſima Colloquia mihi enarravit hujus 70. Anni vere, dum *Uratiſlavæ* decumberet, Generoſ. Comes HERMANNUS *in Gleichen & Hazveld, Baro in Widenberg & Trachenberg, &c.*

XII.

Toto Orbe decantatiſſimum tempore RUDOLPHI II. Chrymiam præprimis floruiſſe, ipſumque Imperatorem denique poſt tot labores & ſumptus Artem Tranſmutandi addidiſſe. Hanc dicitur uni è cubiculariis famulis revelaſſe, ea tamen lege, ut nulli relaret, niſi ſub articulum mortis filio, aut hujus in defectu filiæ. Fuit quoque inter alia ſimulachra in Palatio Cæſareo Pragæ Fœmidæ nudæ, quæ porrecto digito verſus terram monſtraret, nemo tamen divinare potuit, quid hoc ſignificaret. Tandem tempore Sereniſſ. Archiducis LEOPOLDI VVILHELMI factum, ut ultima filia ex iſta Cubicularii proſapia morti vicina locum Archiduci revelaret, ubi ſecretum eſſet abſconditum, ſcilicet eo in loco, quem iſta ſtatua digito indicaret. Inquiſitio hinc accurata facta eſt, inventi plurimi lapides ſibi ſuperimpoſiti. Tandem cum foſſores devenirent ad cameram quandam fornicatam ſubterraneam, factâ aperturâ tam gravis ſtrepitus proſiliit, ac ſi aliquot maxima tormenta diſploderentur. Omnibus attonitis ceſſante ſtrepitu nihil invenerunt inibi aut viderunt, quàm omnia intus nigro ſquallore & pulvere obducta fuiſſe. Eundem ipſum locum *Ipſe Sereniſſ. Archidux* Pragæ monſtravit *Generali & Comiti Melchiori Hazveldio.*

XIII.

Fuit aliquot abhinc annis Cranichfeldi in Thuringiæ oppido (cujus unam partem Generoſ. Comes *Hermannus Hazveldius* poſſidet) vidua quædam Duciſſa Saxoniæ, quæ litteras ſcripſit ad *Franciſcum Hazveldium*, *Epiſcopum Herbipolitanum*, in bello Germanico militem quendam ſauciatum ex commiſeratione ibi locorum ſumptibus Duciſſæ curatum fuiſſe. Poſtquam ille ſanitati reſtitutus, doluit ſe nihil habere, quo poſſet gratam demonſtrare mentem, petiit tamen, ut ipſi ♄ cum Crucibulo & carbonibus daretur, extraxit binos calamos pulvere quodam repletos, quo ♄ aſperſit, & in ☽ ſtatim convertit. Quæſitus unde hæc accepiſſet, teſtabatur, ſe tres tales calamos Vvurzburgi in cœnobio Franciſcanorum in quadam cellulâ inveniſſe tempore direptionis occultatos. Quo audito Epiſcopus prædictus Herbipolitanus ſeriò inveſtigavit, quinam Monachi circa iſta tempora Cœnobium inhabitaſſent, nihil tamen expiſcari ulterius potuit.

XIV.

Vixit Hanoviæ in Aula Tutoris Comitum Juniorum tum temporis Hanovienſium, Exul quidam Nobilis Bohæmus, qui à Patre cum reliquis Fratribus aliquot pyxides accepit Tincturæ ad tingendas aliquot centurias marcarum ☉. Is cum falſo in ſuſpicionem veniſſet de ſurreptis eo tempore per furtum gemmis accuſatuſque petiit, ut ſibi liceret ad Fratres proficiſci, quo ſumptus acciperet, quibus poſſet licet innocens iſtarum gemmarum pretium exſolvere. Interim Pyxidem remotis aliquot tegulis in parietem abſcondit, addito cultro & foramen turſus optime claudit & Calce rurſus dealbat, ne ulla aliqua ſuſpicio ſit, ibi aliquid eſſe reconditum. Reverſus Hanoviam audit detecto furto innocentiam ſuam ſatis declaratam eſſe, unde priſtinæ dignitati reſtitutus conſuetum petit Cubiculum, ſed dum Tincturam quærit, pixidem quidem videt adeſſe, pulverem verò unà cum cultro ablatam. Quare licet maximè perterritus fuerit, tamen ut Comiti Tutori pretium ſuæ jacturæ demonſtraret, petit, ut ipſi cera & ♄ daretur, hæc pyxidi vacuæ indit, optimè movendo ut pauca granula adhuc in pixide reſtantia adhærerent. Tandem hæc invicem miſta unà cum pixide injicit adſtanti matulæ cum urina, & ſubitò per corpus matulæ ſummo cum ſtrepitu tranſit materia aurata, optimum exhibens ☉, quod Aurum factitium una cum pyxide hinc inde inaurata, adhuc Hanoviæ aſſervari prædictus *Dn. Tutor confirmavit Generoſiſſ. Dn. Comiti Hermanno Hazveldio, &c.*

XV.

Dn. de Morey & nobilitate generis & Eruditionis clariſſimus Anglus in Epiſtol. 17. Auguſt. 1664. ex arce Vvhitehall. Londini ad Dn. de Monconys ſcripta (Itiner. Anglic. tom. 2. pag. 70.) teſtatur pariter Principem Palatinum Rupertum ex ore moderni Eminen. Electoris Moguntini audiviſſe factam in ipſius præſentiâ feliciter Projectionem Auri; & quod ille ipſe Princeps Rupertus Ann. 1662. Regi Britanniar. dedit inſigne Auri fruſtum

Deniponte facti ab illo eodemque homine, qui pulv. exhibuerat Electori Moguntino, quam Hiſtoriam Dn. de Morey narraverit præſenti Dn. de Monconys & ſimul probam quam cum illo fecerit juſſu Regio, &c.

OBSERV. XVIII. ANATOMICA.

D N. GUILLEMI RIVÆ.

IN PARADOXICO ANEVRISMATE AORTICO exhibita.

Vid. Tab. II.

A DN. IOACH. GEORG. ELSNERO.

VArices venarum in variis Corporis partibus oriri poſſe conſtat ex autorum obſervationibus, imò in vaſis internis, varices uti in venis pulmonis olim annotavit Hippocrates. Nec mirum, venæ quippe valvulis ubique abundant, hinc Sanguis copioſus & craſſus à venis majoribus ad minores fluens, ob craſſitiem & ſuam viſcoſitatem ad valvulas vaſorum ſubſiſtens, & inde incrementum capiens, venæ tunicam facilè diſtendere poteſt. Ut non incongruè liceat quoque deciſionem dare, cur frequentiſſimè in cruribus varices oriantur, ſcilicet valvulæ in ramo crurali fortiſſimæ, imò duplicatæ Sanguini incurrenti validè reſiſtunt.

Aliter planè res ſe videtur habere in varicibus, vel potius anevriſmatibus Arteriarum. Ibi enim ſanguis remoram ducens in arteria, ſummam ſæpè acquirit acrimoniam, qua erodit internam arteriarum tunicam, & hinc excitat tumorem cum forti pulſu, quod in arteriis carotidibus in collo ut plurimum accidere ſolet, & interdum quoque in aliis minoribus, rarò verò, vel nunquam, in majoribus. In his enim ratio ejuſmodi diſtenſionem vix ac ne ſix quidem admittit, cum tunicarum illarum fortis reſiſtentia iſtam impediat, nec valvulæ adſint, motus quoque celerior Sanguinis quàm in venis extet, quæ omnia impediunt ne tam cito excitetur anevriſma. Excitari tamen poſſe in ipſa quoque aorta, licet mirum videatur, Experientia tamen docuit, & tale Anevriſma favore Nob. D. *Guilelmi Rivæ* Anatomici famoſiſſimi videre mihi contigit *Romæ* in ſuo Muſeo, in quo inter multa alia rara anatomica conſervat Cor in certo quodam liquore cum Anevriſmate aortico Sarcoſicis farciminatum involucris, ejuſdem cum arteriæ dilatatione maxima, aliorumque Cordis vaſorum cruentoſo Sanguine anfractorum amplitudine, chylifero thoracico ad digiti æquamen turgido ſe deplere vetans. Quod in Lauræ Peronæ Cadavere 31. Mart. 1664. in publica adminiſtrata Sectione detexit, cujus figuram uti ipſemet ante aliquot annos graphicè prælo commiſit, hic addere placuit.

FIGVRÆ EXPLICATIO.

A.	Anevriſma duas in partes ſciſſum
B.	Aorta craſſa & corde latior.
C.	Cor ſectum.
a.	Partis dextræ anevriſmatis protuberantia infra Claviculam dextram.
b.	Involucra duo, ſeu folioſitas gemina aliis evacuata.
D.	Extractorum involucrorum facies interna.
E.	In his contentorum externa.
c.	Fibræ carneæ ex Sanguine concreto involucra texentes,
F.	Membranæ tres tendineæ ab extenſione externæ Anevriſma continentes.
d.	Involucra partis ſiniſtræ anevriſmatis ferè integra.
G.	Partis ejuſdem portio depleta.
e.	Concretus nondum in involucro ſanguis.
H.	Hiatus membranæ internæ crepido.
I.	Vacuitas ipſius arteriæ.
K.	Aortæ progreſſus in divortium.
L.	Aorta aſcendens duplo naturali grandior.
M	Deſcendens quadruplò.
N.	Cava ſuperior duplo major.
O.	Inferior quadruplò.
P.	Auricula dextra quadruplo Latior.
Q.	Siniſtra duplò longior & bifida.
R.	Vena arterioſa duplo grandior.
S.	Arteria venoſa quadruplo.
T.	Cordis Sectio ad baſim tranſverſa.
V.	Ventriculus Cordis dexter.
X.	Ventriculus ſiniſter.
Y.	Thoracicus chyliferus turgidus.

Cæterum B. L. ſi plura de hâc re deſidctas, aliud exemplum Anevriſmatis aortæ videbis in Obſervationibus collectis à *Georg. Hieronymo Vvelſchio in Obſerv. Ioannis Udalrici Rumieri Obſ. LXXXI.* Rarum & miſerandum exemplum quoque invenies *in Epiſt.* 1. *Vvalæi de motu ſanguinis ad Thom. Barthol. p.* 64. quod in Dno. Joh. Elemanno vidit, cui ex diſrupta arteria anevriſma quartam thoracis partem occupaverat. Quale & obſervavit *Riolanus lib. 6. Anthrop. c. 12. Paulus Barbettus in ſua praxi l. 2. cap. 3. p.* 30. unà cum *Ex. Dn. de le Boë. Sylvio* vidit in cadavere Viri anevriſmate interempti ſanguinem copioſum tam ſeroſum quàm grumoſum, tunicas arteriarum utraſque eroſas, & claviculam ſiniſtram maxima ex parte carie exeſam. *Pareus l.*

6. *c.* 28. in anevriſmate venæ arterioſæ internam ipſius tunicam oſſeam invenit. Varia anevriſmatum genera videbis *Obſ. Thom. Barthol. Cent. IV. Hiſt.* 41. *p.* 321. uti & apud *Schenckium Obſ. Med. L. V. de Tumor. Obſ.* 5. *pag.* 711.

ANNOTATIO.

In illa obſervatione penna amanuenſis prævenit mentem Autoris, nam ubi de Varicibus agitur, legendum de Vaſis minoribus ad majora: videretur enim aliàs contra fundamentum circulationis ſanguinis eſſe; nam venæ minores ſanguinem ſuperfluum per arterias muſculis communicatum revehunt ad venas majores, & inde ad cor. Fieri tamen poteſt in hoc caſu, ut ſanguis è majoribus ad minora retrocedat vaſa, nam Valvulæ à natura orificia apporta habent verſus cor, in varicibus verò tunicæ Valvularum relaxatæ ſunt præternaturali modo: hinc ſanguis præter naturam ſui motus ex majoribus ad minores deſcendere poteſt, qui poſtea cumulatus ex novo accedente ſanguine venam dilatat, & ſic varicem efficit.

OBSERVATIO XIX. PATHOL.

D. MATTHÆI FRANCISCI HERTODI,

LACTIS VSVS IN EMPYEMATE.

SI Aquilonia tempeſtate, tuſſes vigent, faucium aſperitates, alvi duræ, horrores, coſtarum dolores & pectoris, aperuit *Hippocrat.* ſect. 3. §. 5. Expertus idipſum Parochus Koſſelezenſis in Moraviâ, habitus craſſioris annorum 30. pleuritide exquiſita aſcendente ſiniſtræ partis ex inflammatione pleuræ laborans, cum dolore punctorio, febre acutâ, difficili reſpiratione, tuſſi ac pulſu duriuſculo, quæ inſeparabilia exquiſitiſſimæ pleuritidis ſigna propoſuit *Galen. l.* 3. *de Loc. affect. c.* 3. *& l.* 2. *de Criſ. c.* 10. & *l. de conſtit. art. med. c.* 15. Is ſeptimo die præmiſſis Univerſalibus, partim per ſputum, partim per reſolutionem judicatus eſt

Patitur poſt 5. dies ob cauſam externam, recidivam, & non aderat magnifica intentio ad hoc ut ſputum facilè fiat, quemadmodum loquitur *Avicen.* 10. 3. *tract.* 5. *c.* 2. adeoque ſpatio dierum 14. materia plurima, quæ præ virium imbecillitate reſolvi non potuit, retenta in ſuppurationem abiit, eſt enim hic terminus acutorum. Hipp. ſ. V. §. 8. Quicunque igitur morbo laterali laborantes in 14. diebus non repurgantur, ii ad ſuppurationem vertuntur. Rupto abſceſſu Empyicus noſter magnam puris diverſicoloris copiam exſpuit, quæ ſpuitiones ad ſeptimanas 5. perdurabant, eâ quantitate, ut die noctuque pelvim 5. & ultra libris puris impleret. Innuimus cum Hippocr. ſ. 5. §. 15. Empyici qui ex morbo laterali ſuppurantur, ſi in 40. diebus purgentur à die, qua ſit ruptio, liberantur, ſi verò non, ad tabem tranſeunt.

Sumpta itaque primâ & potiſſimâ indicatione à ſuppuratione & inſtituta commodo victus & 6. rerum non naturalium ordine, ea adhibuimus, quæ clementer & ſecurè pus educerent, & detergerent, non neglectis quæ febriculam comitantam reſpicerent, & vires hîc apprimè neceſſarias roborarent.

Sed ob plurimum pus, & ſpuitiones copioſas patiens multum delaſſatus, ſomnoque privatus, viribus deſtitui, & ad Tabem tranſire cœpit. De ſalute vix non deſperantibus venit in mentem quod habet Galen. 6.§.27. Uſtione igitur indigent, qui plurimum habent pus, ut qui deſperent per ſpuitiones poſſe expurgari, &c. meliuſque eſſe nos in via ſalutis dubiâ aliquid agentes periclitari, quàm ægrum omni ſpe ademptâ certo perire. Sed vires enormiter fractæ ab hoc præſidio generoſo avocabant.

Exacto die quadrageſimo Patienti Empyico Lac *Caprillum* cum Saccharo roſato miſtum (deerat enim aſininum) propoſuimus, quod cum per alias 6. ſeptimanas manè calidum & recens à capra, etiam in majore quantitate, quàm à nobis præſcriptum eſſet, videlicet ad ℔ ii. hauſiſſet, repurgato ulcere, omnique putrilagine, eoque glutinato perfectè convaluit, & craſſior, quàm ante evaſit, prout in hodiernum diem incolumis vivit.

D. Matth. Franc. Hertodio Nicolasburgo Brunam Moravor. ad D. Ioh. Ferdin. Hertodium.]

OBSERVATIO XX. PHYSICA.

D. PHILIPPI JACOBI SACHS à Levvenheimb.

CONSENSUS LABIORUM FACIEI CUM labiis uteri.

ANno 1669. menſe Aprili *Generoſa* quædam *Comitiſſa*, plurimorum ante Liberorum mater, rurſus quinto ferè menſe gravida, in prædiis ephebis aliquot ægrotantibus unum ex illis contemplatur accuratius, cui in tumefacto à febrili calore *Labio Oris* lividæ & malignæ aliquæ eruperant *puſtulæ*. Interrogat Comitiſſa unum ex adſtantibus de genere morbi, & quid hæ puſtulæ indicarent, qui cum ex imprudentia exclamaſſet eſſe febrem malignam parum à peſte differentem, attonita ſtatim ſentit eo momento quendam circa *Labia Uteri* ardorem & alterationem, & poſtmodum vidit ipſa erupiſſe ibi locorum *puſtulas* aliquas inſtar fabarum. Uratiſlaviam poſt deveniens, me conſulit, de majore infortunio futuro ſollicita. Examinato hoc ſtatu cum alias bene valeret, nec ullius malignitatis ſigna adeſſent, nec iſtæ *puſtulæ* dolerent, aut grandiores fierent, (lividas tamen fuiſſe obſtetrix cui inſpectionem injunxeram, narravit) *Phantaſiam* ob conſenſum *Labiorum*

Oris cum Labiis Uteri, has *puſtulas* ſubito & in momento, aſpectis *puſtulis in Labiis*, excitaſſe judicavi, commoto ſanguine & oſcula venarum tumefaciente; ſecuro itaque juſſi eſſe animo, præcipuè quod poſt adhibita quædam ſudorifera temperata, & externè decocto ſcordii cum vino admoto, attamen in eodem ſtatu permanerent. Nec evanuerunt *puſtulæ*, uſque dum legitimo Partus tempore menſe Auguſto ſana puella, abſque omni nævo à Phantaſia fœtu impreſſo ederetur, educto per Lochia ſanguine puſtulæ quoque ſubſiderent, & matrem ulteriore ſollicitudine penitus liberarent.

SCHOLION.

De *Conſenſu* Humanarum Partium, *Faciei* ſcilicet *cum reliquo trunco Corporis* in uno eodemque Individuo ratione Nævorum res eſt certiſſima; mirum tamen in hoc caſu factum *tranſitum* Conſenſus *à Labiis oris* maſculi *ad Labia Uteri* in fœmina, ubi Phantaſia in Gravidis mirè & præter ſolitum occupata imitata eſt Nævos in corpore alias permanentes, caſu velut ſparſos, attamen certum inter ſe ordinem & velut cognationem habentes. *Ludovic. Septalius* Medicus Mediolanenſ. maximi nominis & admirabilis doctrinæ, ſingularem edidit tractatum de his Nævis Mediol. 1618. poſt Argentinæ 1629. alibique plurimis in locis recuſum, & poſt eum *Joan. Sigiſmund. Elsholzius* Archiater Electoral. Brandemb. *in Anthropometria* primum Patav. 1654. poſt Francof. ad Oderam promulgata, in cap. 26. pluribus agunt de hac *ſymmetria Faciei* ad *reliquum corpus*. Aiunt Faciem eſſe menſuram & typum totius corporis, præter tibias & pedes, quarum figuram ſatis diſtinctam cum facies hominis non caperet, quaſi ἀδύνατον in tam exiguo loco tantum totius corporis machinam diſtinctiſſimè claudere, itaque Divinum Architectum pro Tibiarum & pedum conſenſu Brachia & manus inſtituiſſe. Hinc adſtruunt & experientia comprobant *conſenſum*,

1. FRONTIS cum PECTORE, adeo ut ſi quis Nævum *in Fronte* habeat, alium ſimilem & velut ſodalem habiturus ſit *in Pectore* aut *Dorſo*, & quidem ſi in mediâ *fronte*, nævus quoque in medio *pectore*, aliquando in medio dorſo; quanto vero deſcendit à recta & per medium frontis demiſſa linea in dextram vel ſiniſtram partem, tanto etiam verſus alterutrum brachiorum deflectit; ſi capillis vicinus nævus, vicinus erit collo, ſi ad ſupercilia & circa naſum, obſervabitur quoque in inferiore pectoris parte impreſſus.

2. SUPERCILIORUM *cum* SCAPULIS & quidem ſuperciliorum principium naſo proximum, arcus, & finis, concordant cum ſcapularum parte anteriore, ſumma, & poſteriore; inde ſi ſemicirculus ſupercilii ſit duplicatus, ſignificat quoque ſcapularum rotunditatem. *Septal. pag. 6. & 26.*

3. OCULORUM *cum Axillis*, ita ut Nævus in cavo oculi alium habeat in Axillis analogum. *Septal. p. 30.*

4. *Oculorum cum Naſo* conjunctorum, *cum Pene & ſcroto. Septal. pag. 6. & 30.*

5. *Naſi cum Pene*, unde plurimi ex Naſi magnitudine etiam de mole membri genitalis judicare audent, ſecundùm tritum:

Noſcitur ex naſo quanta ſit haſta viro.

6. *Genarum cum Coxis*, ita ut ſi nævus naſo perquam vicinus, ſit ſocium habeat aut peni adhuc vicinum, aut omnino adhærentem. *Septal. p. 6. & 29.*

7. *Capitis mandibularum cum Lumbis.*

8. *Buccæ cum Abdomine*; adeò ut tribus diviſionibus ſeu regionibus Abdominis, lateribus, bucca gemina, pubi, menti apex; & umbilico, commiſſura menti cum labio inferiore conſentiat. *Septal. p. 32.*

9. *Aurium cum Brachiis* (quia ut brachia corporis, ſic Aures capitis Alæ ſunt) ita ut pinna Auris, Lacertum; lobus, cubitum; conchæ latus internum, volam manus, latus externum, dorſum manus præ ſe ferat. *Septal. p. 31.*

11. *Brachiorum cum Cruribus* inter ſe eſt ſymmetria, & nævi brachiorum, crurum nævos oſtendunt. *Septal. p. 8.*

11. *Labia Oris Elsholzius* cum *Ani fiſſuris* confert, & *Labia Naturæ muliebris* cum Naſo. *Septal. p. 6.* ſed quia *Adr. Spigelius* de *Fabric. Corp. Hum. l. 1. c.* 10. Pudendi muliebris proportionem ab ore cenſet deſumendam, & tritum Anonymi:

Noſcitur ex Labiis quantum ſit Virginis antrum.

Veriſimilius eſt convenire magis ſibimet *Labia oris* & *Naturæ muliebris*; nam & *Idem Septal. p.* 7. concedit ſi Nævus in labro ſuperiore, nævum quoque apparere in perinæo, & diſertè in noſtram deſcendit ſententiam p. 30. quando inquit: In Fœminis os ut plurimum Arvum genitale commonſtrat, & à *labrorum* ratione neſcio quid ſimile *ad Naturæ muliebris alas* deduci poteſt. Totum fundamentum hujus conſenſus conſiſtit *in Harmonia* membrorum *vel Proportionis*, ſi ſola membrorum menſura conſentiat, quæ non ſemper certa, *vel ſimilitudinis* in quibuſdam accidentibus, quæ plerumque certiſſima eſt.

Non mirum itaque ſi Phantaſia conſenſum Partium Corporis ſuperiorum cum inferioribus obſervans, Nævos iſtos non connatos, ſed momentaneos quoque & temporarios in Labiis faciei ad labia uteri traduxerit. De mirâ verò vi Phautaſiæ Nævos excitante alibi commodior erit diſſerendi locus.

[*D. Phil. Jac. Sachs à Levvenh.*]

OBSERVATIO XXI. PATHOLOG.

D. HENRICI VOLLGNAD:

EX VEHEMENTI ILLISU ABDOMINIS Lethalitas.

CUm Anno 1659. d. 24. Aug. Sereniſſimi Principes Altemburgenſes, Dux FRIDERICUS VVILHELMUS & MAGDALENA SIBYLLA, nunc pientiſſimæ memoriæ, non procul à Coburgo in Silvis Hilperhuſiis venatione Cervorum delectarentur, accidit, ut Servum Venatorium (Ottonem Fridrich vocatum) cervus de improviſo impeteret; ille Sodalium auxilio deſtitutus ſe poſt arborem denſioris trunci recipit, hac ratione cervi inſultus eluſurus. Sed conſilium optimum peſſimus eventus ſubvertit; nam Cervus fortè agilior venatore, eum à tergo cornibus petens, primo arbori impetuosè ac Abdomine tenus illiſit, mox cornibus ſublatum, per aliquod ſpatium deportavit, donec tandem miſerum ſibique gravitate moleſtum onus ſuper terga, in terram projiceret. Jam Sodales, qui facinus hoc eminus adſpexerant miſello accurrunt, ipſumque tantum non exanimem inveniunt, proinde protinus auxilium à Sereniſſimornm PP. Chirurgo, Joanne Hilſcher, qui in ſtatione venatoria cum aliis aderat, petunt. Hic luſtrato undique corpore, nullius noxæ inveſtigare potuit indicium, niſi quod ſiniſtra natium apice cornu cervini ad mediocris pollicis profunditatem adacto, vulnerata eſſet; unde conjectura facta eſt, periculum enormius haud latere, modo ex terrore deficiens animus (dicebant enim hominem aliàs nimis eſſe puſillanimem) recrearetur & ad ſe rediret; quo fine ipſi vini hauſtus, quem tantopere deſiderabat, exhibitus, vulnus verò quoad licuit aptè deligatum eſt. Interea Sereniſs. Principes mandaverant, ut quàm primùm Coburgum in curru deferretur, quò à ſui corporis Medico, Dn. D. Joſepho Claudero & ſupra nominato Chirurgo, ægroto neceſſariis medicamentis melius proſpiceretur. Delato ergo circa crepuſculum in Urbem venatore, omnia quibus opus eſſe videbatur adminiſtrata ſunt, imprimis verò poſt deligatûm denuò vulnus, Emplaſtrum ſupra totum Abdomen, quod inſigniter & maximè circa umbilici confinia, dolere continuis ejulatibus pronuntiabat, applicatum eſt, adhibitis ſimul internè quæ reſolvendo ſanguini eſſent & Cor reficerent, nam adhuc iterumque animo linquebatur, ſudoribus faciem largiter irrorantibus, & ſiti ardentiſſimâ præcordia angente. Hæc rerum facies utut graviùs quidem malum latere facilè minabatur, tam brevem tamen vitæ moram reſtare vix quiſquam adſtantium ſibi perſuadere poterat, qui magis notam ægroto puſillanimitatem exprobrare quam ipſius miſericordia teneri videbantur. Verum paucis ab hinc horis, dum media nocte deliquia increbreſcerent, vita hominem reliquit. Delatâ ſummo mane ad Sereniſſimos morte, dictum factum cadaver Diſſectioni deſtinatum eſt, ad quam ſe accingentes extrinſecus ſingulas corporis partes bene iterum perluſtrarunt, nullius tamen læſionis indicium exſtitit, ſed præter ſupra memoratum vulnus, dorſum ſolummodo, quâ os ſacrum vergit ad ſcrotum uſque & aliquam pubis partem, extravaſatus & intra cutem coagulatus ſanguis, diverſo ſolitoque livore tinxerat. Jam Abdomine integumentis exuto Peritonæum removendum erat, quod ubi prima inciſione perforaretur, ſtatim inde aqua cruenta, velut è Syringâ propulſa, altiſſimè proſiliit, cujus deinde tanta quantitas deprehenſa eſt, ut totam civitatem Abdominis undiquaque inundaverit. Hâc ſpongiis exhauſtâ inteſtina accuratiùs inſpicere licuit, in quorum *Ileo & Colo quinque foramina rotunda* groſſum argenteum Miſnicum capientia, nec non in ipſo *Meſenterio* proximè ad inteſtinum rectum *fiſſura* inventa eſt, alibi vero in *Eodem* aliquot maculæ lividæ & ſemicorruptæ, pariter groſſo non minores, conſpectæ ſunt: Reliqua viſcera omnia ſarta tecta fuere.

Quod vero inteſtina, præcipuè Colon, quod tamen adeo craſſum eſt, rumpi tam facilè potuerint, non adeò mirum videri debet, modo perſpectum cognitumque reddatur, quod homo dictus, tota illa nocte, quæ fatum ſuum exitiale præceſſerat, dum apud apparatum venaticum unà cum aliis excubias ageret, & ſequenti die dum feræ in ſtationem cogerentur ſub ardentioris ſolis radiis verſaretur, nimis multam quantitatem Cereviſiæ, quaſi continuò ac affatim ingurgitaverat, adeoque inteſtina ſummopere repleverat & diſtenderat.

OBSERVATIO XXII. THERAPEUT.

D. JOHAN. FERDINANDI HERTODII.

USUS LACTIS IN PUTRIDIS.

CIvis Nicolasburgenſis ſexagenarius cum ultra annum febre quartana intermittente ſimplici preſſus eſſet, multiſque remediis in caſſum adhibitis, febre tamen permanente, ſenſim deperditâ ciborum appetentia, ad Tabem properare viſus eſt. Diffidens de ſalute patiens, me unà cum Excell. Dn. Georgio Franciſco Goll, Phyſico civitatis Nicolaſp. in conſilium vocat. Inter alia dum de prognoſtico diſcurreremus, appetitum deperditum in hâc febre, præſertim ætate hâc declinante, pro malo ſigno ediximus, teſtante idipſum *Vvolfgang. Hæfero in ſuo Hercul. Medic. l. 6. f. m.* 258. quod & alii plures obſerverunt. Orta quæſtio, *an in hâc febre Lactuto propinari poſſit*? contrarium tenente prænominato Dn. D. Goll, allegavit Hipp. ſect. 5. §. 65. Lac dare caput dolentibus malum, malum vero & febricitantibus &c. Sed altius mihi hunc Aphoriſmum ſpeculanti, in quibuſdam febribus putridis Lac exhiberi poſſe ſtatui, præſertim in ægro noſtro ad tabem diſpoſito, & in quo præter febrem nil aderat, quod Lac impediret. Ac proinde penſitatis penſitandis omni die, quâ Patiens à febrili paroxyſmo immunis eſſet, Lac caprinum methodicè exhibuimus, eo quidem effectu, ubi per aliquot tempus continuaſſet, notabiliter incraſſari, refici & viribus reſtitui cœpit, redeunte appetitu, & paulo poſt medicamentis antifebrilibus ſumptis febris deſiit.

Hic nonnemo de audacia in Lacte exhibito hæſitabit, ſed ubi quis Aphoriſmi prædicti ſequentem tranſlationem antiquam diligentius penſitaverit, aliter procul dubio concludet, quæ ſic ſe habet: Lac dare caput dolentibus, malum; malum vero febricitantibus, & quibuſcumque qui hypochondria ſuſpenſa rugiunt, & ſiticuloſis: malum vero quibus felleus receſſus, & in acutis febribus, & in quibus ſanguinis egeſtio multa facta eſt. Convenit vero Phthiſicis non valde febrientibus; dare vero & in febribus longis nullo prædictorum ſignorum præſente, & extra rationem tabefactis.

Supponit ergo phthiſicos febricitare nonniſi febre hecticâ, ergo per febres longas, febres quaſdam putridas intellexit, ſed cum nec in omnibus febribus putridis tuto Lac conveniat, duas addidit conditiones requiſitas: 1. ut cum ejuſmodi putridis non jungatur capitis dolor, neque illorum murmuratio, neque ſitis, &c. 2. ut febribus ſimilibus laborantes, toti quaſi conſumpti conſpiciantur.

Ad hunc modum cum ſe haberet Patiens noſter, ad Lac, ceu ad Sacram Anchoram, confugimus; conſulente & ipſo Rhaſe 23. contin. cap. de Lact. qui caprinum Lac in Phthiſi & febribus antiquis proponit. Neque credibile eſt, ipſum per *febrem antiquam*, Hecticam intellexiſſe, ceu quæ ſub phthiſi comprehenſa eſſet, omnis enim phthiſicus perfectus, Hecticus. Conſentiunt nobiſcum *Theodorus Gaza* & *Hieronym. Accorombius Eugubius* tractat de Lacte, qui tres ſimiles Hiſtorias febritum Putridarum per Lac curatarum recenſent.

[*D. Hertod. in Litter. è Brinna Uratiſlaviam miſſis.*]

OBSERVATIO XXIII. PHYSICA.

D. THOMÆ BARTHOLINI.

SIRENE DANICA.

DE *Sirene*, prope portum noſtrum Hafnienſem, ſerenâ hâc æſtate Anno 1669. apparente, fama vulgavit. Spectatores habuit in littore noſtro quàm plurimos, bonâ fide viſa narrantes. In crinium tamen colore non conſentiunt, quibuſdam rubrum, aliis nigrum aſſerentibus. Faciem humanam imberbem confirmant, caudam verò bifidam, quæ diverſa eſt ab illa cujus anatomen in Hiſtoriis rarioribus tradidi, cujuſque oſſa quædam ſervo; hujus quippe cauda informi carne conſtabat (uti ibid. *cent.* 2. *hiſt.* 11. depicta) niſi ſexus diverſi indicium eſſe debeat, vel ætatis diverſæ. Ex Phocarum verò genere eſt. Crinium diſcrimen apparens, ex ſitu corporis vario & ſolis radiis variè incidentibus forſan dependet. *D. Th. Bartholin. in Litt. Uratiſlav. miſſis ad D. Sachſium, è Hafnia Danorum.*

SCHOLION.

Quia Aquarum & maris, reſpectu orbis terreſtris, tam vaſtum & capax fuit ſpatium, incolarum maris quoque infinitus futurus numerus, & multò plures ipſorum piſcium ſpecies, quàm avium aut terreſtrium beſtiarum, ideo variæ à ſummo Architecto formæ erant Aquatilibus indendæ, & res aliæ quoque imitandæ. Unde marina etiam *cæleſtes res* referre vidimus, Lunam piſcem & Stellas à ſimilitudine ita dictas: nutrit Oceanus *piſces volantes* ad lineam Æquinoctialem, volatu aëra ſecantes, & naves appetentes: ſunt Accipitres marini, Hirundines pelagicæ: In Oceano *arborum fruticumque* innumeræ ſpecies, & piſces à plantis denominati, *Urticæ*, *Paſtinacæ*: ſunt alii *rerum arte confectarum* ſimilitudine gaudentes; Rotæ, Gladii, Serræ, Acus, Pugillares; ſunt analoga in Aquis *Animalia* Leonibus, Vaccis, Equis, Canibus, Rhinocerotibus, Lupis, Bobus, Vitulis; quidni & *Hominibus ſimilia* animalia ibi inveniri poſſe cenſendum ſit, tam multis oculatis teſtibus conſentientibus? Nam ſi in terrâ quoque nutriuntur animalia, hominum ſiguram externam, & geſtus exprimentia, licèt verâ & perfectâ ſint ratione deſtituta, ut de *Simiis* res clara eſt, & in *hominibus ſylveſtribus*, quos curioſæ peregrinationes exhibuerunt: (& talis ex Angolâ Friderico Henrico Auraſianenſium Principi donatus, Ourang Outang dictus, deſcribitur & delineatur à *D. Tulpio l. 3. obſ. 56. p.* 275. uti fœmella ſilveſtris, faciem manibus regens, ubertim lachrymans, gemitus ciens & cæteros humanos actus, præter loquelam, exprimens, depicta à *Jacob. Bontio l. 5. hiſtor. Indor medic. c.* 32.) quidni & talia marina animalia producere poſſit Oceanus, maximè mirandorum fœcundus Parens, quæ plerumque ſub Phocarum genere comprehenduntur?

Tales homines Piſciformes Veteres *in ſexu perfectiore* vocarunt *Tritones Plin. l. 9. c. 5. Pauſan. l. 9. in Bœotici*. Ex Recentioribus de Tritone in Hiſpania & Epiro viſo *Alex. ab Alex. l. 3. Gen. D. c.* 8. & de pluribus aliis ex *Majol. Dier. canic. colloq. 9. p.* 349. ex *Nierenberg. l. 5. Hiſtor. Natural. c.* 14. ex *Scalig. exerc.* 226. §. 12. *& vliis*, *Schottus in Phyſicâ curioſa lib.* 3. *c.* 3. §. 362. & ſeq. Depingit quoque *Geſnerus in hiſtor. animal. marin. ord.* 12. *de cetis fol.* 174. *Hominem marinum* cui nomen *Monachi marini*, propter ſimilitudinem, & alium, cum mitrâ Epiſcopali. Deſcrepant tamen Authores inter ſe in horum deſcriptione, dum *alii* illos pube tenus inſtar piſcis caudatos faciunt, *alii* etiam cum pedibus humanis. Et talis fuit perfectè *hominem mentiens*, etiam pedibus, cum prolixâ barbâ, qui hoc ipſo ſæculo Anno 1619. Regis Daniæ conſiliariis ex Norvegiâ Hafniam navigantibus in mari ambulans viſus eſt, ſub brachio portans faſciculum graminis; hic ineſcatus petaſone funi appenſo in navem fuit pertractus, ſed cum loqueretur & nî dimitteretur navigantibus interitum navis minaretur, ipſi rurſus in mare proſiliendi libertas data fuit, referente *Ioan. Philipp. Abelino in Theatr. Europ. tom.* 1. *f. m.* 321. niſi hunc ſpectris potius accenſendum eſſe, quàm naturalibus Tritonibus velimus, ob ſermonem articulatum & prædictiones.

In Sexu ſequiore SIRENES vocantur tales *piſces*, nec res fabuloſa prorſus, licèt cantus ipſorum mera ſit fabula. *De Sirene à Theodoro Gaza* in littore Peloponneſi viſa *Alex. ab Alex. l.* 3. *Gen. D. c.* 8. & *Schottus l. a. c.* 4. *p* 466. qui *Ncreides* diſtinguit à *Sirenibus*; & è *Nereidum* numero illas facit, quæ pedibus humanis præditæ, qualis illa ab Exc. *D. D. Ionſtono in Thaumatograph. claſſ.* 10. *c.* 5. §. 9. annotata; anno Ch. 1403. in Hollandiæ lacu capta, eò è mari rejecta, quæ & indui ſe paſſa eſt, panis & lactis uſum admiſit, fila è colo ducere didicit, ſemper tamen muta manſit. Spectro contra potius annumeranda illa quondam in Daniâ capta Sirene, narrante *D. Th. Bartholino cent.* 2. *hiſtor. rar.* 11. *p.* 187. netrix, loquens ſimul & futura prædicens. *Aliæ Sirenes* infra ſunt caudatæ & *vel exactè hominem* ſuperius & *femellam referunt*, *vel ex parte* tantùm. *E priorum* grege eſt illa *Sirene* à Capitaneo Anglico Joanne Schmidt in Indiâ Occidentali, in Novâ Angliâ in littore portus S. Joannis viſa Anno 1614. quæ hiſtoria à *Joan. Lud. Godofredo* enarratur *in Hiſtoriâ Antipodum part.* 1. *f. m.* 193. & à *Georgio Stengelio in de monſtris c.* 2. §. 8. *p. m.* 58. qui Capitaneus, cum vix haſtæ ſpatio mari abeſſet, optimè Sirenen adnatantem conſpexit; erat ei eximia forma, oculi, nares, aures, genæ, os, collum, frons, totus vultus virginem venuſtiſſimam præ ſe ferens, capilli cyaneo colore per humeros defluentes, quod ſub umbilico fuit, piſcem repræſentavit. Sunt tamen *Sirenes* à quibuſdam Authoribus paulò aliter recenſitæ, etiam in partibus ſuperioribus parum ab homine diſcrepantes. Ex *Bernardino Gennaro l.* 1. *c.* 9. *Itiner.* narrat *Barthol. l. a. p.* 189. quod in flumine vaſto Cuama, propè Caput Bonæ Spei, *Sirenes*, quæ mediâ parte ſuperiore formæ humanæ ſimiles, capite rotundo, ſed immediatè thoraci juncto, ſine collo, auribus, oculis, labris, dentibus hominibus planè conformes, & ex mammillis preſſis lac emanare. Tales ἀνθρωπομόρφους piſces in Orientalis Indiæ mari quoque ad Inſulas Vaſſayas ſeu Pictorum, Hiſpanis parentes & ad Inſulas Philippinas, ex relatione *Didaci Bobadillæ* iſtarum Inſularum Procuratoris certis anni temporibus capi refert *Athanaſ. Kircher*; *l.* 3. *Art. magnet. part.* 6. *c.* 2. §. 6. *novæ auctæ Roman. edit.* & vocari *Peche Mugcr*, ab indigenis Duyon, iiſque aſſignat caput rotundum, nullâ colli intercapedine trunco compactum, naſum aberrare ab humano naſo, reliquas partes homini ſimiles, pectus albâ cute contectum; mammas habere non pendulas, ſed quales vitginibus ſunt, globoſas, brachia lata ad natandum apta, nullis cubitis, ulnis, manibus, articulis diſtincta.

Hiſce convenit *Homo Marinus*, cujns exuvias Anno 1647. in Maio vidit *al Torre*, oppido & portu mari rubro adjacente *Dn. de Monconnys Itiner.*

Ægypt. tom. 1. *p.* 252. cujus verba ex Gallico tranſlata ita ſonant: *Homines* iſti *marini*, inquit, ſunt grandes piſces in mari rubro capti, magnitudine inſtar Cameli; caput ipſis eſt inſtar bovis, cauda ad modum piſcis, reliqua corporis pars à ventre verſus ſupernas partes inſtar hominis aut potius fœminæ, (ſunt etenim utriuſque ſexus) habent pectus, mammas, brachia, & manus inſtar hominis, niſi quod digiti cartilagine ſive membrana quâdam invicem juncti ſint, ſicut pedes anſeris plani, aut ſicut alæ veſpertilionis. Ita referunt, qui tales viderunt. Vidi tamen poſtea manum, ubi tamen oſſa jam erant excorticata. Religioſi promiſerunt, quod vellent mittere integrum talem piſcem, quamquam ferè impoſſibile, ut quis integrum capiat, cum ſuperſtitio ſit Turcarum piſcatorum, non minus quàm lege prohibita, talem piſcem exteris tradere, quare ſtatim cum capitur, caput reſecant & mari injiciunt. Vidit *Idem* ibidem *Sirenis corium*, quod longitudine decem pedum fuit, craſſitie majore quàm bubali corium licet maximi, & ligno durius, ex quo parant ſcuta globulis ex ſclopetis minoribus impervia, item ſoleas calceorum, quæ per triennium durant. De hoc homine marino dentem dono accepit *Idem D. de Monconnys*, cujus vim ſummè bezoardicam cum Cairum redux ex monte Sinai veniſſet, præſente D. de Paſcal in cane à viperâ commorſo tentaſſet, fruſtraneum tamen vidit effectum.

Talis *piſcis Sirenis* corium in eodem oppido *Torre* ad mare rubrum unà cum mammillis & umbilico ſuſpenſum (rejectis brachiis & capite) extremâ parte piſcem referens vidit antegreſſo ſæculo *D. Chriſtophorus Furerus de Heimendorf* Petrit. Norinb. iſtic locorum iter faciens *Anno* 1565. uti narrat in *Itiner. Terr. Sanctæ à ſe conſcript. p. m.* 122. Cum his convenit *Sirene* à Petro Pavv. Prof. Lugd. Batav. diſſecta, & ab Excell. *Bartholino cent. II. hiſtor. rar.* 11. depicta, cujus manus & coſtæ adhuc ſervantur in Muſeo Bartholiniano. Sic etiam Pragæ in Theſauro Cæſareo monſtrata fuit manus Sirenes à D. Vollgnadio, & alia manus Romæ in Muſeo D. Corvini à D. Elſnero & Collegis curioſis viſa. *Kircherus* quidem in deſcriptione hujus piſcis ulnas ei & articulos in brachiis & manibus abnegat; *D. de Monconnys* tamen cum *Exc. Bartholin. p.* 189. in brachiis radium & cubitum admittit, licet ob natandi commoditatem valde curtum, vix quatuor digitos tranſverſos longum, nec ampliorem quoque humeri ductum. *Sirenes* quoque extra mare, *in fluviis* inveniri Authoritas eſt *Petri Petreii de Erleſunda in Hiſtor. Moſcovitic. p. m.* 88. In altero latere Provinciæ Lucomoriæ, inquit, (quæ ad extremos fines Moſcoviæ eſt) *in fluvio* maximo *Tachni*, relatum eſt à Ruſſis inveniri ibi piſces, qui capitibus, oculis, naſo, ore, manibus, pedibus & aliis membris cum homine conveniant. quanquam loquela & ratione ſint deſtituti, ſaporis eſſe admodum dulcis, quando comedantur.

Tandem uti *Sirene Danica* (de qua loquente ante ex *hiſt.* 11. *cent. II. Barthol.* dictum eſt) futura prædixit Regno Daniæ, ſic & hanc mutam anno 1669. comparentem infauſtum omen fuiſſe hoc anno ſubſecutæ mortis inopinatæ Sereniſſ. & Potentiſſ. Regis FRIDERICI III. Principis Optimi, eventus docuit.

[*D. P. J. Sachs à Levv.*]

OBSERVATIO XXIV. CHIRURGICA.

D. JOANNIS FERDINANDI HERTODI. à Totenfeld.

HÆMORRHAGIA DIFFICILIS SANATU.

SAnguinem eſſe vitæ noſtræ theſaurum, Animæ ſedem, ac Spiritus vitalis vehiculum, quo diffluente omnia in corpore pereunt, & homo cadaveroſus relinquitur eſca vermium, quotidiana nos docet experientia. Hoc idem teſtari debuiſſet Amicus mihi ſinceriſſimus 36. circiter annorum, plethoricus & ſatis robuſtus, qui dum paulò largiori mora radiis Solaribus ſe expoſuiſſet, improviſo hæmorrhagia utriuſque naris hora ſecundâ pomeridiana correptus, eaque non intermittente, me circa ſeptimam vocare jubet. Sanguis qui fluebat copioſus erat, cum ſaltu, rubicundiſſimus, teſtis furioſi & ab atomis ſolaribus irritati Archei, excitantis turgentem particularum ſanguinearum fermentationem, quam ſubſecuta eſt oſculorum Arteriarum apertio. Hîc conſtantibus adhuc viribus illicò ſanguinem, tam in dextro quàm ſiniſtro brachio partitis vicibus mittendum præcepi, non neglectis cucurbitulis tam ſcarificatis ipſis ſcapulis, quam ſiccis ipſis ſuris ad revulſionem appoſitis. Ad contemperandum ſanguinis fervorem Julap. exhibitum ex Aq. plantag. burſ. paſtor. Syr. de Roſis ſicc. Lap. prunell. &c. Ad ſanguinis fermentativi motus inhibitionem ab intra propinata Mixtura ex Aq. Equiſet. portulac. Syr. corallor. Lap. hæmat. & croco ♂ adſtr. Ab extra verò Epithema ipſi fronti & teſtibus applicatum ex Aq. fol. quercus ſpermat. Ranar. acet. roſ. & lapit. hæmatit. Ad conſtrictionem Oſculorum inflatus pulv. ex ſtercore porcino, & ad fœtorem diſcutiendum diſtemperatus pulv. roſar. & balauſtor. Ore maſticata & deglutita radix Cichor. flor. albo in ſigno Virgin. collecta, ad hæmorrhagiam alias ſpecifica. Imo ipſe pulvis Ranarum calcinat, & Uſnea Cran. hum. uſurpata fuerunt: aſt fruſtraneo effectu & ſpe plena periculi, niſi pulverem ſeq. in nares inſufflaſſem, cujus Authorem nomino *Excell. virum D. D. Matth. Franciſ. Hertod.* Inclyt. Stat. Marchionatus Moraviæ Medicum digniſſimum, qui primus eumdem communicavit, & Tartaro-Maſtigi meo Moraviæ, cap. 4. pag. 27. inſerendum tradidit. Recip. Alumin. crud. q. pl. adde Laccæpictorum, Germ. *Rugel-Lact*, q. ſ. ad pul. incarnato colore ſaturandum. Hoc pulvere ſæpius repetito, hunc ægrum ut & alios plurimos (niſi hæmorrhagia ab eroſione valvulæ tertii Sinus cerebri contigiſſet) ab orci faucibus, Deo benedicente, liberavi. Hujus quoque pulveris admirandas & eximias virtutes ſat dilaudare nequit Civis quidam Brunenſis Ephippiarius, qui dum dentem per Chirurgum ſibi evellere curaret, & ſubjacentia vaſa læderet, ſubſequente hæmorrhagiâ copioſiſſima, & vix non lethali, nullo medicamento licet efficaciſſimo quam hocce ſolo pulvere curari potuit. Plures hujus pulveris obſervationes, ubi etiam ad ferrum candens erat deſcendendum, adducere poſſem, nî tempus inaniter tererem, & B. L. tædio afficerem. Merito itaque ſit benedictus Deus, ex cujus inexhauſta munificentia hocce nobis innotuit medicamentum.

[*D. Hertod. in Litt. è Brinno Uratiſlaviam miſſis.*]

OBSERVATIO XXV. CHIRURGICA.

D. JOAN. FERDINAN. HERTODI.

FRACTURÆ GRAVIDARUM difficiles curatu.

PRolis humanæ portio res eſt Diis omnium longè chariſſima; Dionyſ. Halicarn. l. 1. ad cujus conſervationem in neceſſariis Natura Dux optima plus fœtui, quàm ipſi Matri proſpicit. Elucet hoc in Fracturis Gravidarum, ubi oſſis fracti coalitum non modò difficilem, verùm etiam quaſi impoſſibilem experimur, quod pauci obſervarunt. Matrona quædam Agnata mea in quinto gravidationis menſe, alias ſana, patitur luxationem repoſurit, naturam verò ad callum generandum in fractâ Tibiâ, etiam jam per tres menſes, adhibitis quæ calorem naturalem conſervarent, ſymptomata ſupervenientia averterent, ſollicitare nequivit. Diffidens de ſanatione agnata me quoque in conſilium vocat, quàm bono animo eſſe admonui, & callum fractæ Tibiæ dum enixa fuerit partum, certè futurum ſpopondi. Quid fit? parit agnata puerulum ſaniſſimum, & uno menſe poſt, callum in oſſe fracto generatum experitur. Simile quid etiam obſervatum antehâc in gravidâ à ſingulari Amico, dum in Italia degerem, intellexi. [*Herod. Litter. è Bruna Morav. Uratiſlav. datis ad D. Sachſium, &c.*

SCHOLION.

Difficultatem circa curam Fracturæ in Gravidis jam agnovit *Guill. Fabritius Hildanus Cen. VI. obſ. Chirur.* 68. *f.* 582. in cura Conjugis Senatoris Bernenſis. quæ tibiam ſiniſtram intra genu & talum fregerat, ubi licet maximam diligentiam adhibuiſſet, ut callus generari poſſet, nihil tamen effecit, niſi ubi enixa fuerit infantem, tunc demum ſpatio quadraginta dierum confirmatus eſt callus; cum decem ferè menſes circa hanc curam fuiſſet occupatus. Hinc Tibias gravidarum veriſſimè fractas, quamdiu ventrem ferunt, mediante callo coaleſcere poſſe impoſſibile eſſe expertus eſt, quia Natura tota circa fœtus formationem occupata, materiam ad formationem calli deſtinatam ad uterum mittit, & oſſa fracta negligit. *Idem* obſervavit *Hildan. Cent. V. obſ.* 87. *f.*486. in alia gravida, quæ ſeptimum menſem imprægnationis erat trangreſſa quando Tibiam fregit, ſed tamen calli reſtitutio maximas fecit difficultates, ut propter fœtum etiam 23. ſeptimana poſt contractam fracturam, movendo pedem, oſſa confracta adhuc vacillarent; circa trigeſimam demum ſeptimanam facta fuerit reſtitutio: nam quia calli generatio fit ex puriſſimo ſanguine, eumdem verò alimenti loco, fœtum in utero ad ſui nutritionem, & poſt extra uterum, ex mammis cum lacte materno attraxiſſe, credibile cenſet. Dum hæc olim legiſſem apud *Hildan*: ſubtimidus fui ob prognoſticum, de eventu morbi, quando anno 1660. ad curam Gravidæ fœminæ quinto menſe, hîc Uratiſlaviæ Mercatoris primarii & mei conſanguinei conjugis vocarer, quæ patellam in ſiniſtro pede fregerat. Nihilominus in hâc fœmina Natura adeò robuſtam ſe exhibuit, ut accedente dexteritate & diligentia *Joan. Georgii Hancke Chirurgi*, decennali Indiæ Orientalis peregrinatione & præcipuè in Japonia, clari, intra ſex ſeptimanarum ſpatium fuerit reſtituta, antequam fœtus in lucem ederetur, & officia in domo obambulando licet cum aliquâ difficultate obire potuerit.

[*D. P. J. Sachs à Levvenh.*]

OBSERV. XXVI. ANATOMICO-PHYSICA.

D. JO. THEODORI SCHENCKII.

CEREBRUM BOVIS PETREFACTUM.

NOtabilem obſervationem pronuper 6. Martii ad me perſcripſit *Patavii* degens Lucas *Schrœckius Auguſtanus* Medic. Licentiat. quam non gravabor tranſcribere & veſtris Ephemeridibus Curioſis conferre. Circa principium hujus anni 1670. in quodam vicino Patavii pago ad monachos D. Juſtinæ ſpectante *Bos* quidam mactatus Cerebrum in marmoream planè duritiem exhibuit, qui aliis bobus ſtupidior, capite ſemper pendulo & quaſi nutante inceſſit, uſque dum tandem plane marceſcere incœperit, unde ipſum jugularunt, ſed aperto corpore omnia membra ſalva invenerunt; diſrupto autem Cranio, ſtupiditatis iſtius cauſa reperta fuit. Cerebrum hoc in Monaſterio dicto D. Juſtinæ jam aſſervatur.

[*D. D. Joan. Theod. Schenckius in Litteris Ionâ Uratiſlav. miſſis ad D. Sachſium.*

SCHOLION.

Eamdem Hiſtoriam ferè eodem tempore mihi Litteris è Vienna narravit *D. D. Goorg. Sebaſtian. Iung. Collegæ Curioſus* ſuaviſſimus his verbis: Nuper ex Italia Viennam redux *D. D. Helmperger* narravit mihi ſe Patavii menſe Januario hujus anni 1670. vidiſſe Cerebrum Bovinum (excepto cerebello ac medulla ſpinali) totaliter petrificatum, quod in lectione publica exc. D. D. Scarabicius, dum de Affectibus capitis ageret, demonſtravit. Obſervatum fuit Bovem hunc 14. diebus & ultra, antequam mactaretur notabiliter ac ad ſenſum manifeſtiſſimè in dies defeciſſe ac contabuiſſe, quod à defectu ſucci nutritii per nervos defluentes ob cerebrum, proximam hujus ſucci materiam, à Spiritu gorgonico in Lapidem coagulatum, proveniſſe exiſtimo. *Hæc Iungius.* Mirari multi poſſent & in dubium vocare inſolitum hoc narratum. Inſolitum quidem, non tamen inaudita res eſt noſtra ætate. Adducam teſtem Curioſitatum Promumcondum *Excellentiſſ. Dn. Th. Bartholin.* cujus verba *ex Epiſt.* 8. *Cent. III. ad Excell. Dn. D. Ioan. Dan. Horſtium* 1660. 2. Novemb. ſcripta pro majore illuſtratione adducam. *Pag.* 41. Nuperis annis ex Suecia nobis relatum fuit Bovis Cerebrum univerſum in lapidem mutatum eſſe, quod illo mactato demum deprehenſum, cum antea prono ſemper & inclinato capite in paſcuis, vix oſſibus hærens, ægrè progrederetur. Dubitavi exinde, qua via ſpiritibus patuerit commeatus. At nuper cum ex obſeſſa urbe Hafnenſi benevolè in caſtra Suecica eſſem invitatus ab Illuſtriſſ. Legatis & Senatoribus Dn. Sciringo Roſenhan & Dn. Stenone Bielcke, magnis Litteratorum Fautoribus, comperi à laudatis Viris rem, prout narrata fuerat, veram eſſe, ſervarique adhuc Cranium cum incluſo cerebro lapideo in prædio quodam Oxenſtirniano: ad ſpirituum verò liberum tranſitum relicta videri hinc inde foraminula excavata, quæ per ſtramen immiſſos liquores & flatus tranſmittant, utque magis & crederem quæ dicebantur à fide digniſſimis, & diligentius in inuſitatæ rei cauſam inquirerem, promiſit illuſtris Bielckius vel iconem accuratam, vel particulam Cerebri ſaxei. *Hactenus Dn. Bartholinus.* Non inconſonum forte rationi, ſi judicatur ex circumſtantiis, non momentaneam fuiſſe petrificationem, ſed potius ſucceſſivam, ea ratione, ut eandem ſtatuit *Dn. de Monconnys* Gallus, *in Itiner. Ægypt. p.* 248. *de* Silicibus *formam Cerebri exactam mentientibus* ad montem Sinai in deſerto *Sues* inventis: eſſe inibi terram ferè totam Nitroſam, quamvis inſipidam, ex aëre humorem glutinoſum diſtillare, qui terræ iſti junctus accedente maximo calore Solis, iſtis in locis frequenti, induretur, & pro varia roris nocturni alliſione particulis quibuſdam elevatis, quibuſdam excavatis, Cerebri formam repræſentet: interiores verò partes tum demum perfectè indurari & petrefieri, quum jam omnia ab extra fuerint petrificata, eâ ratione ac aquæ exterior pars primò congeletur, internæ partes dein ſucceſſivè. Experientiam habuit teſtem in aliquot diſruptis Lapidibus, ubi durus cortex & exterior pars tota petreficata fuit, interius verò adhuc materia fluida & quaſi diſtemperata inventa fuit. Forte pari modo (licet ab alia & adhuc ignota cauſa) *cerebrum bovinum* exteriore cortice primum fuit lapideâ cruſtâ obductum, unde adhuc motus remanſit bovi, indies autem imminutæ actiones, quo magis interior cerebri medulla petreficata fuit. Repetit eamdem Hiſtoriam de *Bove Suecico* & veriſſimam aſſerit, idem *D. Th. Bartholin. Cent. VI. Hiſtor. Med. Obſ.* 91. *p.* 357. adducens ſimul aliquot exempla Hominum, in quibus *Lapidesn cerebro* inventi fuerint ex *Kentmann. l. de Lapid. in Corp. Hum.* ex *VViero de Malef. Aff. c.* 16. *Corn. Gemma l.* 1. *Coſmogr. c.* 6. *Holer. l.* 1. *de Morb. intern. c.* 4. *in ſchol.* quibus adde *Eund. Barthol. Cent. l. Hiſt. Anat. rar. obſ.* 33. de Virgine Danica, quæ emunxit Lapides per nares, magnitudine dactylorum, poſt præcedentes Capitis dolores, & *G. Fabric. Hildanum Cent. I. obſ.* 11. qui in aperto capite filii Domini Bernardi ab Hazveld, Domini in VVildemberg, *lapidem* ex gypſea materia concretum & membrana incluſum in poſteriore parte capitis, inter duram & piam matrem iuvenit fortiter adhærentem; & recentiſſimum exemplum, quod enarrat Ex. Dn. D. *Theodor. Kerckringius* Med. Amſtelodam. celebris in Obſervat. Anat. hoc anno 1670. editis, qui in puero nuper ſecto Joh. Nicolao VVeſtphalo 14. annorum, ſtulto quaſi, ſemper ſomnolento & capite obtuſo cui glandula pinealîs defuit, & Lapis in dextro priore Cerebri ventriculo albicans repertus fuit, pendens grana 13. *Kercringius obſ.* 35. *p.* 76. Itaque ſi in homine non totum Cerebrum, partes tamen quaſdam cerebri induratas fuiſſe, tales Lapilli probant.

[*D. Ph. J. Sachs à Levvenh.*]

OBSERV. XXVII. PHYSICO-ANAT.

D. PHILIPPI JACOBI SACHS à Levvenheim.

RENES HUMANI PETREFACTI.

QUàm mirè Natura in corpore Humano *Lapidicinas* in omnibus omninò corporis partibus ædificet, & ſæpius in calculis, ſepulchrales lapides homini viventi exſtruat, quotidiana non ſolùm addocet Experientia, ſed & in omnibus reperitur Obſervatorum libris talium fœcunda meſſis, & Spicilegium quoddam exhibui Eorum in *Diſſertatione de mirandâ Lapid. Naturâ* ante aliquot annos edita. Hoc tamen maximè admirandum, interdum, licet raro, ipſam *officinam Lapidum* in vivente homine *marmoream* in tumbam degeneraſſe.

Ut mittam exemplum fœminæ Viennenſſis, cujus *Renes petrefactos* vidit *Mich. Textor* Medicus, & enarrat *Schenkius in Lithogeneſ. p. m. LXIX.* candem hiſtoriam, novum dabo exemplum, totius *parenchymatis*, *Renalis* ſcilicet, *petrefactionem.* Vixit paucis abhinc annis in Sileſiâ ſuperiore Nobiliſs. fœmina *Helena de Scalin*, Conjux Nob. Viri *Henrici Hartmanni* Præfecti Caſtelli montis S. Joannis, quæ maximis doloribus nephriticis per pluſculos annos exagitata fuerat, & tam ſpiſſam ſæpius minxerat urinam, ut in ipsâ emiſſione & ſtillicidio quaſi in fila diduci potuerit; ingruentibus interdum rigoribus in nephriticis conſuetis, lumbos ferè nudos fornaci admovit, ut ſe calefaceret, vix tamen calorem ſenſit, licet cutem ipſam fornacis flamma læderet. Tandem miſeriis hiſce diu colluctata, ſuccubuit circa annum 1661. nimiâ dolorum atrocitate. In diſſecto corpore inventi fuere ambo *renes obriguiſſe*, *tam dexter* quàm *ſiniſter* in alabaſtrinam duritiem & ſoliditatem.

Hanc ſummè curioſam hiſtoriam uti mihi narravit *Dn. Henricus Sturmius Phyſicus Oppolienſis & Practicus in ſuperiore Sileſia ſat celebris*, ita cum ſciret eoſdem *renes* aſſervari apud Nobiliſs. *Dn. Georgium Euſtachium Krauſe* tum temporis *Statuum Sileſiæ ſuperioris ad conventus Stat. Vratiſlaviam Legatum*, promotorem ſe exhibuit, ut majorem ex his renibus in Muſeum meum ad aliquot horas, penitus inſpiciendum, acciperem. Erat adhuc poſt Gorgonæam iſtam metamorphoſin *Ren* in ſuâ figurâ (quaſi fabacea) ordinariâ conſpiciendus, exterior parenchymatis pars & circumferentia ſemicircularis ſeu gibba renum pars videbatur quaſi in aliquot lobos corrugata, & poroſior reliquo lapide facto, coloris ad gryſeum accedentis, reliqua verò pars, verſus ſimam partem & pelvim, cùm reſectâ particula Ureteris principii, ſilicea tota, nihil magis quàm candicans alabaſtrum & duritie & colore exhibens; in ſuperficie venulæ aliquatenus rubeſcentes, quaſi ibi depictæ videbantur. Poſtquam hunc *Renem* dextrum diu digitis palpaſſem & ad libræ pondus examinaſſem, XI. lotones exſuperaſſe compertum eſt. Curavi eumdem ære incidi exactiſſimè, quem hiſce Ephemeridibus inſeruiſſem, niſi depictum exemplar tunc temporis ſtatim miſiſſem Chilonium Holſatorum ad *Excell. Dn. D. Joan. Daniel. Majorem Principis Holſato-Eytingenſis & Epiſcopi Lubeccenſis Archiatrum & Prof. P. in novâ Chilonenſi Univerſitate*, *Academicum Curioſum & Amicum* Concivemque *meum amantiſſimum*, ut eundem *Lithologiæ* ſuæ *Curioſæ* edendæ inſereret. Hoc maximè dolendum in iſtius cadaveris apertione Medicos Anatomiæ gnaros aut Curioſos defuiſſe, qui originem & finem iſtius petrificationis renalis annotaſſent, an toti ureteres ſilicei, (quia ipſorum principium reſectum duriſſimum & ſolidiſſimum) & quid forte veſica ipſa monſtri aluiſſet, de quibus circumſtantiis nihil expiſcari potui ulterius, ſola ἀυτοψίᾳ Renis dextri interim contentus.

OBSERVATIO XXVIII. ANATOMICA.

D. GEORGII SEBASTIANI JUNG.

IN SANGUINE MATERIA ALBA CIRCA COR.

MEmini me ante biennium circiter, unà cum Exc. Dn. D. *Zaccharia Manigetta*, p. t. Phyſico Znoimenſi in Moravia, interfuiſſe Apertioni Cadaveris virilis in Hoſpitali Aulico Viennæ, vulnere ab Apro in venatione ſupra genu inflicto defuncti, in cujus dextro cordis ventriculo & vaſis pulmonalibus, Vena Cava portiones aliquot *materiæ cujuſdam albæ, teretis, tenacis ac viſcoſæ*, ſpithamæ circiter longitudinis inventæ fuerunt. Similes quoque portiones aliquot ante annos, è cadaveris cujuſdam Corde ac Vaſis pulmonalibus extractas, ad Theatrum Anatomicum Viennenſe (dum Exc. Dn. D. *Laurentius VVolfſtrigel* Anatom. Profeſſor, fœminei cadaveris exactam haberet demonſtrationem) detulit Excell. Dn. D. *Schuberg*, ac nobis omnibus conſpiciendas exhibuit. Ego pro ingenii mei modulo, materiam illam pro chylo craſſo ac viſcido habui, qui ob fermenti vitalis vitium ac debilitatem ſpiritualſcere, volatiliſari ac in ſanguinem elaborari, nec ob craſſitiem debitè circulari potuit, unde in vaſis illis ſtagnans, formam illam ſublongam contraxiſſe videtur. Nec dubito materiam hanc in cordis ventriculos vi propulſam unà ſuffocationis ac mortis cauſam non minimam fuiſſe. *D. Jung. litteris Viennâ Uratiſlav. datis ad D. Sachſium.*

SCHOLION.

Obſervarunt jamdudum quoque, *Eraſtus* concretionem in *Corde* pituitoſam flaveſcentem inſtar medullæ, quæ in boum coctis oſſibus reperitur, apud *Thom. Bartholin. Anat. Reform. l. 2. c. 7. p.* 162. & in ſiniſtro *Cordis* ventriculo albicantem pituitam concretam, *Fontanus* apud *Exc. Joan. Dan. Horſt. manud. ad medic. p. 1. c. 1. ſ. 2. th. 3. p.* 39. & materiam craſſam, compactam, albam, laridum coctum referentem in ſiniſtra *Cordis* auricula, quæ Cordis ventriculum ſiniſtrum ſuffocando ventilationemque impediendo ſubitam mortem intulit. *Laz. River. l. 1. Obſ.* 82.

Quod autem materia *craſſa alba* in *ſanguine* reperta fuerit *circa Cor*, comprobat eò faciliùs aliorum fidem, qui etiam *in ſanguine per Venæ ſectionem educto* invenerunt *materiam albam* egredientem, quam alii *Pituitam*, *alii Lac*, *alii Chylum* vocarunt. *Sanguis* ægro in Tertiana duplici extractus è Salvatella, planè albus fuit & glutinoſus in modum Pituitæ, nec tamen ullum craſſi humoris in urina ſignum. *Joan. Rhod. Cent.* 1. *obſ.* 36. qui *idem Cent.* 3. *Obſ.* 32. teſtatur puellæ 16. annorum in Synocho *Sanguinem* ter miſſum, ſemper *lacteum* comparuiſſe. De Cerdone Caſtris vivente narrat *Borell. c.* 1. *Obſ.* 25. quod ille phlebotomatus ab omnibus venis, quæ vulgo ſecari ſolent, ſemper *ſanguinem album* emiſerit. Similem caſum narrat *D. Petrus à Caſtro in Obſ. mſ.* §. 6. Puerulo, inquit, cui *ſanguis* ex Salvatella extractus per duplicem Tertianam continuam, cum copia *Pituitæ* & rudimento Cachexiæ, exivit ita glutinoſum phlegma, ut aquam calidam in catino figulino cogeret, quæ nec ex inclinato effunderetur, nihil ſanguinis apparente nec alterius ſucci, præter pituitoſi ſucci, coacti inſtar cerebri vervecum. *Ipſummet* in Praxi *Uratiſlaviæ* bis obſervavi anno 1665. in muliere Zythopolæ conjuge, Febre quotidiana intermittente cum ſumma Cachexia laborante, quæ tamen reſtituta ſanitati, adhuc vivit; & anno 1670. menſe Martio, in litterato Viro, plurimis peregrinationibus per Angliam, Galliam Hiſpaniamque claro, qui morbo & Cachexiâ, tam à malâ diæta, quàm ab itinerum moleſtiis & diuturnitate contractâ oppreſſus fuit: in hoc poſt venam ſectam & concretionem ſanguinis, non tantùm in ſuperficie craſſum album phlegma apparuit, quod ſæpius fieri ſolet, ad craſſitiem dorſi in cultro, ſed *integra* educta *maſſa* purum putum *phlegma album* fuit, quæ nec diſcindi potuit, nec aqua injecta diſſolvi, ſed verſus ſolem expoſita, tota viſa fuit inſtar Laternæ Punicæ perſpicua, alba, flaveſcens parum, quàm integram ex pelvi deſumptam, aquâ lotam inſtar cutis in orbem ſtanneum extendere potui.

Quidam *Chylum* prodiiſſe putant in talibus *venarum ſectionibus*. *P. Borellus c.* 1. *Obſ.* 25. cum narraſſet anno 1648. viro febri maligna detento, venam ſectam fuiſſe, *ſanguinemque* albedinem *Lactis* retuliſſe pronuntiat, hoc à læſa facultate ſanguificâ, chylum immutatum relinquente factum fuiſſe. Audiamus quid *Illuſtre Collegium Regium Anglicanum* obſervarit: ita illud in *Tranſact. Philoſoph. Tom.* 1. *num.* 6. *p.* 100. verbis ex Anglico idiomate in Latinum ſermonem tranſlatis: Perſona curioſa ſcribebat nuper Pariſiis, quod in medici domo aperierant venam hominis, in qua invenerunt *Lac loco ſanguinis*, cum hoc referretur *Dno. Boylæo* Oxonii, reſpondebat, quod ſimilis obſervatio circa *ſanguinem album* facta fuerit per Eruditum Medicum, ſibi notum. Et cum hæc relatio videretur ipſi memoratu digna deſiderabat eamdem circumſtantialiter habere ab ipſo dicto medico, antequam plura de eâ diceret. Itaque *p.* 117. fit continuatio ejuſdem obſervationis ſeq. verbis: Poſtquam prior ſchedula impreſſa fuit, amplior ſequentibus relatio facta eſt: Prolixiùs accepi ab Ingenioſo *D. Lovvero* relationem Epiſtolicam de obſervatione circa *Chylum repertum in ſanguine*; quod licet videatur mirabile, attamen cum quibuſdam & meis & illius experimentis bene convenit, de quibus hic non locus dicendi. Hiſtoria, quanquam brevis, comprehendit plurima ſingularia; de eo, in quo mihi præcipuè diſcurſus moves, communicabo tibi, nulla certè minima verborum ipſius mutatione. Virgini, poſtquam largius jentaculum ſumpſiſſet circa ſeptimam matutinam, *vena* ſecabatur hora 11. ejuſdem diei in *pede*, *prior ſanguis* excipiebatur in pelvi, & brevi ſpatio *totus albus* reddebatur, *poſterior ſanguis* excipiebatur in Acetario, qui extempore *albeſcebat* inſtar *lactis* gelati, poſt 5. vel 6. horas venit Medicus, ut videret utrumque; & ille in pelvi erat *partim ſanguis*, *partim Chylus*, quibus ſerum album, inſtar lactis, ſupernatabat; & ille in Acetario *merus* erat *Chylus* ſine minima apparentia guttæ ſanguinis, & cum ſeparatim calefierent ad ignem, utrumque indureſcebat inſtar albuminis ovi, quando coquitur, aut inſtar ſeri ſanguinis quando calefit, ſed multo candidius. Hæc Virgo tum temporis bonâ fruebatur valetudine, & ſanguinem ſolum mittebat propter menſtrua ſuppreſſa, floridæ aliàs & optimæ conſtitutionis.

Refert IDEM ILLUSTRE COLLEGIUM ANGLICANUM aliud *Albi Sanguinis* exemplum *tom.* 1. *num.* 8. *p.* 129. *Dn. D. Joannes* DE ALE ſequenquentem communicavit obſervationem, ſuper relationem *n.* 6. recenſitam: Ad veſtram obſervationem, inquit, addere poſſum ſimile Phænomenon, quod

ego

ego accepi quaſi retrò 20. annis, de *Thomâ Day*, Pharmacopolâ Cambrigenſi, cui mittebantur ſanguis juſſu *Doct. Eade* medici: hujus viri *ſanguis* erat *albus inſtar Lactis*; cum exiret è *brachio*, dilutè rubebat, ſed mox cum in vas delaberetur *erat albus*, & perpetuò continuabant *ſimiles guttæ lactis* in pavimento, in quod decidebant. Conjectura, quam medicus conſpiciebat de cauſa hujus accidentis, erat, quod æger multos ediſſet piſces, affirmans ſimul, quod brevi ſuperveniſſet lepra, niſi per medicinam præventum eſſet. *Hactenus Angli.* In Scabioſo *ſauguinem lacteum* notavit *D. Iſaac Riverius medicus Mazamatenſis* ap. *Borell. l.* 1. *Obſ.* 25. Non deſunt qui *verum Lac* in fœminis quandoque cum *ſanguine* prodiiſſe affirmant: cum & puerperas quam plurimas per Uterum & Veſicam maximam lactis copiam effudiſſe, *Andr. Laurent. l.* 1. *Anat. Quæſt.* 10. teſtetur, & ex Bauhino adducat exemplum fœminæ *Schenck. l.* 2. *Obſ. Lit. de mammillis*, *Obſ.* 6. *f.*304. quæ dimidium cyathum lactis cum urina minxit, niſi ductus Thoracicus cum Emulgente communicans, ſecundum experimenta Dn. Gayant in Tom. 3. Ephem. Gall. faciliorem faciat viam. De lacte in fœminarum mammillis generato notat *Petr. d. Caſtro in Obſ. mſ.* quod mulieri lactanti per ardentem febrem ſanguinem miſerit, & à *Venâ ſectâ* exierit *Lac.* Dubitatum quidem an lac fuerit, nec ne, an vero alba pituita à conſortio ſanguinis ſeparata, tandem judicatum merum lac fuiſſe.

Sic refert *Joan. Rhod.* C. III. *Obſ.* 32. à *D. Caſtro* audiviſſe, quod dum ille Uxori Centurionis in Cantabria puerum lactanti in febre mali moris venam ſecare juſſiſſet, ex *aperta Baſilica* merum *lac* effluxerit, quod morbo per ſudorem ſoluto in mammas redierit: pariter Veronæ contigiſſe mulieri mali habitus filiam enixæ, & ſuppreſſis purgamentis, urgente febri, cum *ſaphena* dextra tunderetur, *lac* exiiſſe; quod *lac* fuiſſe non pituitam, coagulo fuerit compertum.

Tandem *lac vaccinum* in copia hauſtum, in puella nobili ſuppreſſis menſibus laborante, poſt ſectam venam *Saphenam*, *in ſanguine* pelvi excepto, *lac* loco ſeri conſpectum fuiſſe, quod pridie ante ſectionem hauſerat. Conjecturam facit exc. *Bartholinus Cent.* 1. *hiſt. Anat.* 17. ex lacteo Thoracico ramo prope jugulum, ramulum ſive in arteriam ſive in venam cavam implantatum, *lac* iſtud *hauſtum* ad Venæſectionis locum *cum ſanguine* detuliſſe.

[*D. Phil. Jac. Sachs à Levvenh.*]

* * *

OBSERVATIO XXIX. ANATOMICA.

D. GEORGIUS SEBASTIAN. JUNG.

LIEN MAGNUS, DUPLEX INTESTINUM COECUM.

CUm in elapsâ anatomiâ hujus anni 1670. Excell. *Dn.D.VVolfſtrigel* Anat. Prof. in Univerſitate Viennenſi ego aſſiſterem, obſervavimus in cadavere virili *Lienem* p.n. magnitudinis, cujus membrana in parte gibba potiſſimum in cartilaginem facile à ſubſtrato ſplenis corpore facilè ſeparabilem abiit. Arteria quoque ſplenica erat ſolito major ac varicoſa quaſi, unde cum per hoc vas debito majus plus ſanguinis ad Lienem deferretur, quam per venam ſplenicam naturaliter ſe habentem circulationis lege revehi potuerit, factum videtur, quod Lien adeo in magnam molem excreverit.

Idem Dn. *D. VVolfſtrigel* ante annum in hortulo ſuo me præſente in corpore puerili *duplex inteſtinum cœcum* reperit, quorum unum loco ordinario, alterum verò jejuno inteſtino annectebatur. *Dn. D. Iung. in litter. Viennâ Uratiſlaviam ad D. Sachs miſſis.*

SCHOLION.

Supr. *Obſ.* 2. *Lienis magni* plura exempla recenſita fuerunt: *In Scholio* quoque *monſtroſæ magnitudinis hepata* enarrata fuerunt, maximum verò eſt Hepar, quod recenſet *Henricus à Mœnichen Danus epiſt.* 1. *cent. III. ad Excell. Bartholin.* ſcriptâ, Cœleſtinum Cœleſtini Cortonæ degentem in muliere quadragenariâ, quæ ſæpiùs pepererat, & tandem ob menſium ſuppreſſionem gravida fruſtra habita fuiſſet, inveniſſe *hepar XL. librarum* pondere. *Theod. Kerckringius in cent. obſ. anatom. hiſt. p.* 74. recens exemplum adducit *Lienis & magnitudine & duritie* peccantis, & diſquirit ibi an non in tali caſu audendum eſſet famoſi præterito ſæculo Empirici *Leonard. Fioravanti* facinus, ab ipſo notatum *in Theſaur. vit. l.* 2. *c.* 8. *p.m.* 26. *Edit. Venet.* qui Panormi fœminæ Marullæ annor. 24. *Lienem* oppilatum & tantâ mole auctum, ut corpus ampliorem non caperet, feliciter *exſecuit*, & à præſenti interitu reſtituit, præcipuè cum *ex Ballonio l.* 2. *Ephem. p.* 251. *Exc. Th. Bartholin. cent.* 4. *obſ.* 51. *p.* 345. adducat exemplum in vulnerato ad nothas coſtas ab imprudente ſectore, qui ignoravit *ſplenem* foras apparere, fuiſſe eumdem reſectum, convaleſcente ægro: imò *Idem Kerckringius* diligentiſſimus corporum ſcrutator anno 1667. in binis fœtibus Amſtelodami diſſectis obſervavit *lienem* penitus defuiſſe. *Keckring. l. a. hiſt.* XI. *p.* 31. Non videtur fabuloſa res Fiorovanti narratio, *inquit ibidem*: fortè in homine repeti poſſet, nam *canibus* eximere *lienem*, jam luſus eſt. Quomodo verò curioſiſſimi Angli *D. Starbourghius* & alio modo *D. Iolivius Lienem canibus*, ſuibus, felibus, feliciter *eximant*, modos deſcribit *Th. Barthol. cent. IV. hiſt.* 51. *p.* 343. 344. quæ exſectio in *canibus* duobus in Dania quoque feliciter coram ſereniſſimo Rege tentata anno 1661. *Id. Barthol. cent. III. ep.* 50. *&* *ep.* 71. & quater repetitam fuiſſe feliciter exciſionem à *Regio Chirurgo Philippo* aſſerit *cent.* 3. *ep.* 64. *cent. IV. ep.* 14. Vidit *Dn. Olaus Borrichius* 1663. Londini ap. *Dn. Guilielm. Charleton* Medicum Regium *canem* obambulantem, cui prædictus medicus ante ſexennium *lienem* exſecuerat, qui adhuc validus fuit, niſi quod ex intervallo in maciem quandam attenuatus fuerit, ſubitò etiam rurſus pinguefactus. *Barth. cent. IV. Ep.* 92. *p.* 537. & Illuſtris *Boylæus* teſtatur in ipſius præſentia à *D. Iolivio* exſectum vidiſſe *Lienem* cani, eo ſucceſſu, ut ſaluberrimè poſt vixerit; *ib. p.* 521. In homine tamen, (licet audax manus nihil non audeat) *Exc. Bartholin. cent. III. epiſt.* 73. p. 387. ſectionem difficilem reddere, ſtatuit, tum ob viſceris Lienis magnitudinem, tum ob multiplices vaſorum plexüs; aut quod *cent. IV. ep.* 46. *p.* 278. repetit, nimiam hæmorrhagiam, quæ neceſſe exhauriret hominem, ſi præciderentur venæ & arteriæ omnes, quodſi verò eæ in parte lienis relinquantur, ut agglutinentur, tunc exſectionem Lienis vix dici poſſe.

De *uſu* verò *Inteſtini cæci legitimo* dubium hactenus ap. Anatomicos fuit maximum, adeò ut *Ieſſen à Ieſſen in Anat. Prag. p.* 34. pronunciarit, Quod *cæco Inteſtino* munus aſſignem, non habeo, ſed lubenter illud verbum ingenuum uſurpo, NESCIO: *D. Simon. Paul.* tamen in egregio *Quadripartito Botanico opere claſſ. tert. in Centur min. p.* 247. *nov. edit.* pronuntiare audet ſolertem Naturam in hunc finem inteſtinis cæteris velut ſacculum inanem *cæcum* addidiſſe, ut *naturale receptaculum eſſet flatuum*, ceu veſicula fellis bilis eſt. Fuſius de hoc agit Idem *in Claſſ. II. in malo coton. p.* 83. & *Cæcum* dici aſtruit, non quod omninò non ſit pervium, ut cœcis in guttâ ſerenâ nervus opticus, nec quod ita coaleſcat naturaliter, ut vaſa umbilicalia in adultis, nec quod ita conniveat ut uterus à conceptione, ſed *cæcum* dici ex mente *Riolani*, quod non in rectum ſit excurvatum. Cœcum *ait* flatuum inter coctionem & præſertim ex flatulentis cibis genitorum naturale eſſe & neceſſarium receptaculum, & ferè eumdem Ileo aut principio coli præſtare uſum, quem auriculæ cordis cordi, vacuum verò in cadavere inveniri, quod poſt mortem flatûs ſubſideant, flatibus verò plenum in animalibus vivis diſſectis. Sic pag. 87. exemplum habet de *cæco inteſtino Equi* 1655. diſſecti, ex cujus ventre ſtupendæ magnitudinis *cæcum* erupit *inteſtinum*, paucula excrementa in eo liquida inventa, flatibus verò adeo tumidum non aliter ac veſica bubula à pueris inflata. Confirmat ſuam ſententiam, quod ſuibus flatulentis cibis, glandibus quernis, nucleis faginis, piſis, hordeo paſtis, apophyſis iſta maximè ſit conſpicua præ aliis animalibus. Tandem cum *Archangel. Piccolhomin. in lectio anatom. XI. p.* 86. notet animalibus, quæ admodum voracia ſunt, *duplex* eſſe *Inteſtinum cæcum*, veritatem hujus in Grue voraciſſimâ ave & in lupo, geminum ſcilicet cœcum, invenit *D. Simon Pauli p.* 85. *l. a.* fortè diſſectus Infans vorax, ſi vixiſſet, futurus fuiſſet ita naturâ providente.

[*D. Phil. Iac. Sachs à Levvenh.*]

OBSERVATIO XXX. PATHOLOGICA.

D. ZACHARIÆ MANNAGETTÆ.

AFFECTVS CORNVTVS.

DUm *D. Zachar. Mannagetta* ante aliquot annos Pariſiis viveret, ac celeberrimo cuidam ſapientiſſimorum virorum intereſſet conventui, propoſitus fuit ſequens caſus ſat mirabilis & rarus. Vir quidam Conſularis ſeu potius Præſes Conſilii & Patlamenti Urbis *Dijon*, in Ducatu Burgundiæ, dictus Dn. de Laine, jam ſexagenario major, conſtitutionis atrabilaris, longo tempore febri Tertianâ continuâ exquiſitâ correptus, difficillimeque curatus, incidit *in affectum Cornutum* hoc modo: Excreverat ei circa duarum ultimarum coſtarum ſpuriarum vertebras tumor quidam inæqualis, durus, ſensûs exquiſiti, ad magnitudinem caſtaneæ, qui per decennium nec augeri, nec minui, neque ullis medicamentis adhibitis poterat curari; tandem à quinque annis notabiliter augeri, veramque *Cornu Cervi* junioris figuram æmulari cœpit, inque tantam altitudinem excrevit, ut niſi orbiculatim amputatum fuiſſet uſque ad certam aliquam diſtantiam (ad craſſitiem circiter digiti à cute) ubi ſenſus incipit exquiſitiſſimus, ipſum *cornu* altitudinem dimidii pedis excederet. Varia jam ab Experientiſſimis quibuſvis Medicis fuere tentata remedia, ſed omnia in caſſum, levibus enim non cedit, fortioribus exaſperatur. *D. Zachar. Mannagetta Litter. è Znayma Moravor. ad D. Jung Viennam.*

SCHOLION.

Pluribus *animalibus*, tam quadrupedibus quàm avibus, quandoque & Piſcibus benigna natura *ſecundùm ordinariam legem* conceſſit *Cornua*, vel *unum* vel *plura*; interdum tamen miro quodam luſu Animalibus *extraordinario modo* ea largitur. Sic *lepores cornutos* recenſet *Bartholin. cent. 2. hiſt.* 86. tale *Cranium leporinum G. Segerus* Thoruni *in cent. II. Epiſt. 29. p. 653. Bartholin.* & ſimilia *cornuta* è Leporibus poſſedit in Muſeo ſuo Danorum immortale decus *Olaus Vvormius in Muſeo l. III. cap. 23. ſ. 321.* Sic *Equum Cornutum* aluit Regis Hiſpaniarum ſtabulum teſte *Nieremberg. L. VII. hiſt.* Pereg. c. 2. alium generoſum, Equile Friderici III. R. Daniæ, cui ex utriuſque auriculæ dextræ parte *cornu* incurvum enatum, ſtatis temporibus decidens & renaſcens, quem depictum exhibet *Olaus Vvormius Muſ. L. III. c. 25. & Barth. cent. II. hiſt. c.* 10. imò & inter *Equos* Principis Stiliani vidit *Leo Allatius* ferocem ſed exilem *equum*, cui poſt aurem dextram incurvum *cornu* fuerat enatum, referente *Barthol. tractat. de Unicorn. c.* 19. *Gallum gallinaceum cornutum*, qui etiam *cornutum* habuit filium, recenſet *Bartholin. cent. 1. epiſt. 30. p.* 126. arte tamen & mangonio talem redditum putat Exc. *Olaus Wormius in cent.* 1. *epiſt.* 38. *p.* 174. Solent namque mulierculæ cum gallos caſtrant criſtam amputare, & in ejus lolocum calcaria ſubſtituere, quæ dum coaleſcunt creſcunt, & in *cornuum* formam augentur, per inſitionem quaſi quandam, quo artificio & in Galliâ fiunt *Galli cornuti. Borell. cent. I. obſerv. to.* & in Italia, *M. Aurelius Severinus in cent. I. epiſt. Barthol.* 60. *p.* 247. Superſedeo recenſere alia *animalia præter naturam cornibus* inſignita.

Mirum tamen etiam *Homines* interdum fieri *phyſicè Cornutos*: Decantatiſſimum exemplum eſt Francîſci Troviluvii Galli, qui ſeſe circa annum 1599. Pariſiis alibique videndum exhibuit, cui *cornu arietinum* in media frontis parte ſuccrevit, referente *Thuan. l.* 123. *Eumdem* vidit Pariſiis anno 1600. *Joan. Renodæus l.* 3. *meth. med. c.* 2. *Eumdem* aſpexit D. Chriſtianus Fabricius *Bartholin. cent. I. epiſt.* 20. & Emmanuel Urſtiſius Baſileenſis, qui ap. *Fabricium Hildanum cent.* 2. *obſ.* 25. *f.* 104. depictum eum proponit & *Aldrovand. in monſtror. hiſtor. ab Ambroſino edita f.* 125. *Idem Aldrovand. l. a. f.* 126. narrat anno 1639. puero ruſtico decenni *Corniculum* longitudine Indicis *in capite* ſuccreviſſe, qui Bononiæ accedens Noſocomium mortis opem, Chirurgicam imploravit, ut à tali morte liberaretur, cui Joan. Baptiſta filius Joannis Caponi medici egregii, ægrotis Noſocomii aſtans mortem deſectione Corniculi nuncians, prudenter illum dimiſit. In Carolo Sartore Neapolitano *corniculum in frontis* angulo vitulæ junioris ſpecie obſervavit *M. Aurel. Severin. in Abſceſſib. recond. l.* 5. *c.* 25. *p.* 256. Patavii novit *Aquapendens* ex Nobilium proſapia virum, qui paulò *ſupra frontem corniculum* duriſſimum geſtaverit, craſſitie digiti manus minimi, longitudine olivæ Hiſpanicæ protuberans, ſubſtantiâ ungui perſimile, qui cum genuiſſet filium ruminantem cibos, *Aquapendens* putat hoc factum fuiſſe, quod pater, ob cornu, affinitatem quaſi habens cum cornigeris animalibus, inde filius ſimile quid contraxerit, quæ philoſophandi ratio tamen cachinno excipitur à *Joanne Fabro Lynceo in Expoſit. Hiſtor. Mexican. Nardi Rechi f.* 632. Infanti *cornu* à nativitate connatum *in fronte*, primùm nodi ſpecie, poſt ad palmi dimidii longitudinem, notat *Zacut. Luſitan. l.* 3. *Prax. admir. obſ.* 93.

Pariter in ſequiore ſexu vidit Exc. *Barthol. Cent. I. hiſtor.* 78. & delineat mulierem Hollandam 70. annorum, cui *in capite cornu* ſuccrevit. In Patavinâ virgine *corniculatam in fronte* epiphyſin exſcidit *Joan. Veſlingius*, eadem cum vaccino cornu ſubſtantia: quod & in valetudinario Mediolanenſi in puellâ ſemipalmari *cornu*, una parte ſtriato, deformata, præſtitit *Matthæus Bergomas* Chirurgus ejus loci. *Th. Bartholin. de unicornu cap.* 1. *p.* 19. In *ipsâ facie* vetulæ *cornu* ſponte decidens obſervavit *Petrus Eſtanovius* Chirurgus Monſpel. & communicavit *River. in com. obſ.* 6. *p.* 348. quam hiſtoriam repetit *Borell. cent. I. obſ.* 14. & aliam addit Monachi Ordinis Prædicatorum, cui juxta *oculum cornu* prognatum fuerat. *Ex dorſo cornu* emerſiſſe notat *Scalig. ex* 199. §. 5. magis tamen mirandus puellæ Helveticæ Bernæ ſtatus, quæ anno 1612. ſenſit *dorſum*, *brachia*, & *crura cornubus* ſcatere, quorum quædam duos tranſverſos digitos longa, nonnulla curvata, quæ à *D. Paulo Lentulo* curata quidem, ob malam diætam verò recidivam ſenſit, depingitur apud *Hildan. l. a. f.* 105. In Presbytero in ſuperficie convexa *lienis cornua* eruperunt exturgeſcentia, tantâ duritie, ut vix ſcalpello ſcabi potuerint. *Robert. de Fludd. l. 4. anat. cap.* 8. Pariter in *calcaneo* enatum *cornu* memorat *Zacut. Luſitan. l. 2. Pr. obſ.* 178. Alia exempla apud *Schenck l. 1. Obſ. f. 13. Edit. Novæ* invenire quoque licet. Plerique Authores ex *verrucarum* genere hæc *cornua* eſſe pronunciant, & quidem *cancroſarum*, tales enim penſiles verrucas, & incurvas inſtar cornuum apperere confirmat *Borell. obſ. 14. Cent. I.* Quomodo verò *curentur* conſuli poterunt præter dictos obſervatores, *Cabrol. Obſ. anat. XI.* & *Th. Bartholin. de Unicornu c. 4. Edit. Patav. p. 37.* & ſeq. qui curationem variandam cenſet tum pro diverſitate ipſorum cornuum, tum pro varietate eorundem inſertionis.

[*D. P. J. Sachs à Levvenh.*]

OBSERVATIO XXXI. PATHOLOG.

D. ZACHARIÆ MANNAGETTÆ.

POLYPUS CORDIS.

DN. *D. Zachar. Mannagetta* in Anatomiâ publicâ Pariſiis demonſtratum vidit *Polypum utriuſque ventriculi cordis* cujuſdam hominis lentâ morte, reſpiratione ſenſim ac ſenſim abſque causâ manifeſtâ deficiente extincti: dexter major ſiniſtro, uterque magnitudinem fabæ excedebat, ſitum verò propè valvulas & orificium cordis obtinebant. *D. Mannagetta Litt. ad D. Jung. Viennam datis.*

SCHOLION.

Cor Hominis nobiliſſima licet pars, tamen plurimis quoque ſubjectum eſt miſeriis. Ut nihil dicam *de vermibus* & *calculis in corde* repertis, in *corde humano ulcera* ſordida & cava inventa fuerunt. *Fernel. l. 5. pathol. c. 12. Trincavell. l. 6. c. 11. Hollcr. l. 1. de morb. intern. c. 29. Schol. Beniven. de abd. c. 89. River c. 1. obſ.* 87. invenit ſiniſtrum *cordis* ſinum fœtidiſſimo humore repletum *Andr. Laurentius l. 3. anat. obſ. c.* 13. in Caſtri Antuerp. Præfecti filio. *Nonnius* vidit propè ſiniſtram *Cordis* auriculam *abſceſſum* inſtar ovi, apud *Nicol. Fontanum Reſponſ. & curat. med. l. 1. exempl. 22. p.* 60. in ſiniſtro *cordis* ſinu glanduloſæ & ſubnigricantis carnis libras propemodum duas. *Veſal. l. 1. de corporis Humani Fabric. c.* 5. invenit *carunculas* interius albicantes, exterius rutilantes *in corde* hominum & Brutorum. Patavii & Hafniæ *D. Th. Bartholin. Anat. Ref. l. 2. c. 7. p.* 263. *Excreſcentiam* circa mucronem & veſiculam *in corde*, circa arteriæ magnæ exortum propendentem ſecavit & delineari curavit nuper *Kechringius in obſ. anat.* 83. *p.* 161. & aliam *excreſcentiam* circa baſim *cordis* ad Uncias j. Dragm. vj. *Geſnerus* vidit apud *Barthol. Anat. Ref. l.* 2. *c.* 6. *Polypum* etiam in corde viſum fuiſſe atteſtatur *Tulp. l.* 1. *c.* 27. *p.* 55. deſcriptum & depictum in Momma Baxio homine torpido, ſubitò mortuo. *Alium* quoque obſervavit *Dn. D. Michael Kirſtenius Medicus Hamburgenſis inſignis*, in Belgâ 50. annorum, ubi *Polypus* annatus dextræ auriculæ, productus in ipſam capacitatem dextri ventriculi, *&* in Aortâ. *Alius* quoque in eodem homine repertus fuit *polypus* inſignis apud *Th. Bartholin. Cent. III. hiſt.* 17. *pag.* 40. *& ſeq.* Ab *Eodem* laudato *Dn. D. Kirſtenio* expectandam eſſe diſſertationem de aff. cordis, in quibus plurimos *polypos* cordis à ſe obſervatos, & delineatos exhibiturus ſit, cum obſervatione, tali polypo laborantes catharrhis ſuffocativis emori, monet. *D. Georg. Segerus in Epiſt.* 86. *Cent. II. Bartholin. p.* 683. Dum Bernæ 1662. ruſticus ebrius ex pugno pectori inflicto mortuus eſſet, *D. Mart. Bogdanus* in utroque *cordis* ventriculo *polypum* invenit, ad minimum ponderantem Uncias iv. *Epiſt. XI. Cent. IV. Barth. p.* 40. ubi cauſam ſtatuit, quod abſumpto Sulphure in ſanguine ob vehementem febris æſtum, ſal coagulandi virtutem exercuerit. Et Excell. *Borrichius* anno 1662. Lugdun. Patav. in Harlemenſis viri ſiniſtro *cordis* ſinu deprehendit *polypum* variis radicibus adhærentem, quem Chirurgus vermem eſſe putaverat. *Cent. IV. epiſt.* 17. *Barthol.* Quid verò de *polypis* hiſce judicet *D. Theod. Kerckringius*, placet ipſius verba ex *obſ.* 73. *p.* 145. ſubjungere, quando eos pro *Pſeudo-polypis* agnoſcit, inquiens: Dubito vidiſſe ullos verum *polypum cordis* aut aliarum partium. Servo ejuſmodi, quos vocant, *polypos*, ex variis partibus collectos (unde ibidem depingit *Pſeudo-polypum arteriæ venoſæ*, *hepatis*, *dextri ventriculi cordis*) nihil aliud ſunt quàm ſanguis, qui poſt animalium mortem refrigeratus & grumoſus redditus, duruſque ex corde, hepate, aliiſque partibus extrahitur, in varios ramos diviſus, prout ibi in variis civitatibus hæſit, qui polypo narium ita ſimilis eſt, ut primâ fronte appareat prorſus idem, ſed cum ſimiles polypos in animalibus formare poſſim, quoties libuerit, non ægrè ferent viri docti, qui putarunt id genus morbi fuiſſe in vivis, cujus in mortuis orta eſt aliqua ſimilitudo, ex concreto in variis cavernulis ſanguine, qui concreſcit ob admixtionem acidi peccantis humoris. Experimentum fieri poteſt, ſi cani vivo vena ſecetur, eique Spir. ⊕ infundatur, coagulabitur ſtatim ſanguis & *putatitios* faciet *polypos*. Hactenus *D. Keckringius*.

[*D. P. I. à Lvvenh.*]

* * *

OBSERVATIO XXXII. ANATOMICA.

D. ZACHARIÆ MANNAGETTÆ.

ANATOME HYSTERICÆ CUM MESENTERIO Scirrhoſo.

D. *Mannagetta* cùm Patavii ap. Excell. Anatomicum *Dn. D. Antonium de Marchettis* cadaver fœmininum hyſtericâ paſſione (ut ferebatur) extinctæ diſſecaret, reperit illius *meſenterium* infinitis ferè glandulis ſcirrhoſis variæ magnitudinis & figuræ refertum, tantæ duritiei, ut omnem fermè cultri aciem illuderent. Uterus verò unà cum teſtibus & vaſis deferentibus materiâ ſeminali corrupta, quæ caſeo recenter coagulato haud abſimilis erat, turgidus repertus fuit.

[*D. Mannagetta Litt. ad D. Iungium Viennam datis.*]

SCHOLION.

Glandulas meſenterii inſolitæ magnitudinis deſcribit quoque *Theod. Kerckringius in obſervat. anatom.* 18. *p.* 45. ſectione anatomicâ inventas fuiſſe mortis cauſam. Nec Indorum morbus familiaris reticendus, eos ad atrophiam deducens, in quibus poſt ſectionem aliquando *totum meſenterium* vidit conſumptum *Iacob Bontius de Med. Indorum l.* 1. *c.* 11. *pag.* 26. Ubi tamen inteſtina cohærentia, ſeu potius inter ſe confuſa nullo ordine, tenuibus nimirum membranulis adnatis.

[*D. P. J. Sachs à Levvenb.*]

OBSERVATIO XXXIII. PHYSICA.

D. LAURENTII WOLFSTRIGEL.

FLAMMA EX PUTEO.

CUm Romæ degerem anno 1664. rumor per urbem increbuit, *Ignem è puteo* concitatum ac exinde hominem graviter læſum fuiſſe. Rei oppidò raræ admiratione ductus, percontari rem accuratius cœpi; quæ res ſequenti modo ſe habebat. Civis quidam Romanus, cui ædes ad ripam Tiberis, munimento ſancti Angeli obverſæ, verno tempore puteum ſuum juxta dictum flumen ac pone ſterquilinium ſitum mundari curans, homines illos conduxerat, qui huic operæ unicè incumbunt, unde & vulgo Romano dicuntur Pozzacchari, qui cum integrum fermè jam puteum exhauſiſſent, ac tandem unus ex ipſis candelâ deſcenſum in puteum pararet, ultimam expur-

gationi

gationi admoturus manum, vix ad medium putei demiſſus exclamavit, ut denuo extraheretur, ſibi enim impoſſibile ob æſtum ac mephitim, circa medium emergentem, ultra inibi commorari. Socii negligentiam potius aut ſocordiam, quam veritatem rati, nihilominus ingeminantibus clamoribus demiſſum voti compotem reddiderunt. Hoc extracto alius deſcenſum parat, ac inſidens fuſti ac candelâ quoque inſtructus, vix circa medium putei demiſſus erat, en ingens flamma ſubcœrulea ſupra puteum erupit aliquot momentis perdurans. Miſellus ille interim in puteo diros ejulatus edens ac opem ſociorum inclamans, ab iiſdem licet ſummè pertetritis rurſus extractus fuit, uſtulatus tamen inſigniter, barbâ piliſque omnibus à flammâ conſumptis, quin & in pelle, tum & in facie, tum & alibi ob veſtes jam ignem concipientes graviter læſus, in Xenodochium D. Virgin. Conſolationis vulgo dictum, ad curationem delatus fuit, quem ibi quoque inviſi. Utrum verò evaſerit, vel quomodo ſe deinceps habuerit, ſcire non potui ad patrios Lares Româ evocatus.

[*D. Vvolfſtrigel ad D. Georg. Sebaſt. Iung.*]

SCHOLION.

Ex puteis interdum exſpirationes adeò malignas, ob mephitim & conceptam putredinem, exhalaſſe hominibus ſubitò lethales, paſſim exempla proſtant. *Vidus Vidius part.* 2. *Medic. ſect.* 2. *l.* 1. *c.* 11. narrat Florentiæ in vico D. Laurentii, in diverſorio quodam puteum fuiſſe maximâ ex parte ſuini fæcibus ac ſordibus oppletum; in eum dum puer illapſum gladium extrahere cupiens deſcendit, is ſtatim mortuus periit, alius juvenis puerum educere tentans, pariter obiit, non minus quàm canis, qui injectus, ut adhuc tentamen fieret. Idem Vinshemii in Franconiâ accidiſſe 1613. teſtatur *Sennertus Prax. l.* 6. *part.* 3. *c. p.* 105. Ubi civis diu concluſum puteum mundare cupiens, periit unà cum aliis, qui ipſi in auxilium ſuccurrere voluerunt. *Angelut. de febre malignâ c.* 2. idem Romæ eveniſſe aſſerit ſub Gregor. XIII. ubi plures, unus poſt alium in antiquo limo pleniſſimum puteum deſcendentes ſinguli momento extincti, ſuccenſis verò ignibus evanuit putris halitus ex cæno. Conſimile exemplum narrat *Ioannes Faber Lynceus in Expoſ. in Rocehum f.* 784. Memini, *inquit*, ante annos plures quàm viginti, Romæ cum platea, Raſella dicta, exſtrueretur, & puteus recenter eſſet excavatus, & in hunc gallus gallinaceus forte decidiſſet, unum ex operariis illis per fenum ſe demiſiſſe, ut gallum extraheret: verùm nondum aquam attigerat, cùm mortuus in puteum concidit; ſubſequitur alius operarius, ut ſocium ſervaret, & animal levaret; ſed & ille ſubitò oppetiit mortem. Tertius deſcendit, ſed rogavit, ſi ſignum daret, confeſtim extraheretur; quare ubi medietatem putei attigit, ſtatim ab aurà, quaſi vertigini quid ſimile patiens, clamore edito ſemianimis, reliqui verò mortui educti fuerunt, & puteus terrâ oppreſſus. In novo itaque hoc exemplo credibile accedentes ignes ſubterraneos (quos per totius Italiæ poroſam terram fœcundos eſſe aſſerit *Andr. Baccius de Therm. l. 4. c. 4. f. 199.*) una cum cœni corruptione bituminoſos & naphthæ æmulos produxiſſe vapores, qui in altum cum aëre elevati, admotâ Candelæ flammâ ſeſe accenderunt, non aliter ac colophonia contuſa, ſi per calami ſcriptorii cannulam in aërem verſus candelam accenſam ſuffletur, in aëre ſe accendit. Unde ad abſumendos & diſſolvendos tales malignos & noxios vapores in ſubterraneis, quidam feliciter tormentorum bellicorum flammam ac ſtrepitum admovent, quod *Fortun. Licet. l. de Annulis antiq. c. 23.* refert Novæ Palmæ in foro Julii obſervatum fuiſſe, quando in deſcenſu in monumentum cathedralis Eccleſiæ tres veſpillones, alter poſt alterum deſcendentes ſubitò omnes demortui eſſent, & uncis extracta corpora cum inſigni nigredine, quaſi combuſta conſpecta fuiſſent,

[*D. P. J. Sachs à Levvenh.*]

OBSERVATIO XXXIV. THERAPEUT.

D. JOANNIS MICHAELIS FEHR.

SINGVLARIS CATARRHORUM EXTRACTIO.

Tranſiit anno 1661. menſe Januario Svinfurtum quidam veteranus Bombomachides, qui pulvere quodam farinæ puriſſimæ ſimili, inſipido ferè, niſi quod paulum acrimoniæ linguæ aut faucibus affricaret, inſignem pituitæ lentiſſimæ copiam è naribus catarrhoſorum, quibus pulveris iſtius quidpiam indiderat, abſque ſternutatione & moleſtiâ, cum ſtupore elicuit, aſſeruitque eſſe pulverem cujuſdam radicis ex Arabiâ delatæ, ſuumque artificium multorum Medicorum in Imperio admodum celebrium teſtimoniis corroboravit. Ego ſuſpicor eſſe corticem rheumaticum, quem *Carolus Cluſius è Nicol. Monardo in ſimpl. medic. cx novo orbe delatorum l. 3. p. 10.* ita deſeribit: Ex Peru mihi miſſus eſt craſſus quidam cortex, quem ex vaſtâ arbore ulmo ſimili, cum amplitudine, tum formâ, detractum ferunt. Naſcitur ad ripas fluminis cujuſdam 25. leucis à Lima diſtantis, nec alibi in India facilè reperitur. Indi in capitis defluxionibus, rheumatiſmis, aut alioqui corporis gravedine laborantes, hujus arboris corticem in tenuiſſimum pulverem comminuunt, & naribus imponunt; humores inſigniter educit, qua ratione liberantur; quod verum eſſe nos ipſi experti ſumus. Secundum caloris gradum excedere videtur. *Hactenus Cluſius.* Si Colonienſis ille Pyrgopolinices aliò quoque conceſſerit, optandum eſſet, ut certò inquiri poſſet in genuinam hujus pulveris naturam à medicis, propter inſignem uſum, quem præbere poſſet in curatione catarrhorum, ſi fieret familiarior.

[*D. Joan. Mich. Fehr. litter. Suinfurto Uratiſlaviam datis ad D. Sachſium.*]

SCHOLION.

Fortè eſt idem Colonienſis, quem deſcribit *P. Schottus in lib.* 12. *Phyſ. Carioſ. p.* 1289. *novæ edit. de anno* 1667. Fuit præteritâ hyeme (*inquit*) hic Herbipolæ Colonienſis, qui aliquamdiu in Cretâ apud Venetos contra Turcam militaverat, ac dein militiæ pertæſus in Palæſtinam trajecerat, & annis aliquot propè Hieroſolymam in ipsâ valle Joſaphat, ut dicebat, habitaverat, inter Turcas quidem, ſed tamen non ſine Chriſtianorum, etiam Religioſorum conſortio. Habebat is pulverem, cujus exigua portiuncula, quantum apice cultri ſuſtentatur, naribus impoſita, & ſine attractione retenta, prolîciebat è naribus ac faucibus catarrhos ac fœtidos humores tantâ copiâ, ſine ullâ tamen violentiâ, ut qui curam patiebatur, ſentiret notabiliter dictos humores è capite extrahi, atque ad nares & fauces confluere. Multis curam adhibuit, ſemper cum emolumento. Aiebat pulverem confieri ex radice aliquâ Arabiæ, nulli tamen aperire volebat vel nomen radicis. Sat magno pretio vendebat hunc pulverem. Fortè & iſte pulvis & radix in noſtris pharmacopoliis reperitur, cum incredibile ſit unicum hominem tantam ejus copiam è Palæſtinâ attuliſſe, ut ſufficeret in aliquot annos & pro multis Germaniæ Urbibus. *Hæc Schottus l.a.* Et talis Bombardarius *Uratiſlaviam* quoque venit nundinarum tempore anno 1664. & aliquot experimenta fecit, à Medicis tamen, quod dolendum, non prius obſervatus, niſi cum dudum abierat. Inſigne tamen exemplum adducam, quod mihi ſequenti anno 1665. oculatus retulit teſtis aliquoties, cum me ſuæ valetudini præficeret Generoſiſſimus *Comes Gaſpar S. R. J. Comes Colonna L. B. de Fels.* Is cùm ex conſtitutione nativâ, partim etiam morboſâ difficulter Spiritum traheret, & ſares haberet maximè obſtructas, audito nuncio de hoc homuncione, illum accerſiri jubet. Comparet is vocatus, & cum Gen. *Comes* jam major ſeptuagenario in ſe ipſo primum experimentum tentare vix auderet, ſecretario ſuo perſuaſit, qui difficulter pariter anhelabat naribus obturatis, ut in ſe permitteret fieri tentamen. Annuit ille, & in præſentiâ prædicti *Comitis* & Reverend. *Theodori Moreti* è Soc. Jeſu Mathematici inſignis, pulverem tenuiſſimum, ab iſto homine in aquâ oblatum, naribus attrahit, quo facto tam inſignis copia humoris tenuiſſimi per palatum abſque ullâ moleſtiâ educta fuit, ut aliquot minores pelves argenteas impleret & poſt optimè reſpiraret. Ipſe Comes quidem hâc vice ab ipsâ curâ, quam ſalsè vocabat *die Fluſſe abzerffen*, abſtinuit, ſæpius tamen poſtea indoluit, & conqueſtus eſt, cum aliis nundinis amplius ille Circumforaneus non rediret, quod tamen ſperaverat. Vidit *D. Ioachin Georgius Elſnerus Collega noſter* Jenæ, dum Studiorum gratia ibi moraretur, Ruſticum quemdam in Thuringâ catarrhos tentaſſe educere maximâ cum audaciâ adhibito pulv. Euphorb. & ut os tenerent eò facilius apertum, inſtrumentum adhibuit ſingulare pro aperturâ (*einen Rnebel*) & ita copioſiſſimè humores è capite vidit in ſubjectam pelvim ruentes, cum moleſtia tamen. Pariter hunc modum vocabat *Fluh abſapffen* & pro ſingulis libris educti phlegmatis, imperialem ſolvere ægri cogebantur.

[*D. Ph. Iac. Sachs à Levvenheimb.*]

OBSERVATIO XXXV. PHYSICA.

D. PETRI à CASTRO.

MUTIS LOQUELA DATA, ET SURDIS auditus.

MOdus, cnm quo poſſunt à Nativitate *muti* curari, miraculoſus eſt, non impoſſibilis tamen ingenio humano. Numeroſa inveniuntur exempla in Hiſpaniâ ex nobiliſſimis familiis, eorum, qui in Infantia *muti* aut vitio naturæ, aut ex accidenti per nimiam agitationem currus, aut per nimium Strepitum exploſorum tormentorum (hæ enim cauſæ *mutos* reddere poſſunt) qui poſteà diſtinctè verba pronuntiant, ſi licet *Surdi* permaneant ſemper, non tamen *muti*. Talis filius Sereniſſimi Principis Sabaudiæ Thomaſi, Marchio di Priego, Marchio del Freſno, frater Coneſtabilis Caſtiliæ, fuerunt *muti*, nunc abſque omni difficultate aut hæſitatione loquuntur, ſaltem defectus *ſurditatis* obſervatur. Alia plura dantur exempla diverſorum privatorum, qui hoc beneficium acceperunt ab EMMANUELE RAMIRESIO *de Carione*, quod rarum ſecretum addidici, partim diſcurſum faciendo cum ipſo Authore, partim philoſophando cum extraordinariâ conſtantiâ, & optimè ſucceſſit *D. Petro à Caſtro in tract. de Coloſtro cap.* 3. *pag.* 18. Quod tamen ibi revelare hæſitat, ſequenti modo ab ipſo inſtitutum fuit. Totum verò negotium conſiſtit in induſtria, dexteritate & patientia, affirmatque *Idem D. à Caſtro*, quod ipſemet in oppido Verganæ Cantabriæ, hoc modo puerum *à nativitate mutum & ſurdum* cum ſumma & licet prolixâ aſſiduitate reſtituerit intra duos menſes, perfectè voces & conceptus exprimentem.

Primo corpus expurgandum eſt ſecundum ſubjecti conſtitutionem, dein exhibenda purgatio ſpecialis ex helleb. nigro, vel ejus extract. in pilul. exhibito, vel decoct. rad. helleb. nigr. ad dragm. I. cujus decocti ſumebat Author uncias iij. in quo per noctem infundebat agaric. dragm. ij. & colat. addebat Syr. de epithym. uncias ij. Purgato per hoc medicamentum ſemel aut bis capite, prout neceſſitas exigit, raditur capillitium ſupra ſuturam coronalem ad quantitatem latæ manus, dein raſo capiti inungitur ſæpè linim. ſequens:

Recip. Aqu. vit. unc. iij.
Salpetræ ſ. nitri purificat. dragm. ij.
Ol. amygd. amar. unc. j.

Bulliant ſimul ad conſumptionem ſpir. vini, deinde adde Aq. namphæ unc. j.

& inde bene conquaſſetur ſpatulâ & reducatur ad formam linim. quo ſingulis diebus ſemel perungitur pars raſa, præcipuè veſpertinis horis, dum itur cubitum. At matutinis horis poſtquam omnes cerebri ductus emunxerit, aures, nares, palatum, maſticato præſertim granulo maſtich aut portiunculâ liquiritiæ, aut quod ſatius eſt, paſta ex ſucco liquiritiæ maſtich. & ambr. & moſch. ducto pariter ad poſteriora capitis pectine eburneo pluries capillitio, denique lotâ probè facie, *mutum* alloquitur ſupra ſuturam coronalem, partem ſcilicet deraſam, & mirum eſt, quod ita clarè vocem percipiat *mutus & ſurdus*, quam nullo pacto per aures conſequi poſſet. Si legere neſciat, incipiendum erit ipſi tradere litteras alphabethi, & ſæpius repetere unamquamque, donec ipſe proferat, & eâ induſtriâ procedendum, ut modus pronuntiandi ipſi inſinuetur; & ſic perſeverandum per multos dies, donec à litteris ad voces integras deveniatur, & ipſi oſtendantur res domeſticæ communes, & variæ, quarum diſcere poſſit nomina, dein ſæpè multa alloqui continuata, ut ipſe capiat modum colligendi locutiones. Primis 15. diebus mirum in modum nomina apprehendit, quæ non niſi tenaciſſima memoria ſervare poſſet; ſequentibus ſingulis res redditur facilior, & mirandum eſt quantâ anxietate continuò in verba prorumpere cogitet.

[*D. Caſtro in obſ. miſſ. è Muſeo D. Sachſi.*]

SCHOLION.

Solent plerumque *muti à nativitate ſimul ſurdi eſſe*, quanquam *Dominicus Panarol. penticoſt. IV. obſ.* 17. *p.* 121. puerum viderit duodecimum annum agentem, qui à nativitate quidem *mutus*, *ſed non ſurdus*; unde à tergo interrogatus faciem volvit: cujus cauſas *idem* reddit, *tum* quod ſaltem læſio nervorum vocalium in hoc homine fuerit, *tum* propter conformationem nervorum diverſam, ut nervus auditorius in aurem ſolam & non alibi ingreſſus fuerit, *tum* denique à fatuitate, quâ mediante nihil didicerit. Sic *cur muri plerumque ſimul ſurdi*, triplices quoque ſtatuuntur cauſæ à Practicis.

1. *Ob conjunctionem nervi quintæ coniugationis*, quorum ſurculus major ad aurem, minor ad linguam & laryngem excurrere ſolet. *Camerar. cent.* VIII. *Memorabil. Med.* §. 82.

2. Alii imputant *canaliculo cartilagineo* velut Aquæductui, qui à ſecundo auris meatu ad os & palatum fertur, ita ut ab ore in aurem, & ab aure in os liberè meet, remeetque aër, præcipuè, ſi à natura amplior ſit effectus iſte meatus è tympano ad palatum protenſus. *Vesling. Syntagm. anat. c.* 16. Unde ratio dari poteſt, quod *D. Beubeſius Gallus* narravit *D. Paulo Marquardo Slegelio* Medico poſt Hamburgenſi celeberrimo, ſe noviſſe fœminam ſurdam, quæ cornu ori inderet, rogaretque colloquentes, ut orificio prominenti cornu labiis admotis voces in os ſibi inſpirare vellent, quas ita ipſa audivit, uti olim *ex D. Schlegeli* MSS. notavi, & *à D. Hieronymo Vvelſchio* in *Epiſagmat. obſ. med.* citatam hiſtoriam vidi *obſ.* 24. *p.* 16. nam & hujus ductûs beneficio

fides ore mordicus prehenſæ & pulſatæ ſonum per os præbent. *Camerar. cent.* 2. *mem.* §. 71. & ut *Laz. Riverius L.*3. *Prax. c.* 1. *p.*187. ait, hujus patentis meatus ope fit, ut aure utraque obturata, ſi muſica inſtrumenta baculo contingantur & dentibus prehendantur, exquiſitius audiantur, & in via alicujus procul advenientis ſtrepitus è longinquo magis percipiatur, ſi enſis alterum extremum terræ affigatur, alterum verò dentibus apprehendatur.

3. Alii *nativitate ſurdos*, pariter ἀναύδους *mutos* ſeu ad minimum μογιλάλους faciunt, *quia animus ſurdorum ſono non eſt edoctus*, neſcius eas formare voces inauditas, nec animo concipere; nec loqui poſſunt, cum ſermo non niſi ſermocinantes audiendo regulariter addiſcatur. In hanc ſententiam inclinat *Franc. Mercur. Helmontius in Alphabet. Natural. Hebraico Colloq. I. p.* 1. Qui huic miſeriæ (nempe loquelæ carentiæ) ſubjacent, *Surdi* plerumque tantum ſunt propriè loquendo, voce enim nec carent, nec oris linguæque motu. ſed defectus articulati ſermonis exinde oritur, quod ob corrupta auditûs organa, alios loquentes non audiverint, adeoque nec ordinariam ſonorum humanorum ſpecificationem, juxta normam loquendi conſuetam, in linguæ vociſque, ſuæ motus introducere potuerint. Ex hoc fundamento Petrus Pontius Monachus S. Benedicti, *natos ſurdos* loqui docuit, non alia arte, quàm docens primum ſcribere res ipſas, digito indicando, quæ characteribus reſponderent, provocando, teſte *Franciſco Valleſio in Philoſ. Sacra c.* 3. *p.* 57.

Quo vero nunc non penetravit Humani ingenii acies, quæ *Surdis & Mutis* feliciter loquelam reſtituit?] Modum hactenus occultatum aperuit *Franc. Mercur. Helmont. l. a. colloq.* I. & nititur ſequentibus principiis.

1. Qui ita *Surdi* ſunt, plerumque viſu pollent acutiſſimo atque argutiſſimo, hac ratione, ut ſi quis de rebus domeſticis cum ipſis loquatur, illi verum verborum ſenſum, quàm velociſſimè, etiam è longinquo intelligere queant, quaſi legendo, idque non niſi ex obſervatione oris loquentium aliquantulum accuratiori; quod infra notatæ teſtabuntur hiſtoriæ.

2. Didicerunt hæc eo modo, cujus beneficio illiterati primum legere diſcunt; nam ut illi primo figuris utuntur majuſculis, & characteribus craſſioribus, quibus cognitis ad litteras minores pergunt, & ad abbreviaturas quoque quas facillimè aſſequuntur, licet quædam uſque ad finem ſententiæ plenariè non ſint expreſſæ: Sic *Surdi* iſti videntur primò tales exactius obſervare, qui ſublata voce clamantes, aliquid ſibi apportari juſſerunt, eorumque *linguam, labia, genas, mentum, jugulum* ſimileſque partes, earumque motum ac mutationem, accuratius notantes, his tanquam characteribus majoribus uſi ſunt, ad aſſequendum loquentium ſenſum; in quibus confirmati ad leniores & magis ordinarios loquentium motûs progreſſi eſſe videntur, donec tandem eorum intentionem, ex ipſo horum motuum initio, nondum abſoluto toto contextu intelligant, potiſſimum *conſuetudine* adjuti. Sunt itaque *iſtorum ſurdorum intelligendi principia diverſæ in motâ* loquentium *linguâ configurationes*, ex quibus tanquam ex primis ſcripturæ cujuſdam elementis genuinum loquentis ſenſum quaſi intelligunt.

3. Poſt hunc verborum intellectum non difficilè putat *Helmontius*, ut ſcripturas quoque commodè legant, ſi quis ipſis litteras depingit, ſicut eaſdem per vivum loquentium motum à linguâ formari viderunt, & ad uſum ſermonis adduci poterunt, ſi quis illos ante ſpeculum conſtitutos, hos ipſos motûs ſuo ore imitari eoſdemque motûs poſtmodum efflato anhelitu quaſi animare doceat.

4. Felicius hoc ſuccedere cum linguis Orientalibus aſſerit *idem Helmont. l. a. p.* 3. iſti etenim homines orientales copioſiore opus ob calorem habent anhelitu, unde aperto ore & patentiſſimo gutture, tanquam ex ipſo pectore, proloquuntur, ut omnes linguæ commotionem facillimè obſervare queant; in Anglia verò lociſque Septentrioni vicinioribus paululum ſaltem aperto ore, vix labia movent.

Teſtatur itaque *Helmontius l. a. p.* 5. in S*urdo Muſico* ſe experimentum feciſſe, quem trium hebdomadarum ſpatio eo uſque perduxerit, ut ad omnia reſponderit, quæ quis tardè & ore aperto præſertim cum ipſo locutus fuerit, & deinceps proprio marte *linguam Hebræam*, brevi admodum tempore, perdidicerit. Quod *Helmontius* Linguâ Hebraica præſtitit, hoc paucis abhinc annis excell. & celeberrimus Mathematicus *Oxonii in Angliâ D. Vvallis* raro artificio *cum linguâ Anglicâ* præſtitit, *ſurdos loqui* docens, imò & *mutos* duobus jam experimentis clareſcens: Ita namque de eo *D. Olaus Borrichius* nunc Prof. Hafniæ digniſſimus, in *lit. ad D. Bartholin. è Londino* 10. *Aug.* 1663. datis (vide *cent.* IV. *epiſt.* 92. *p.* 527.) Viſus mihi, *inquit*, apud *Vvalliſium* nobilis Juvenis, qui neſcio quo infelici caſu anno ætatis quinto *ſurdus* redditus eſt, & poſt ſex ex eo menſes *mutus*, & jam per 20. annos ne verbum potuit pronuntiare. Huic *D. Vvalliſius* in ſchedulâ litteras ſyllabaſque præſcribit, hinc recitat ipſe, ad motum ſimilem in alterius linquâ provocans; nec opinione ſuâ fruſtratus, Juvenem hunc nunc eo quoque redegit, ut quædam ſatis diſtinctè eloquatur, licet nec dum audiat. Meminit quoque nobiliſſimus *Dn. de Monconnys*, *in Itinerar. Anglic. tom.* 2. *p.* 50. quod cum ipſe anno 1663. menſe Junio Oxonium fuiſſet profectus, vidiſſet nobilem quendam puerum Anglum in ædibus laudati *Dn. D. Vvallis*, qui à nativitate *ſurdus & mutus*; hunc legere docuit, qui præſenti *D. de Monconnys* ſpecimen edidit legendo ex libro Anglico, non aliter ac alia perſona, hoc ſolo cum diſcrimine, quod ſolum unam Syllabam, unâ vice & voce, proferret; & hunc eſſe alterum in quo experimentum ſucceſſerit. Edidit nuper Anglus *D. D. VV. Holder* diſſertationem in elementa ſermonis, eo tendentia, quomodo *ſurdi & muti* ſint informandi ut loquantur, de quo libro plura invenire licet *in Tranſaction. Philoſoph. Anglic. tom.* 4. *num.* 47. *p.* 958.

Quod hi *muti* & *ſurdi* per vivi Præceptoris induſtriam aſſecuti ſunt, hoc alii *ſurdi*, auditum ſcilicet proprio naturæ inſtinctu, & ſumma diſcendi aviditate *per motum labiorum* conſecuti ſunt, *ſurdi* tamen manentes. Narrat *Borell. cent IV. obſ.* 23. de Nautâ apud Santones à quinto ætatis anno per morbi violentiam *ſurdo* facto, cum difficultate loquelæ: is loquentes ſubmiſſâ voce, imo labia tantum motitantes, nullo emiſſo ſono, audit, & quæ dicant, capere poteſt, & ad petita reſpondet. Veriſimile putat, quod ſpiritus qui alias auris & linguæ organa agitarunt, recurrerint ad imaginationem, quæ fortior facta, eumdem perſpicaciſſimum in viſu (ad motum labiorum obſervandum) reddiderit; quod verò ſubmiſſos ſonos, & non violentos excipiat, credibile fieri in auditu ob mutationem organi, eâ ratione, ut aulæ arte architectonicâ parantur, in quibus remoti ea audiunt, quæ in angulo inſuſurrantur. De *Simeone Dieterico* Hollando, qui *Surdus* factus ex lapſu è Turri Purmerendana, refert *Nicol. Tulpius l. IV. obſ. c.* 18. quod is ex ſolo colloquentium *labiorum motu* conciones domi enarraverit, & prout colioquentium labra glabra vel piloſa, tenuiora vel craſſiora, pro eo vel citius vel tardius intellexerit eorum mentem. Pro majori rei veritate recentiſſimum dabo ex SILESIA exemplum. Vivit ſub ditione Generoſis. *Comitis Joan. Henrici de Hobberg in Furſtenſtein, Freiberg & Fridland* in ejus pago *Salsborn* dicto, & vivit adhuc dum hæc ſcribo, ſcriniarius nomine *Ioannes Ireundi* qui poſt variolas *ſurdus* factus eſt. Is naturalem ad Studia Mathematica habet inclinationem, adeò ut artem pingendi & colores miſcendi proprio ingenio cum arte ſcriniaria didicerit. Imploravit aliquando Empiricorum operam pro ſurditate tollendâ, nihil tamen effectum, niſi ut per aliquot dies bombardarum diſploſarum ſtrepitum aliquantulum obaudiret, rurſus verò adeo ſurdus ut licet quis ſtentoreâ voce clamitet, tamen hoc non exaudiat: Ille tamen cum omnibus, maximè tamen cum iis, quibus jam aſſuetus eſt, verba miſcet, colloquentes cum ipſo ſi ſaltem ſibilent, melius intelligit, quàm eos, qui ſonorè clamitant, & hæc omnia ex *ſolius linguæ & labiorum motu*, quæ fixis intuetur oculis, ad dicta, quæ ipſi mandantur, exactè reſpondet, & reipsâ ritè laborando, & colores addendo, quæ injunguntur, monſtrat ſe exactè omnia intellexiſſe: duxit præterito anno uxorem, cujus ſermonem & motum labiorum iſte ſurdus optimè intelligit, adeo ut ea, ignotorum hominum quibus non adeo aſſuetus eſt, interpretem agat. Templa intrat, conciones eo modo audit, & quod Confeſſarius ejus Vir conſummatæ divinæ & profanæ eruditionis *Dn. M· Beniamin Gelachius* mihi affirmavit, quando factâ confeſſione auriculari abſolutionem expectat, intentè admodum ejus labia aſpicit, quomodo moveantur, ne ullum ipſi verbum excidat. Præter verò narrationem prædicti Generoſ. Dn. Comitis, affirmavit veritatem dictorum Admodum *Strenvus & Nobiliſſ. Dn. Chriſtoph. Erneſtus de Sommerfeld in Gruna & Alzenau*, *Statuum Ducat.* Svidnic. & *Iaurav. Orator*, in cujus prædio iſte ſurdus per pluſculas ſeptimanas commoratus, & ex arte ſcrinariâ varia elaboravit, ipſiuſque famulam in matrimonium duxit.

Pro *Surdaſtris* tamen, qui non penitus ſurdi ſunt Ars quoque humanæ ſolertiæ adinvenit auxilium egregium. De *Ioanne Baptiſtâ Lallio Nurſino* J. Cto & Poëta, (qui ſale facetiiſque omnes ſui ævi Poëtas ſuperavit,) refert *Ianus Nicius Erythræus*, quod cum ab anno ætatis ſuæ quadrageſimo, cœperit audiendi facultate carere, neceſſe habuerit parvâ tubâ ex argento factâ auribus admota, loquentium voces excipere. Vide *Nicii Pinacothec. part.* 1. *Imagin.* 73. *p. m.* 131. *Edit. Colon.* quod inventum jam à Galeno celebrari ad Aſclepiadis mentem exactum eſſe, ſtatuit *D. G. Hieron. Welſchius not. ad Epiſagmat. Obſerv. medic. p.* 16. Simile *inſtrumentum ad acutius audiendum* hodie Hiſpani fabricant ex argento vel cupro, & *Sarbatana* vocant, idque ſi defectum in auribus habent, ſecum geſtant, ut myopes ocularia. Vidit tale apud Hiſpanam mulierem Lincii *Hœferus in tom.* 1. *Hercul. Med. l.* 1. *c.* 9. *p.* 55. dicitque exactius deſcriptam à Mathematico Altorffenſi, ipſe verò à ſe viſum narrat fuiſſe inſtar infundibuli, cujus amplior pars objiciatur ſecum loquentibus, anguſtior, autem auribus propriis applicetur.

Pro iis tamen, qui *balbutiunt*, pariter *inſtrumentum* caſus fortuitus invenit, & ars poſtea perfecit in homine, cui ob amputatam linguæ portionem, loquelæ uſus impeditus: deſcribitur & depingitur à *Paræo Chirurgiæ. l.* 22. *c. f.* 489. *ſcutula* ſcilicet, cujus pars ſeſqui capitati argentei craſſitie eſt, & inter inciſſorios dentes continetur, ut ab ore haud promineat, pars inferior & tenuior capitati argentei craſſitie eſt, hanc reliquæ linguæ tenaci adhæſu componunt recta ad ligamentum membraneum, quod ſub lingua eſt; interius nonnihil excavatum, quam ſcutulam ligneam quoties legitimè in os indunt, toties articulatè loquuntur, ut ab omnibus intelligantur. Novi Virum admodum curioſum & Eruditum, qui *balbutientem* Nobilem è nobili familiâ de Palckenhain oriundum, hic, *in Sileſia* paucis menſibus perfectam loquelam formare feliciter didicit, ex fundamento Linguarum Orientalium demonſtrando, quomodo pro diverſitate literarum, dum aliæ gutturales, aliæ labiales, aliæ linguales inſtrumenta loquelæ diverſimodè moveantur & flectantur, puero non ſolùm exactè motûs iſtos in ſe monſtrando, ſed etiam ſæpius propriam linguam & labia inflectendo, donec perfectè verba exprimere didicerit. Porro dantur quidem Exempla Sanctorum Martyrum, qui *per miraculum exciſis* à Tyrannis *penitus Linguis* tamen *locuti* fuerunt, ut de Libycis Epiſcopis quibus Ariani Linguas radicitus evulſerant, de aliis Chriſtianis à Perſis mutilatis, ex Egnatio, & Nicephoro, & de aliis quoque teſtatur *Gaſpar à Reies in Campo Elyſio Jucund. Quæſt. quæſt.* 55. §. 12. *p.* 688. inauditum tamen noſtra ætate Salmuri in Gallia ex variolis quendam expuiſſe *Linguam* totam, *nec* tamen *loquendi promptitudinem amiſiſſe*, exactè quidem aliqua litterarum elementa proferre neſcivit, melius autem illas Litteras quæ ſine linguæ alliſu enunciantur & vel è gutture eructantur ut A, vel à Labiis eduntur ut B. *Th. Bartholin. cent.* 11. *hiſt. rar.* 22. Propter raritatem hujus Galli in loquelâ edidit integrum tractatum *Jacobus Rolandus Chirurgus Salamurienſis Juratus*, cujus titulus AGLOSSOSTOMAGRAPHIA ſive Os abſque Lingua, quod perfectè loquitur, ubi agitur de mirabili caſu cujuſdam è Pictavia inferiori oriundi, qui puer quinquennis linguam ſphacelo à variolis tùm temporis ibi locorum epidemialiter graſſantibus totam corruptam & putrefactam amiſit, ut nihil prorſus in bucca remanſerit; omnes tamen quinque fonctiones, quæ huic parti tribuuntur, ut ſunt loqui, ſcreare, guſtare, cibos in ore intra maſticandum volutate; deglutire bene & diſtinctè omnium cum ſtupore & admiratione potuit obire.

Tandem quidam qui *mutos ſe fingunt*, & ex ventre ſaltem videntur loqui vocantur Engaſtromythi ſeu ventriloqui. De iis *Nobil. Dighæus in de nat. corpor. tr. 1. c. 28. p.* 319. Hi, qui vocantur, *ventriloqui*, inquit, imperitæ plebi imponunt perſuadentes ipſis dæmonem aliquem ab ipſorum ventre voces emittere; ſpiritum ſcilicet peculiari quadam arte intus attrahendo, quo fit ut voces videantur non ab ipſis edi, ſed ab alio intra ipſos latente, cum tamen ab ipſis ſaltem egredi videantur; nam ſi id non advertas, putabis ea à loco aliquo diſtanti proficiſci. Talem vidit *in Galliis Clar. Joh. Vvalæus Prof.* olim Lugd. Batavor. nominatiſſimus, notante hoc exemplum *Alb. Kypero* in Cathedrâ medicâ ejuſdem ſucceſſore digniſſimo, *in Inſtitut. Phyſic. l.* 10. *c.* 2. *Th.* 12. §. 2. Beneficio Epiglottidis, quæ velut quoddam in folle aſſarium initium aſperæ arteriæ ſuperintegit, & claudit, *Fr. Mercur. Helmont. in Alph. Hebraico c.* 3. *p.* 22. fieri ſtatuit, ut illi attracto ſpiritu introrſum loquantur in ventrem ſuum, ore penitus clauſo, quales noſtris temporibus deceptores quidam ſeſe divinare fingant, quod ipſe *Helmontius* certiſſimâ edoctus eſt experientia.

[*D. P. J. Sachs à Levvenh.*]

OBSERVATIO XXXVI. PHYSICA.

D. THOMÆ BARTHOLINI.

OVUM PRÆGNANS.

O*Vum prægnans alio ovo* hiſce diebus anno 1669. ruſticus mihi oſtendit. Interius autem *ovum* litui hanc figuram  habuit. Aliud *ovum prægnans* ſervat Technicotheca Auguſtiſſimi mei Regis.

[*D. Th. Bartholin. in litt. è Hafnia Uratiſlav. ad D. Sachſium miſſis.*]

SCHOLION.

Polydædala Natura nunquam otioſa ſemper curioſis ſpectatoribus in Theatro ſuo nova proponit ſpectacula. *In regno vegetabili Limonium prægnans* alio *pomo gravidum* deſcripſit Cl. *Wormius in Muſ. l.* 2. *c.* 28. *f.* 206. ante ipſum obſervavit *Doldius* in *Ciſtâ medica Hornungi epiſt.* 245. apud Pharmacop. Norib. 1604. ubi interioris exigui pomi cortex quoque flavus; medulla albicans & ſuccus ſuis diſtinctis loculis. *Limonium prægnans* ſe quoque vidiſſe teſtatur *Exc. Barthol. in cent.* 4. *ep.* 63. *p.* 386. tam Hafniæ, quàm alibi. *Barth. c.* 3. *ep.* 42. *p.* 157. Pariter *Chriſtian. Willichius Med. Licent.* è Stralſundo narrat *Exc. Barth. cent.* 3. *ep.* 41. ſe obſervâſſe in Muſeo *D. Joannis Schelneri malum Citrium prægnans*, ſed quod tum jam planè exſuccum fuerat & aridum, qui narraverat pomum illud fuiſſe juſtæ magnitudinis, quod cùm diſſecuiſſet, in meditullio quaſi in cellulâ aliquâ invenerit minorem ejuſdem arboris fructum, ſuo etiam peculiari cortice veſtitum, & planè à priore alium, ita ut majoris iſtius quaſi fœtus apparuiſſet. Quin & hîc *Uratiſlaviæ in communi pomo* id notavit Phyſicus quondam Reipub. Uratiſl. digniſſimus *D. Michaël Doringius*, quando *in ep. MSS.* penes me ſervata, anno 1637. *ad D. Sennertum* ſcriptâ ita ait: Rem miram ante hac vel viſam vel auditam cape. *Puſillum pomum* colore, odore, & figurâ *majori communi pomo* per omnia ſimili in hujus meditullio ſingulari pediculo enatum, dedit unum atque alterum ante menſem Pharmacopæus noſter *Petrus Callembergerus*.

In Regno minerali quoque varii *Lapides* prægnantes aliis lapidibus inveniuntur, ut lapides chelonites, Ætites, conchites, quorum ſingularia exempla ex probatis Authoribus adduxi in *Gammarol. lib.* 1. *c.* 8. *p.* 145. non minus quàm aliorum lapidum, in quibus vel mortua animalia, vel viva adhuc inventa fuerunt, & iis lapides imprægnati, ut Bufones, ranæ coaxantes; & aliæ beſtiolæ in lapidibus incluſi. *Ib. p.* 146. 147. *Prægnantes* quoque *lapides* recenſet Excell. *D. Leonh. Bauſchius Fundator Colleg. Natur. curioſ. in Ætite, curioſ. c.* 8. *p.* 71. *& ſeq.* De *Priapolithis*, qui intus pleni ſunt, ut videantur matres fœtibus prægnantes conſuli poterit *Borell. cent.* 3. *obſ.* 85. Poſſidet *D. Ioan. Gaſpar Bauhinus* Baſileæ exſectum viro *calculum veſicæ*, *globulo* plumbeo *prægnantem*, adeò firmiter calculoſæ ſubſtantiæ inhærentem, ut plane immobilis videatur. *D. G. Segerus ad Barth. cent.* 3. *ep.* 35.

In Regno animali narrat *Euſeb. Nieremb. in hiſt. nat. l. 6. c.* 2. in Hiſpania Equam peperiſſe *mulam aliâ mulâ gravidam*, & ex *Torquemalæ dial.* 8. *Gaſpar à Rejes in camp. Elyſiis quæſt.* 36. *n.* 28. Sic *Vaccam* in Hungariâ 1663. vitulam edidiſſe abdomine maximè diſtento, & *in hâc vitula prægnante aliam vitulam* inventam fuiſſe omnibus numeris abſolutam, è *Leutſchoviâ* mihi confirmavit *Dn. D. David* Spilembergerus illius loci Phyſicus meritiſſimus. De *vermibus* & *lumbricis* prægnantibus aliis vermibus ex P*anarolo pentec. V. obſ.* 15. & aliis, exempla collegi *in diſſert. de mirand. ladid. nat. p.* 57. *Murium* prægnantium *fœtus* rurſus *aliis fœtibus* inveniri repletos *Ælian. l.* 17. *c.* 17. *& Ariſtot. l. 6. hiſtor. anim. c.* 37. ſtatuunt, quid tamen de muribus hiſce ſtatuat *Arnoldus Sengverdius* Philoſophus *Amſtelod.* videantur ipſius literæ apud *Barthol. de inſolitis partûs viis c.* 16. *p.* 133. *& ſeq.* Sic inſolitus ille partus & ferè prioribus ſæculis inauditus, quando in Fionia paucis abhinc annis Joanna Uxor Nicolai Petri genuit *embryonem, in cujus tumido fœtûs fœmellæ ventre*, in loco conſueto, *alius fœtus* ſexûs fœminini omnibus modis perfectus inventus fuit, circiter ſpithamam longus, unguibus & pilis inſtructus, uti narrat ex obſtetricis Siſſeliæ atteſtatione *Exc. Bartholinus cent.* 4. *hiſt.* 10. *& in de* Part. *inſolitis viis c.* 16. *p.* 124. *& cent.* 3. *ep.* 23. Quod de Embryone prægnante dictum eſt, hoc de *molis prægnantibus* quoque notandum. Vidit *Alexand. Benedictus l.* 25. *de morb. cur. c.* 29. Nobilem Venetam quæ *molam* excrevit inſtar polypi, quâ diſſectâ in medio maſculinus fœtus inventus fuit, quem monſtrum illud in ſe genitum, inter eas anguſtias accreſcere non patiebatur annexus tamen umbilicus huic polypo, cujus cauſam reddere conatur Exc. *Sennert. in l. 4. Med. Pract. p. 2. f. 4. c. 9. p. m. 329. & L. Chriſtian. Fridericus Garmannus, Phyſicus Chemnicenſ. Academicus Curioſus* in eruditâ *diſſertat. de gemell. & partu numeroſo c.* 1. §. 1. Recens exemplum adducit *Theodorus Keckringius in obſ. anatom. obſ. 95. p.* 184. cui Anno 1669. Amſtelodami ab Obſtetrice quadam 9. Febr. *molâ* exhibita fuit corporis formâ inſtar cyprini, in bifurcatam caudam deſinens, capite & ore perforato cyprino ſimili, & *in medio molæ ventre infans* perfectè efformatus, quantus ſolet unius menſis fœtus: Denique ut cum *ovo* finiam, ab *ovo* poſtquam inceptum, *ovi* alio *ovo* incluſi in Regis Daniæ Technicotheca ſervati meminit *Idem Barthol. in Epiſt. cent. 3. ep. 42. & cent. 4. ep.* 63. De alio in Angliâ edito *ovo* ita *Gu. Harveius Exerc. X I. de generat. animal. p.* 86. Vidi *ovum*, inquit, perexiguum (*Aquapendens* centeninum vocat) *intra aliud gallinæ ovum* majus, perfectum & cortice circum circa obtectum contineri. *Ovum* hoc Sereniſſimo Regi Angliæ Carolo, multis aliis coram ſpectandum exhibui. Sic eodem anno in *Limone* majore diſſecto Limonem alterum perfectum ſed perexiguam, flavo cortice obductum reperiſſe ſe, quod in Italia nunc frequens eſſe, *Idem Harveius* l. a. atteſtatur.

Tandem ut *ovum* hoc *prægnans alio ovo* fuit, ſic *in ovis* varia *monſtra* reperta fuiſſe, maximè mirum, & vix ingenio humano, quomodo *ovo* exactè clauſo ea intrare potuerint, niſi intus genita ſint, vera cauſa inveſtiganda. Ex doctiſſimi *Liceti* hiſtoria monſtrorum citat *Aldrovand. in hiſtor. monſtror. f.* 389. Gallinam quam ipſemet domi aluerit, poſt multa *ova* unum puſillum ſine luteo ediſſe, *in cujus albumine ſerpens* veluti vermis compertus eſt, in quem ovi vitellum fuiſſe transſormatum, eſt ſuſpicatus, quia gallinas ab Aſpidibus fuiſſe compreſſas, interdum obſervetur, atteſtante *Liceto* l. a. *Idem Aquapendentem* adducit qui *in luteo* quoque *ovi vermem* ſatis magnum inter comedendum comperit; & ipſi *Aldrovando* monſtratus fuit *in ovo vermis* formam piſcis referens. *Ambroſ. Paræus de Monſtr. lib. 24. c. 2. f.* 545. monſtrum adducit quod Auguſtoduni in ædibus Dancheronis Cauſidici inventum dum ancilla ova multa frangeret butyro incoquenda, in *medio intimoque ovo* repertum monſtrum facie quidem humana, ſed capillitio colubris undique horrente, & cui mentum tribus aliis colubris velut barba vibratis germinavit, quod Regi Carolo IX. Metis agenti tranſmiſſum fuit. Difficultatem hujus rei videns *Ioan. Faber Lynceus f. 773. expoſſ. in Nard. Recchum*, inquit: Vix fidem credo reperturum, veriſſimum tamen narro, hîc Romæ in diverſis ædibus ac temporibus *cocta* & *aperta ova*, durum unum, alterum molle & ſorbile, & in *utroque*, *ſcorpionem* inventum fuiſſe, in hoc vivum, in altero mortuum. Habui oculatos teſtes etiam Equeſtris ordinis in primo, in ſecundo familiares meos. Hæc ille. Solent quidem per jocum quidam crines ovo intrudere facto tenui foramine, imò & ſanguiſugas, uti docet *anonymus Author qui Jocoſeria Artis & Naturæ* nuper ſcripſit, ſed majores iſtos vermes, ferè impoſſibile eſt.

[*D. P. J. Sachs à Levvenheimb.*]

OBSERVATIO XXXVII. PATHOLOGICA.

D. THOMÆ BARTHOLINI.

OSSIVM MOLLITIES.

VIdi nuper *Abſceſſum Oſſis*, in articulo medii digiti Uxoris cujuſdam militis, *Oſſe* prorſus *reſoluto* & in *minima fruſtula confracto*, ſicut manifeſtum fuit poſt ſectionem. Scilicet *emolleſcunt* ſubinde *Oſſa*, ut officio ſuo fungi non poſſint. In Brutis hoc efficit Herba *Oſſifraga* dicta. Non raro internæ cauſæ *Oſſa* à ſtatu ſolito deturbant. Medullam gallinæ oſſeam obſervavi, in aliis exoſtoſi perpetuâ deformia oſſa. *D. Thom. Barth. Epiſt. Uratiſl. miſſa ad D. Sachſium.*

SCHOLION.

Oſſa à ſolita duritie vel nativa imbecillitate, *vel* morbo ſuccedente, deflecti jam *idem Barthol. c.* 6. *hiſt.* 40. *p.* 263. notaverat. *A nativitate* talem obſervavit *Foreſtus*, *l.* 17. *obſ.* 15. ubi homo natus cum dextro brachio, à cubito uſque ad humerum, non tantum reſoluto, ſed omnino oſſe non coagulato, ut brachium inſtar lori concideret. Sic mulierem Pariſienſem toto corpore flexilem & ſine ſolidis oſſibus memoravit *Jacob. Hollerius obſ. rar.* 7. Vidit *Exc. Wormius* apud *Bartholinum l. a. p.* 264. puellam cui pedes, crura, & femora flexibilia, cui cartilagines oſſium vices ſupplebant.

A morbis fit facilius. Teſtatur *Fernel. D. Abdit. Rer. Cauſ. l.* 2. *c.* 9. *p.* 96. ſe propriis oculis vidiſſe, quod *Ruellius* litteris mandaverat, in milite quodam ex *morbo oſſa* crurum, *brachiorum* & *femorum* tam *mollia* & flexibilia evaſiſſe, ut ceræ modo facilè ſequerentur, quocumque torquerentur. *Fabric. Hildan. c.* 2. *obſ.* 66. *p.* 139. in Sexagenario *Arthritide* pituitoſa laborante obſervavit tantam *oſſium fragilitatem*, ut dum chirothecam in manum affectæ partis leviſſimo conatu induere vellet, *brachii os*, & poſtea quoque os circa cubitum fractum fuerit. Fœminam, quæ recentem ſubuculam induens, *oſſa* aliquoties *fregit*, *Janus Diburgo* recenſet apud *Fabr. Hildan.* 16. *c.* 11. *obſ.* 68. à latente aliquo *veneno* cauſam deducens: nec non in Solodurienſi *ob* continuos *Catharros oſſa fragilia facta*, exponit idem *Hildanus cent.* 5. *obſ.* 89. *D. Samuel Coſterus* Amſtelodam. Medicus ſcribit *Nic. Fontano Reſponſ. & curat. Med. hiſt.* 2. *f.* 10. *ob ætatem* vetulæ adeo *debilia* reddita fuiſſe *oſſa*, ut vix tactum ſuſtineret, quin tactu leviſſimo ipſa membra frangerentur, quod *Nic. Fontan. p.* 12. ob ſiccitatem factum putat, quia oſſa glutine ſuo & adipe medulloſo privata, non aliter ac oſſa calcinata facilè frangantur. *Admirandam* quoque *Oſſium mollitiem* obſervavit *Petrus Aſſelinæus* Medicus Gallus, apud *Georg. Hier.*

Welſch. in obſ. medic. Epiſæg. obſ. 82. *p.* 53. quæ curata fuit ab Empirico balneo frigido ex ſulphure vitriolo, Alumine & ſale gemm. aqua incoctis. Et ſimile balneum ad pedes cereos deſcribit *Zacutus l.* 3. *Pr. Adm. Obſ.* 127. In Elephantiaſi ſæpe ſimile ferè Symptoma accidere ex *Porphyrio Tyrio* deſcribit *Petr. à Caſtro in obſ. MSS. obſ.* 40. Crateri ſcilicet, Medico eximio, novum inauditumque morbum accidiſſe, nimirum *carnes & oſſa* ab invicem *diſceſſiſſe*, nec medicamentis ullis, niſi ſola comeſtione viperinæ carnis curari potuiſſe, tunc enim rurſum carnem oſſibus hærere cœpiſſe ac conglutinatam eſſe. Tandem *IDEM PETRUS A CASTRO obſ. MSS.* 51. de *membrorum & oſſium mollificatione* ſequentem commemorat hiſtoriam. In vico Hiadaya, (limite Galliæ Aquitanicæ) ad Hiſpanos Cantabros pertinente puer 8. annorum factus eſt impotens ad motum & greſſus propter *nimiam membrorum mollificationem*, ita ut perpetuo ſedens maneret, aut bajulatus incederet, neque poſſet ſtare, neque ambulare, cum febricula quaſi habituali, nec tabeſcebat tamen, ſed molli habitu & valdè carnoſo. *Vocatur* morbus iſte *Arabibus* Alachad & Alzemena, curatur ab Avicenna oleo de Audachoca (h. e. Loto ſilveſtri Matthiol.) potando ex eo, inungendo cum ipſo, & paratur hoc oleum, craſſo modo Andachocam coquendo cum ſeminibus: ponitur quoque pellis ovina ſupra ipſum, liniatur lacte vaccino dulci, conducet Balneum ſiccum, ſudor in furno oſ. fovea ignita. *Hæc Caſtro l. a.*

[*D. P. J. Sachs à Levvenh.*]

OBSERVATIO XXXVIII. BOTANICA.

D. THOMÆ BARTHOLINI.

HERBA OSSIFRAGA.

FErtur in Norvvegia noſtra *plantæ* cujuſdam *Oſſifragæ* vis ſingularis *emolliendi oſſa* Jumentorum, quæ illâ veſcuntur. Et quod mirum, ex eadem incolæ Unguentum conficiunt pro oſſibus glutinandis. Suſpicatur *D. Simon Pauli Noſter*, Mercurii vel plumbi ſubeſſe mineram, deditque id negotii peritis loci Sereniſſimus Rex noſter, ut de veritate rei inquirant, & quid terra illa, ubi planta naſcitur ſinu ſuo occulti condat. Quicquid reſcivero poſthac ſcribam. Vidi plantam ſiccam apud *Clar. Borrichium* Collegam, quæ propius ad juncum accedere mihi viſa eſt. *D. Bartholin. in litter. ad D. Sachſum miſſis.*

SCHOLION.

Herbam hanc à nemine Botanicorum deſcriptam vocat *Gramen Norvverg.*

πολύῤῥιζον oſſifragum Ex *D. Simon. Pauli* Prof. *Reg. Hafnenſ. in quadripart. Novæ Edit. claſ.* 4. *p.* 529. Norvvegis dicitur *Beengras*. Herbam iſtam ſecum anno 1641. è Norvvegia primum adduxit *D. Iacob Fabricius Med. R.* Chriſtiani IV. narravitque eidem Generoſ. Dn. *IANUS BIELKE* Regn. Norvveg. Cancellarius compertam eſſe ejuſdem herbæ efficaciam, ut ſi boves ea veſcerentur, ipſos uſque adeo ad ambulandum fieri ineptos, ut elumbes videantur nec veſtigium facere poſſint. Imo ut *Georg. Reichvvein Generalis Major Philobotanicus*, retulit *in litteris ad D. Simon. Pauli*, adeo oſſa molleſcunt, & conteruntur, ut baculo poſſit quaſi circumvolvi animal, non tamen moritur, ſed curari poteſt ſi ipſi oſſa exhibeantur alterius animalis, hujus herbæ eſu perempti. Conjecturam facit *D. Simon Pauli pag.* 532. deliteſcere forte ibi, ubi creſcit herba hæc, in intimis terræ viſceribus mineram ♄ vel ☿ currentis, quia ſecundum *Kircher. Art. Magnet. l.* 3. *p.* 5. *c.* 3. omnes plantæ alimentum verè magneticè ex terra trahant & naturam metalli ſupra quod creverunt aſſumant. Contra meminit *Iacob Bontius L. V. med. Indor. c.* 33. *f.* 86. *herbulæ*, quæ ſemen fert inſtar hordei, ſed nigrius & hirſutius in Malacca & Continentis quibuſdam Indiæ locis creſcentis, quæ oſſa adeo firmat & roborat, ut ſi ejus ſucco ſolummodo dentes imbuantur filicem in pollinem redigere poſſint.

[*D. Philipp. Jacob. Sachs à Levv.*

OBSERVATIO XXXIX. ANATOMICA.

D. JOANNIS GUILLELMI RIVÆ

DE DUPLICI SEGUNDINA HUMANA exhibita.

à D. JOACH. GEORG. ELSNERO.

Vid. Tab. III.

HIppocrates, & cum illo totus ferè eruditiſſimorum Anatomicorum globus in hac fuere ſententia; quod licet fæminæ gemellos pluresve geſtent utero fœtus, illos adnatos eſſe vni Placentæ diviſis ſolummodo funiculis. Quæ ſententia licet à quàm plurimis hactenus amplexa fuerit, fuere tamen nonnulli, qui primo ſcrupuloſi, tandem ſubtilitate ſua præoccupati concluſerunt: Quando gemelli ſint unius ſexus, tunc gaudere illos communi Placenta; Si alter illorum eſſet maſculus, altera verò fæmina, tunc ſingularibus involvi membranulis, ſingularemque habere Placentam. Cujus Sententiæ fautor quàm maximus eſſe videtur ſubtiliſſimus alias *Boccalinus cent.* 1. *Relat. ex Parnas. relat.* 93. in qua concludit, eſſe contra Jus Naturæ, quod conſortium, multo minus conjugium iniret frater cum Sorore, quemadmodum & inter ſe conſanguinei, quod nempe ſi prudentiſſimæ

Natura in tenella adhuc ætate Sororem à Fratre particulari circumdatam teneat ſecundina, multo magis illos velit ſeparatos in ætate vegetiori. Verba ipſiſſima Apollinis apud Boccallinum ad Traſeam l. c. ſequentia ſunt.

Un voſtro pari deve ſapere che all'ora, che una donna concepiſce due gemelli, ſe eſſi ſonno Maſchi ambedue, ſi veggono racchiuſi entro una ſottiliſſima membrana, coſa che anco accade, ſe amendue ſono ſemmine: Ma ſe avvienne, che uno ſia maſchio e l'altra femmina, la ſagaciſſima Natura in una particolar membrana ſeparata dal Maſchio conſervata la femmina. Di modo che la Natura della cohabitatione di un fratello & di una ſorella di quella età non eſſendoſi fidata, inſegna ad ogn'uno, che nè nemo de voſtri pari altri puo viver ſicurro, & in queſte occaſioni Traſea, chi ſi fida delle ſue forze piu e temerario, che ſaggio.

Quæ Sententia alias nervoſa, uti à nervoſo judicio prognata magna promittere videtur; aſt videtur. Conſulenti enim Experientiam, illa firmo vix ſtare reperitur talo, & licet in Parnaſſo à Boccalino Magni Apollinis Secretario proclamata ſit, ne credas ex tripode Apollinis & Delphico oraculo confirmatam eſſe, ut æternæ ſit veritatis. Duo exempla in contrarium adducam. Primum eſt, quod ex obſervatione *Excell. Dn. Rivæ* Anatomici Romani, Amici mei colendiſſimi, teneo, qui aperto cadavere Puerperæ duas ſecundinas cum ſuis funiculis invenit, quorum ſingulis annexus erat puerulus. Cujus obſervationem uti à Dn. Riva obſervatam hæc Tibi ſiſtet pagina.

Figuræ Explicatio.

Uterus perpendiculariter cæſus & hians ab honeſta Juvene D. Anna Maria nuptâ, propè templum Pacis, horæ dimidio ab editione pueri vitalis in Syncope expiratâ 1663. 6. Martii extractus, duas ſecundinas ſuis cum umbilicalibus vaſis retinens: inferiorem ſciſſam Nati infra ſculpti à ſuperioris circumferentia, uteri oſculo, & dorſo in anticum medium productam; & ſuperiorem integram dimidium fundi ſuperius conſuetè ambientem, ex qua puerum alii conſimilem, ſed extinctum ſupra ſignatum excluſimus, & ſeptum tendimembraneum orbiculare ab invicem utramque dirimens.

A.	Uteri fundi centrum.
a	Uteri Sciſſuræ labia. B. Uteri oſculum.
b	Vaſa in uteri Sciſſura obtruncata.
C.	Fœtus extinctus in ſupremo repertus & extractus.
c.	Umbilicus integræ placentæ fœtuique annexus.
D.	Ejuſdem extincti adhuc utero annexa placenta.
d.	Vaſa placentam integram ſub chorio perreptantia.
E.	Amnios expanſa & extinctulo ſupratenſa.
e.	Hydatides in integra Placenta
F.	Vitalis fœtus è parturiente prior egreſſus.

f.	Umbilicus fiſſus è fiſſa placenta prodiens.
G.	Diviſa ut Uterus, chorioque liberata placenta.
g.	Ora ſciſſæ placentæ ſuperiora extrema.
H.	Sciſſionis labia ejuſdem placentæ.
h.	Vaſa ſerpentia per placentam ſciſſam.
I.	Inferiores placentæ ſciſſæ extremitates.
i.	Poſtica placentæ ſciſſæ confinia.
K.	Chorion diſciſſa & ad latera circumvoluta.
k.	Hydatides in placenta diviſa.
L..	Septum tendimembraneum convolutum, retrò ſectum.
l.	Ejuſdem ſepti in antico extremitates bifidæ.
M.	Septi inferiores tendineæ productiones.
m.	Sectio in medio ſepti ad inferius circumvolutionem oſtendens.
N.	Ejuſdem ſepti ſuperiores pariter tendineæ productiones.

Pro faciliori intelligentia notandum 1. quod Mater erat annorum viginti, robuſta & plethorica. 2. Numquam alias pepererat. 3. In enixu fœtus non admodum perpeſſa. 4. Nullum necis ſignum, nec minus fœtus (antequam vocatus ego poſt obitum matris alium adhuc retinerem & mortuum tetigiſſem) præceſſerat. 5. Qui fœtus exiſtimati fuerunt ambo ejuſdem perfectionis & magnitudinis. Alterum exemplum hic Uratiſlaviæ vidimus in fœmina Operarii cujuſdam, quæ enixa fuit gemellos diverſi ſexus unâ involutos Secundinâ; unaque Placentâ. Plura ſimilia addi poſſent exempla gemellorum diverſi ſexus, qui adhuc in vivis, qui communi in utero gaviſi ſunt involucro. Exquibus nunc evidenter appatet; Naturam certæ Regulæ adſtrictam non eſſe. Non enim ſemper gemellos pluresve fœtus unâ gaudere videmus placeotâ, nec Naturam, ob diverſitatem ſexus, fœtus ſemper ſeparare. Et tuo jam B. L. libero judicio ſubmitto, quando inveniuntur ejuſmodi caſus, An gemellationes, vel potius ſuperfœtationes dicendi ſint.

OBSERVATIO XL. ANATOMICA.

D. JOACH. GEORGII ELSNERI.

MIRA VASORUM SECUNDINÆ HUMANÆ Textura.

Vid. Tab. IV.

DIſcurſus ex antecedenti obſervatione de Secundina anſam mihi dat, ut Tibi B. L. ſiſtam accuratam delineationem vaſorum Hepatis uterini, quorum Structura ſane admiranda. Rete mirabile quod cerebri baſi ſubjicitur ob artificioſam & mirabilem ſtructuram, vocatur plexus retiformis, majori jure meretur hoc titulo inſigniri mira vaſorum Humanæ Secundinæ textura, quâ vaſa ita intricata & involuta ſunt, ut merito vocentur Rete mirabile uterinum. Horum vaſorum ſtructuram invenies, ſi immergas ſæpius placentam annexam chorio aquæ calidæ, ut abluatur Sanguis à glandulis, ex quibus iſta conſtat. (Hepar enim uterinum nihil aliud eſſe comparet quam glandula conglomerata, ex infinitis glandulis, acinos referentibus, conſtans, quibus ſuperfuſa eſt ſanguinis copia) glandulæ vero iſtæ ſenſim atque ſenſim ſeparandæ ſunt à vaſis. Qui labor, licet tædioſus, in fine tamen pro diligentia ſuſcepta tibi creabit jucunditatem, quam hauries ex aſpectu iſtorum vaſorum injectorum in pelvim vitream aquâ plenam. Extremitates enim vaſorum ſubjicient oculis tuis infinitas & delicatiſſimas plumas candidas aquæ innatantes. Horum vaſorum delineationem & miram texturam uti nuper cum Dn. D. Henrico Volgnad, amico meo conjunctiſſimo, præparavi, hic Tibi ſiſto.

Plura ſi deſideras curioſa de Secundina, nonnulla invenies in Nicolai Hobokenii Ultrajectini Anatomia Secundinæ Humanæ quindecim figuris illuſtrata.

Explicatio Figuræ.

A.	Amnios. B. Chorion.
C.	Chorda ſive funiculus.
D.	Venæ in funiculo reſectæ hiatus.
E.	Arteriæ duæ à ſua tunica liberatæ, circa chordam ſe contorquentes.
F.	Eædem Arteriæ quà rectà per Funem deſcendunt.
G.	Arteriæ Umbilicalis alterius bifurcatus ingreſſus in Placentam.
H.	Arteriæ alterius ſimplex ingreſſus.
I.	Venarum Placentæ in truncum majorem collectio, unde Vena umbilicalis procedit.
aa.	Arteriarum inſigniores rami per Placentam diſperſi.
bb.	Venarum magis conſpicui rami.
cc.	Extremitates tam venarum quam Arteriarum in ſubtiliſſima filamenta deſſinentes.
dd.	Fibrillarum, aut ſi mavis, vaſculorum minutiſſimorum inter ſe irretitorum mira textura, firmiſſimè chorio annexa.

* * *

OBSERVATIO XLI. PATHOLOGICA.

D. JOANNIS GEORGII GREISELI.

SUFFOCATIO EX FRUSTO RUPTI PULMONIS.

VIr quidam 36. annorum, natnraliter calidus & ſiccus, phthiſicus, morte repentinâ emoritur penes ſuam Uxorem, hujus mortis inſciam, quæ nec quidem tam funeſtum caſum, tamque ſubitaneam mutationem ſibi imaginabatur; eo quod pridie veſperi bene comediſſent, maritus quoque more ordinario labores perfeciſſet. Altero mane cùm tempus ad labores appropinquaret, mulier modeſtè ſurgens, putabat maritum ſuum ſuaviſſimè quieſcere, à qua ſuavitate illum deturbare nolebat, cum tandem ſeptimâ & octava hora matutina tranſiiſſet, mulier impatiens longioris ſomni, ob multitudinem laborum adhuc perficiendorum, adhibito omni conatu in expergefaciendo ſuo marito, illum in Deo obdormiviſſe invenit. Fit rumor domi, vicini, vicinæque ad ejulantem viduam accurrunt, *Apertionem Cadaveris*, ad inveniendam cauſam tantæ mutationis ſubitaneæque mortis illi perſuadentes. Qua de re ego accerſitus, cadaver aperui, in cujus abdomine nihil notatu dignum reperi. Ad Thoracem accedens vidi primo ictu oculi circa Cartilaginem Arytæmoidem collum inflatum ad inſtar ſtrumæ, quam inflationem vivens non habebat. Aperto thorace inveni exulceratos Pulmones & pure repletos, *ruptum* autem erat *Vlcus* illud quaſi per mediam partem *ſiniſtri lobi*, cum deperditione Subſtantiæ, & alicujus particulæ, quam ibi non inveneram. *Ex hoc ſuffocationem* mihi ſtatim imaginabar, adeoque totam Aſperam arteriam, in qua illum Tumorem tum temporis inveni, extraxi unâ cum pulmonibus & corde. His extractis volebam folle pulmones per aſperam arteriam inflare, ſed nullus halitus aut aër tranſivit. Digito cauſam reſiſtentiæ indagans, inveni illud *fruſtum rupti pulmonis in Aſpera Arteria* ita infixum, ut uncis illud non niſi laceratum extrahere potuerim, quod tranſitum aëris impedivit adeoque *ſubito ſuffocari* miſerum iſtum virum neceſſe fuit. Poſtquam autem fruſtum illud extractum erat, pulmonem inflabam (dextrum tantum, non ſiniſtrum, qui erat laceratus) magna tamen cum difficultate ob copiam purulentæ & viſcidæ materiæ, quod cum adſtantes cum admiratione vidiſſent, de cauſa ſubitaneæ mortis acquieverunt.

Sed multò mirabilius in hoc cadavere inveni. Reſectis pulmonibus Cor aperui, *in cujus dextro ventriculo Foliolum integrum viride Siſymbrii* per modum acetarii pridiè veſperi comeſti, ut referebat Vidua, & ſapore & odore inveni.

[*Ex Litter. D. Georg. Sebaſt. Jung. Vienna Uratiſl. miſſis ad D. Sachſium.*]

OBSERVATIO XLII. PATHOLOG.

D. GEORGII SEGERI.

EMBRYO HYDROPICUS.

HUmorem ſeroſum in corpore p. n. collectum, Hydropen Aſciten excitare, commune Practicorum eſt dogma. In cauſas illius dum inquirunt, Hydropici viſcera luſtrant propria, non aliena. Ex alterius vero errore quempiam Hydropicum evaſiſſe, rarum eſt; Tale tamen exemplum jam dabo. Cum anno 1666. d. 26. Oct. veſperi circa horam ſextam hîc Thorunii, in novo oppido piſtrinum cujuſdam piſtoris flammam concepiſſet, & ſub initium paulo liberius ſcintillas ſparſiſſet, conſularis cujuſdam Viri Uxor ſummè gravida, antequam de ſitu ardentis ædificii certior redderetur, in area ſuâ ſcintillarum, vicini parietis incendium mentientium, volatum anxia obſervavit. Auxit anxietatem abſentia mariti, ſingularis mei Amici, ob publica negotia Vaſaviæ tum commorantis. Poſtquam verò reſcivit quodnam ædificium Vulcanus occpaſſet, ſedatiore animo in hypocauſtum ſe contulit. Hîc ſiti moleſtiſſima turbata, Cereviſiæ ſecundariæ largiore potu eam abigere tentavit. Poſtridie nullum ſenſit incommodum. Aſt tertio poſt dîe ingruentibus doloribus partus *enixa eſt filiolam hydropicam*; quæ medicamentis tam internis quàm externis nihil quicquam conferentibus paucis poſt diebus hydrope periit.

[*D. Segerus è Thorunio Litt. ad D. Sachſium miſſis.*]

SCHOLION.

Fœtus Humanos non raro antequam *extra carceres Uterinos* prorumpant, *plurimis morbis*, adhuc *in ergaſtulis conſtitutos*, torqueri, præcipuè ſi matris gravidæ accedant Errores aut ægritudines, quotidiana addocet experientia. *Nil* communius quam *motibus convulſivis & Epilepticis fœtus* torqueri *in Utero*, præcipuè ſi Gravidæ ex terrore, triſtitia aut ira humores commoverint; ſatis id matres experiuntur inordinato & vehementiore motu, quem etiam alia non raro periculoſa ſubſequuntur Symptomata. *Matres gravidas, ſi variolis* corripiantur, *variolis affectos fœtus* edidiſſe, exemplo fœtus fœminini poſt mortui, *Hildan. cent. IV. obſ.* 55. & fœtus maſculini unà cum matre ad ſanitatem reducti *Id. ib. obſ.* 56. comprobat, diſquirens an harum variolarum cauſa imaginatio matris an vero ſanguis maternus fuerit. Similia quotidiana Praxis ſuppeditat, & aliud *infra Obſ.* 53. recenſebitur. *Daniel Puerarius* è Genevâ recenſit ab *Excell. Barthol. Cent. IV. Epiſt.* 86. *p.* 488. obſervatos à ſe *infantes* aliquos narrat, qui *in utero materno febricitarint*, certiſſimis cum indiciis, & quorum demortuorum totius corporis habitus maculis quibuſdam rubris & lividis diſtincti fuerint. Idem *Barthol. l. a. Ep.* 87. *p.* 500. confirmat, quod conſenſu & incommodo morborum matris in utero fœtus inficiatur, quia à matre nutrimentum hauriat calore febrili accenſum, & quod ab ipſo viſi fœtus excluſi à matre febricitante debiles & univerſo corpuſculo quaſi excoriati. *Fœtum Enterocele* Omphalodi *in utero matris* contracta natum & tandem ſanatum vidit *Dominic. Panarol. penticoſt.* II. *obſ.* 1. *pag.* 33. non minus quam puerum Icteritiam in Utero matris contrahentem. *Idem pentic.* IV. *obſ.* 44. *p.* 137. Plura aliorum *morborum exempla fœtus in utero, alio reſervanda tempori.*

[*D. Philip. Jacob.* Sachs *à Levvenheimb.*]

OBSERV. XLIII. ANATOMICA.

D. LAURENTII VVOLFSTRIGEL.

ANATOME HÆMOPTOICI. CYSTIS RENI ADNATA.

Vid. Tab. V.

VIr 49. annorum conſtitutionis Melancholicæ, hypochondriaca affectione, per aliquot annos mirè divexabatur, maxime tamen de dolore hypochondrii ſiniſtri conqueſtus eſt: tandem prægreſſa ſuppreſſione fluxus hæmorrhoidalis, quo alias cum levamine fruebatur, hæmoptyſi bis intra ſemeſtre ſpatium corripitur, qua etiam tertiò redeunte purpuream cum ſanguine vomit animam. Impetratâ licentiâ aperiendi cadaver, infimus venter primo ad examen vocatus, in quo Lien quidem ſat magnus, colore lividus & flaccidus: meſaraicæ tam venæ quam arteriæ, tum & vaſa gaſtroepiploica atro ſanguine turgeſcentia & quaſi varicoſa conſpiciebantur. Pancreas & naturales partes cæteræ ordinario modo ſe habebant. Ad Renes vero cum deventum erat, eorum ſiniſter flaccidior multo, & magnitudine inferior dextro reperiebatur: hic vero dexter in parte ſuperiori extrorſum cyſti donabatur ad magnitudinem pilæ luſoriæ, ſero ſubflaveſcente turgida, quâ diſſecta ac cum impetu proruente humore, nulla via conſpicua erat, per quam vel excretio, vel ingreſſus ſero pateret. Quantum conjectura aſſequi licuit, videbatur dicta cyſtis ex membrana communi Renis conflata. Figura & cætera ex ſchemate adjecto & ad vivum à me rudi calamo expreſſo magis patebunt.

A.	Cyſtis pellucida ſero turgeſcens.
B.	Ren dexter.
Ccc.	Portiones venar. & Arteriar. Emulgentium.
D.	Ureteris veſtigium.

Ad medium etiam ventrem deventum in hoc cadavere, in quo pulmones ſanguine nigro fermenteſcente turgeſcentes ac inflati comparebant; talis etiam Sanguis in Liene & confinio Venæ Portæ ac dextro Cordis ventriculo conſpiciebatur. Unde conjectari licuit, ex fermentatione nimia humoris vulgo melancholici dicti, maſſam ſanguineam orgaſmo concitatam, cum per conſuetas vias evacuatio non pateret, per ramum ſplenicum in Hepar, inde in Cavam ac dextrum cordis ventriculum, exindeque per venam arterioſam ſeu arteriam pulmonalem factâ vel anoſtomoſi, vel ῥύξει ſeu ruptura, ad ſuperiora regurgitaſſe, ibique ob copiam & viarum anguſtiam Circulationem Sanguinis impeditam, indeque huic viro flammam vitalem extinctam fuiſſe.

[*D. Laurent. Vvolfſtrigel. è Vienna Litt. ad D. Sachſtum.*]

OBSERVATIO XLIV. PATHOLOG.

D. NICOLAI GUILIELMI BECKERS.

LAPILLI è VESICA FELLEA.

MAgnificus ac Excellentiſſimus *Dn. Rumoldus van der Borcht*, Auguſtiſſimi Romanorum Imperatoris LEOPOLDI, nec non Sereniſſimi quondam Archiducis LEOPOLDI GUILIELMI *Protho-Medicus* Ætat. Anno LXIV. antea annis quam plurimis atrociſſimo Iſchiatico dolore cruciatus, Aſthmate ac Orthopnœa, ut nonniſi erectâ cervice ſpirare poſſet, defatigatus, auriginoſo corripitur morbo, quorum morborum, diverſorumque ſymptomatum vehementia (appropriatiſſimis medicamentis non neglectis) Natura devicta 24. Oct. 1668. fatis ceſſit.

Cadavere per S. Cæſ. Majeſtatis Chirurgum Dn. Pilas, me præſente, exenterato, præter bina in pulmonibus tubercula, LXXII. *Lapilli coloris flavi ſubnigri, fabarum minorum ac piſorum magnitudinem adæquantes in veſica fellea*, ac poris cholidoctis reperti fuerunt, & S. Cæſ. Maj. oſtenſi.

[*D. Beckers Litter. è Vienna Uratiſlav. datis ad D. Sachſium.*]

SCHOLION.

Lapides in veſicula fellea reperiri plurima proſtant apud Practicos hinc inde exempla, non minus quam apud *Schenck. in Lithogeneſia*, & *Kentmann. de Calcul.* His recentia quædam noſtri ſæculi Exempla ſubjungi poſſunt. *Fabritio Hildano* monſtrati fuere *Lapides in veſicula fellea* Coloniæ 1612. in ſeptuagenarii Comitis cadavere exciſo reperti, quorum major Drach. xjv, minor Drach. jv. ponderavit, quamvis pondus minus videatur propter inſignem magnitudinem, quod factum, quia ſpongioſi fuerunt. *Hildan. cent. II. obſ.* 44. fol. 320. qui etiam illos depictos exhibet. In fœmina 63. ann. *veſica cholidoctos* prægnans pluribus *calculis* fabæ molem excedentibus, iiſque viridantibus. *Carol. Piſo ſect. 2. de morb. ex Sero p. 2. c. 4. obſ.* 17. Ann. 1628. Mantuæ in fœmina *Fabricius Bartoletus* 300. *Lapides* magnitudine Ciceris *in folliculo fellis* invenit, non minus ac in principe Mantuano FERDINANDO Gonzaga ad orificium *iſtius veſicæ calculum* triangularem Sectores repererunt. *Joan. Rhod. cent.* III. *obſ.* 2. In CLEMENT. VIII. *veſicula fellea* monſtravit *Calculos*, *Hornung. Ciſt. med. Ep.* 68. & ex URBANI VIII. *veſicula* quinque *calculos*, ſingulos magnitudine nucis avellanæ extraxit *Ioan. Trullus* Anatomicus. *Barthol. cent.* II. *Hiſt.* 45. ſic *calculos* friabiles in Illuſtriſſimi Comitis *Thomæ Arundelii* Angli anno 1646. Patavii demortui *veſiculâ felleâ* repertos fuiſſe deſcribit & depingit *G. Hieron. Vvelſchius in Epiſagm. obſ.* 65. *p.* 40. *Cæcilius Folius* egregius Anatomicus *in cent.* I. *Epiſt.* 62. Bartholino narrat ſe diverſis in Anatomiis diverſicolores multicipeſque, albos, citrinos, nigros, atque rubros *calculos ex folliculo felleo* eduxiſſe.

D. Olaus Borrichius vidit anno 1661. Leidæ in Noſocòmio ſecante Exc. *Sylvio* Mulierculam *in veſicula fellea* plus quam 70. *calculos* magnitudine fabarum, anguloſos, ſed figurarum irregularium, tactu molles, & qui in aqua calida pene toti colliqueſcerent. *in cent.* III. *Ep.* 85. *Barthol.* ubi *in Reſponſ. Ep.* 86. *p.* 472. Exc. *Barthol.* concedit eos in liquore calido facilè frangi potuiſſe, quia leves ſint, nec facilè mergantur in aqua, à bile exſiccata vel aſſata originem ducentes, tanquam à cauſa calida; nam & in Regis Daniæ CHRISTIANI II. corpore *à Cornelio Amsfort* Archiatro parvos rubros *lapillos* inventos, quod in carcere Regio, præcipuè circa vitæ finem frequentius uſus fuerat generoſis vinis, imprimis Malvatico. Tandem unicum adhuc addo Exemplum ab Illuſtribus aliquot Perſonis mihi pro certiſſimo tum temporis narratum; cum Celſiſſ. *Principis Averſpergii Conjux Comitiſſa de Lovenſtain* anno M.DC.LXVI. objiſſet, in ejus *Corde & veſicula fellea* varios *Lapides* viſos fuiſſe. *D. Oſvvald Grembs* ex mente *Holmonti, fellei* hujus *Calculi* ſeu *Dulech* originem putat fieri *in Arbor. Hom. L. I. c.* 7. *ſ.* 3. §. 9. quando Spiritus Urinæ deviarit ex ſuo utero in fellis vicinum cruorem, tunc confeſtim Lapides in felle obnaſci.

In Brutis pariter interdum tales inveniuntur *fellei Lapilli*, quos alios natales habere quam calculum humanum aſſerit *Helmont. de Lithiaſ. c.* 8. §. 23. anomaloque modo produci ab excrementis ipſis, non per modum aliis infirmitatibus conſuetum. In *Bove* communiter eos in forma cicerum inveniri, notat *Exc. Ioan. Dan. Major Prof. P. Kilonienſis*, in *Anatom. Chilon. f.* 9. major tamen eſt ab *Eodem ibid.* deſcriptus colore cereo, ferrugineo ac ſplendente, magnitudine ovi gallinacei, ponder. Drach. vj. Medic. quem poſſidet *D. Henr. Vollgnadius Collega curioſus. Ipſemet Uratislaviæ* ante biennium diverſis temporibus *binos* à Lanionibus noſtris accepi *Lapides e veſicula fellea* è duobus *Bobus* exciſſos, quorum *maior* colore , & figura Pomum aurangium ordinariæ magnitudinis æmulatur, & pondere Unc. j. Drach. ij. Medic. excedit, licet jam optimè ſit ſiccatus; alter minor Drach. vj. qui ex parte fructus varios exhibet cortices, & in meditullio rotundum quaſi nucleum incluſum pruni magnitudine, ex flavo rubeſcente colore. Alii *e porcorum domeſticorum felle* oblati ex viridi nigricantes, plurimi, ſed minores fabas magnitudine non excedentes, maximè friabiles ſunt. [*D. Philip. Iacob. Sachs à Levvenheimb.*]

OBSERVATIO XLV. PATHOLOG.

DN. JOANNIS GUILIELMI RIVÆ.

CONCEPTUS FALSVS, TEMPORE DETECTVS VERVS.

EPiſtolam invitatoriam cum annexis obſervationibus Nobiliſſimi veſtri *Collegii Curioſorum*, quam tuis cum literis accepi, vidi, legi & operam quam maximè probavi. Et cum arriſerit Excell. Dn. *Bartholini obſervatio prima de conceptu falſo*, curioſam ejuſdem generis, diverſi tamen eventus, quam me Experientia *Romæ* docuit, addo. Erat Fœmina quædam per ſex menſes gravida, à multis vero pro non gravida habita, quippe argumentum opinioni horum erat, quod poſt plures dies, poſt plures conatus partus apparuit nullus, venterque tumidus ſubſedit.

Sed veritatem Eventus, quanquam tardiori mora, docuit. Duobus enim annis ferè elapſis, diverſis vicibus, ſceleton fœtus partitim exiit, cujus fœtus caput vel potius cranium, te in mea oſteotheca vidiſſe non dubito.

[Ex litteris *Romæ* datis ad *D. Joach. Georg. Elſnerum.*]

ANNOTATIO.

In iſta Obſervatione notatu dignum & hoc eſt, quod non per vias naturales vel conſuetas fragmenta ſive oſſa fœtus exiverint, ſed per ſeceſſum: & quod puerpera priſtinam ſanitatem recuperaverit, ſed nunquam amplius conceperit.

OBSERVATIO XLVI. PATHOLOG.

D. ALHARDI HERMANNI CUMMII.

HYDROCEPHALUS INCIPIENS CURATUS.

ANno 1667. *Hannoveræ* curæ meæ ſubmittebatur puer ſex annos natus: huic *in tantum caput auctum* erat, ut mole vel Juvenis octodecim annorum caput æquaret: totam vero cum naſo faciem occultaret, artus, è contra & venter tabeſcebant. Ego primo omnium ſuadeo, ut quantum fieri poſſet, baculo in os immiſſo illud apertum teneret: hinc capite raſo ſingulis diebus, bis aut ter, caput oleo chamemelino in quo ſtæchas arabica, ſpica, lavendula, &c. per aliquot dies infuſa erant, inungo, inde aqua vitæ Anhaltina abluo. Nonnunquam quoque aquam S. Eliſabethæ Reginæ Hungariæ applico, linteiſque madefactis frequenter foveo. Utrique Cruri cauterium applico, corpus quater ſingulis ſeptimanis cum Syrupo diacnici purgo; in potu ſemper aliquid de oleo Tartari per deliquium facti exhibeo, in cibo ſæpius aniſo, cumino, aneto ut utatur ſuadeo. Hoc modo, ſenſim *caput detumuit*, venter & artus nutritionem ſuam reciperunt, adeo ut intra duos menſes puer integræ ſanitati fuerit reſtitutus.

[*Ex literis è Luchovia Brunſvv. ad Dn. Joach. Georg. Elsnerum.*]

OBSERVATIO XLVII. ANATOMICA.

D. ALARDI HERMANNI CUMMII,

HYDROCEPHALUS DISSECTUS.

COgitatio præcedentis *hydrocephali* mihi ſuggerit memoriam *Hydrocephali*, qui diſſecabatur *Lugduni Batavorum* anno 1666. pridie nonas Januarii in theatro Anatomico publico. Infans erat unius anni à puero *Hydrocephalus*.

Ex hujus capite *Dn. var. Horne* P. P. Leidenſis amicus meus honoratus extrahebat uncias triginta ſex aquæ limpidæ, ſubſalſæ, quibus extractis adeo apparebant cuncta vacua, ut quis exiſtimare potuiſſet cerebrum hic planè deficere; ſed oculi acie eo penitus directâ, apparebat cerebrum nequaquam deeſſe, ſed amiſſa ſaltem figura globoſa, induiſſe formam convexi fornicis, & ab exuperante aqua ſequacem ejus medullam adeo fuiſſe diſtentam, ut inſtar alicujus craſſioris membranæ, adhæreſceret undique arcuatæ oſſium circumferentiæ, ita tamen ut tam exterior cinerea cortex. quam interior albicans medulla optimè diſcerneretur.

Notabilia hæcce in diſſectione occurrebant.

1. Quod ſub cute nulla conſpiceretur pinguedo, quæ tamen & in Infantibus materno adhuc utero incluſis apparet.
2. Quod in thorace notabilis eſſet aquæ quantitas, illi quæ in Capite continebatur perſimilis.
3. Quod renes adhuc eſſent inæquales.
4. Quod in Capite nec de glandula pineali, nec de glandula pituitaria ullum appareret veſtigium: in pavimento tamen cerebri notabantur aliqua filamenta nervorum materia quadam mucilaginoſa obtecta, quæ filamenta propagines nervorum ſexti paris paſſionibus dicati eſſe cenſebat *Dn. Florentius Schylius* P. P. Leidenſis amicus meus honoratus.

[*ad Dn. Joach. Georg. Elsnerum.*]

* * *

OBSERVATIO XLVIII. PHYSICO-BOTANICA.

D. PHILIPPI JACOBI SACHS à Levvenheim.

RAPA MONSTROSA ANTROPOMORPHA.

Vid. Tab. V.

NUnquam otioſa *Natura* ſemper ad perfectionem tendens, etiam ſæpè rudi, ſæpè vix imitabili penicillo, interdum etiam artificioſo ſcalpro & plaſtico torno, *Hominis*, perfectiſſimæ creaturæ, *figuram imitari*, aut ad minimum alias res naturales effingere conatur. Natura, inquit *Athanaſ. Kircherus Dial. III. Itiner. ſubmar. Ecſtat. c.* 1. *p.* 141. in mediis Achatibus lapidibus, marmoribus, aliiſque in profundiſſimis terræ reconditis ſaxis, tum humanæ figuræ, tum cæterorum animalium vegetabiliumque formam inſculpit; gaudet namque hujuſmodi rerum ludibriis, & uti omnia in omnibus eſſe oſtendit, ita pro conditione ſingulis entium gradibus laborat quantum poteſt, ut ſi non ſenſum, ſaltem vitam; ſi non vitam *ſaltem figuram nudam* iis, ad ſuam in Univerſi decore Majeſtatem atteſtandam imprimat. De *Figuris lapidibus* tam cum coloribus quàm ſine iiſdem *inſcriptis* à Natura Lithogenetica præter *Pictorem*, etiam *Opticum* agente, alibi commodior erit diſſerendi locus, & plura talia exempla ex optimis Authoribus collecta exhibui in *Gammarolog. L. I. c.* 7. §. 6. *& ſeq.* Nonne *Sculptorem* agit *Natura*, quando ex petroſo ſemine pro fluore lapidum in certa conceptacula variæ efformantur elevatæ figuræ? *Rupes* in Sylvâ Hercyniâ memorat *Zeiler. in Topograph. Ducatus Brunſvig. f.* 33. quarum à figura monachi æmula altera *Hans Munchy* altera *Hennig Munch* vocatur: Et in Inſulâ Melita *Rupes* maritima à monte ſeorſim dependens Monachum ſuſpenſum exprimens, vulgo *Il Frate impiccato* vocatur. *Kircher. l.* 8. *mund. ſubt. ſ.* 2. *c.* 2. *f.* 37. In monte S. Catharinæ vidit Dn. de *Monconnys* (*in Itinerar. Ægypt. p.* 248.) Rupem elevatam, quam incolæ ferunt habere formam corporis fœminini cum ſtomacho & mammillis; quanquam multum ab Imaginatione adhuc ſit fingendum, ut exactè talem figuram exhibeat. *Hominem* totum *ſiliceum* mammas tenus in Muſeo ſuo poſſedit *Olaus Wormius L. I. ſect.* 2. *c.* 13. exactè caput, colſum, humeros, pectoris ſumma, oculos, naſi protuberantiam, ſcapulas, ac colli muſculos referentem; ſilices in externam hominis figuram quaſi arte tornatos obſervavit *Th. Bartholinus cent. III. ep.* 8. *p.* 31. Sic ex *partibus humanis* æmulos *dentes molares* & inciſorios ſpecus Baumanni exhibet apud *Denſing. de fætu Moſſipont* §. 124. Carpathus mons calvarias minerales *Laz. Erker in de mineral.* In itinere ex Monte Sinai verſus Cairum *Lapides* plurimos invenit *Dn. de Monconnys* (*in Itiner. Ægypt. p.* 250. quorum alii optimè repræſentant *Corda Magna*; ex illis unus habuit cicatricem, qui apertus monſtravit in utroque latere depictum Cor vulneratum: alii ex Lapidibus iſtis *caput mortuum*, alii pampinos viteſque. *Oſſa* ſub terra inventa, à metallurgis *Enoſti* lapides dicti, *coſtas*, *pedes*, *tibias* exhibent, de quibus *Kircher. in Mundo ſubterr. L. VIII. ſ. 2. f. 60. Manum ſaxeam* affabrè à natura quamvis paulum rudiore ſcalpro paratam ex liberalitate Generoſ. Comitis *Hermanni de Hazvold* in Muſeo poſſideo in *Gammarol. mea p.* 159. ære inciſam exhibitam: non minus ex *ſuperiore Sileſiâ os femoris* giganteum quaſi è terrâ effoſſum mihi ante biennium tranſmiſſum eſt, quod eleganter in ſupremâ & infimâ parte *oſſis femoris* capita æmulatur, non minus quam ſpatia iſta paululum in medio excavata, quæ in naturalibus femoribus propter ſitum muſculorum Natura effecit. Sic anno 1665. 8. Nov. Dn. *Henricus Sturmius* ex Oppolio Urbe Sileſiæ ſuperioris, (ubi *Unicornu foſſile* crebrò reperitur) videndum tranſiniſit os femoris, pro Elephantino oſſe femoris habitum, quod in pago *Plein Schemnis* à Piſcatore cum rete ex Viadro fluv. extractum fuit circa Annum 1632. & Dn. de Proſcoffsky oblatum, cujus pondus fuit librar. X. longitudo unius ulnæ, diameter latitudinis dimidiæ ulnæ circa caput: & in medio oſſe ubi minor latitudo & craſſities, circumferentia quartæ partis ulnæ.

Quod itaque *Natura* in *Lapidibus* tentat, id in *Regno Vegetabili* quoque non rarò obſervatum, eam tam integram Hominis figuram quàm humanas partes æmulantes plantas exhibuiſſe. Exemplum evidens dabit *Rapa monſtroſa* hîc depicta. Archetypum coloribus delineatum ante pluſculos annos à Nobili, in cujus horto ſuccreverat, tranſmiſſum fuerat Generoſo *Comiti Hermanno, Comiti in Gleichen & Hazveld, Dynaſtæ in Trachenberg & Prauſniz, Domino in Blanckenhain, Crottorf, Cranichfeld, &c.* qui pro ſingulari in me favore clementer conceſſit, ut ab Archetypo hoc delineare curarem. Crevit iſta RAPA in horto pagi *Vveiden* anno M. DC. XXVIII. qui pagus binis milliaribus Juliaco diſtat, in itinere verſus Bonnam Electoris Colonienſis ſedem; herba ſeu folia ſuperius enaſcentia crinium ſpeciem in altum ſe erigentium repræſentant, formavit in ſupremâ rapæ parte natura quaſi oculos, naſum, labia; truncus reliquus rapæ, thoracem; radices hinc inde extenſæ & in ſe circumgyratæ brachia & pedes, miro naturæ luſu, nullâ accedente arte, (uti tunc fuit perſcriptum) exhibent, adeoque tota *Rapa fœminam nudam ſedentem, manibus & pedibus flexis* præ ſe fert. *Naturalem* ſimilem *radicem Mandragoræ* deſcribit *Franc. Imperatus in Diſcurſib. Natural. Italicè* 1628. *Neapol. editis diſc. XIV. p.* 76. in Muſeo nominatiſſimo Parentis ſui aſſervatam, quæ *radix brachia bina* cum omnibus membris certâ proportione diſtinctis & circumdatis plurimis parvis & longis radicibus exhibuit, *ad effigiem humanam proximè accedens*, unde & ἀνδρωπόμορφος dicta *Mandragora*. Notum eſt Circumforaneis miris mangoniis interdum Naturæ aliquales conatus per artem adjuvari, & ita ſæpè etiam Prudentibus imponi. Quo modo ex *chelis ſquillæ marinæ* quæ dentatæ, ab uno latere inferiore ſemifalcatæ, & ebore nitidiores lævioreſque *Coronas ſerpentum* alborum efficiunt, & pro iis venditent, vidit in foro Florentiæ venales & ſcribit excell. *Joan. Theod. Schenckius* Prof. in Academia Salana meritiſſimus *in epiſt.* ad me ante aliquot annos data *Gammarolog. inſerta p.* 928. Sic ex *Raja piſce draconem artificioſum* exhibet Muſeum Calceolarii Veronenſis notante *Joan. Fabro Lynceo Expoſit. in hiſtor. mexic. p.* 818. & talem *Baſiliſcum ex Raia* quoque Florentiæ vidit, paulò ante laudatus *D. Schenckius l. a.* Narrat *Barthol. cent. II. hiſt.* 51. Mercatorem quendam Hafniam apportaſſe *Mandragoram* ſub patibulo (uti ajebat) erutam, (nam ex urinâ ſuſpenſi hominis ſub patibulo homunculos tales efformari vulgus credit) cum capite ſphærico, prominentiis quatuor, oculos, naſum & os mentientibus, crinibus oblongis, corpore reliquo oſſibus, muſculis donato, ſed re preſſius examinatâ *Rana exſiccata* & in erectam hominis formam protenſa inventa fuit, cum os ſterni breve & latum promineat in rana, & digiti manuum pedumque qui in rana longiores: decurtati fuerint, unde ſic fraus innotuit. Sic Lycoſthenes prodigiorum Scriptor fraude circumventus, quod *uvas barbatas* naſcentes (quæ 1541. in pago German. Alberſchvviler, non procul à Lindavio oppido, viſæ, primum ad Ludovicum Duc. Bavar. poſt ad Ferdin. R. & Principes Imperii miſſæ *Aldrovand. de monſtris p. 666.*) prodigiis annumeraverit, nam hoc lucri gratiâ factum, & cuſcutæ admixtione peractum fuiſſe refert *Borell. c.* 1. *obſ.* 10. nam hæc in amplam meſſem in uvis ſola appoſitio creſcit. Modum quomodo Circumforanei *Mandragoræ radicem in hominis figuram* efformant, notat *Matthiol. in l. IV. Dioſc. c.* 71. *fol.* 536. inquiens; *In radicibus Arundinum, Bryoniarum* aliarumque plantarum ſculpunt impoſtores adhuc virentibus *tam virorum quam mulierum* formas, infixis hordei & milii granis, iis in locis ubi pilos exoriri volunt; dein factâ ſcrobe tamdiu tenui ſabulo obruunt, quouſque grana radices emittant, quod fit ſpatio 20. dierum. Eruunt eas demum & adnatas è granis radices acutiſſimo cultello ſciniunt, aptantque ita ut capillos, barbam, & cæteros corporis pilos referant. *Mandragoram* tamen antea ex Muſeo *Imperati* recenſitam, *pro verâ*, non fraude hominum ad ulteratâ, *Franc. Imperatus* venditat, & in ea ipsâ forma à Natura productam; omnia quoque membra hujus radicis videntur circumdata cum proprio cortice, & licet exſiccata ſit, attamen tam parvæ quàm longæ ipſius radices firmiter adhærent, & ex propria ipſa planta ſuccreverunt; cum in exſiccatis facilè adulterinæ radices poſſint avelli. Quin & difficile, pronuntiat *idem Imperatus*, arte ita effici poſſe, cum ſi cortex ejus ferro vulneretur tam brachia & alia membra in ſculpendo, quam foramina indendo ut ſemina pro pilis immittantur, abſque dubio per putrefactionem corrumperetur. Si verò quis *objiciat*, ſi iſta radix eo modo naturaliter producta ſit, neceſſarium ut in iſtâ ſpecie aliæ quoque eo modo è terrâ erumperent; Iis reſpondet *Imperatus l. a. p.* 79. Naturam ſæpius in plantis, aut frondes, aut fructus, aut radices monſtroſas exhibere, non aliter ac in hominibus & brutis animalibus, ob varia impedimenta in legitimo curſu. Sic orchides ordinariè binos repræſentant teſticulos, monſtri tamen inſtar; quod interdum duas manus cum digitis imitentur, unde orchis palmata dicitur, quamvis interdum manum cum 5. digitis exactè referat, interdum tamen numerus quinque digitos non attingat, ſed tantum grandiores & longiores ipſius diviſiones. Pari modo *Mandragora hæc binas* habet *radices* cum aliæ tres, Circea non ſolum tres, ſed interdum quatuor; Nardus montanus ſecundum Dioſcoridem duas habet radices, ſæpius tamen videtur plures alere. *Cauſa* iſtius *diverſitatis in Numeris*, *ab Imperato* ſtatuitur, aut defectus humoris alimentarii, aut quod licet ſuperfluus ſit, ſi tamen impediatur ipſius penetratio & dilatatio à terrâ, radices fiunt rariores & pauciores, contra ſi locus aptus, & humor abundans, facile in plures dividitur radices. Unde concludit quod ſi *Mandragora* (pariter & *Rapa noſtra* Belgica) quæ duas habet radices (*Rapa* unam) attribuendum & copiæ majori humoris vegetabilis, & commoditati terræ mollioris ubi provenerit, quæ non impediverit deſcenſum plurium radicum, aut aſcenſum verſus ſuperiora,& inde factum ut plures ramos quaſi brachia ſimul effuderit. Quâ ratione *idem Imperatus* cum *Fabio Columna* vidit *radicem* plantæ *mandragoræ*, quæ non ſolùm monſtravit *effigiem corporis*, *pedum*, *ventris & partium poſteriorum hominis* bene efformatarum, ſed & *brachia ſuperius elevata*, in quorum extremitate flores erant, formam hominis apprimè præſentantes in arborem mutati, eo modo ut pictores depingere ſolent; nihilque ipſi ad completam figuram defuit quàm caput, quod fortè pariter adfuiſſet ſi terra fuiſſet mollior in ſupernâ parte, dum erumperet quæ ulteriores naturæ conatus impediviſſet. De hac *radice mandragoræ* ita *Joan. Faber Lynceus annot. in hiſt. Mexic. f.* 852. Vidi Neapoli *radicem mandragoræ* tripedalem apud quendam Chymicum diſtillatorem, *puellæ imaginem* æquantem, corpore in umbilico extuberante ac etiam in poſterioribus, à quibus femorum & tibiarum modo in acutum deſinebat, ſupernè verò brachiis elatis craſſis in quibus flores emiſit Dryadum & Daphnidum iconem repræſentantem. *Radix bryoniæ albæ* inventa *cum effigie humana* quæ in publico Muſeo Senatûs Bononienſis adhuc ſervatur, *Aldrov. de monſt. f.* 669. Rudimentum quoque integram hominis figuram referens in radicibus *mandragoræ & bryoniæ* conſpici, *idem* aſſerit *f.* 308. *& Kircher. in arte magnet. l.* 10. *p.* 2. *c.* 2. *f.* 806. Dono quoque *Aldrovando radix* data fuit, quæ artificiosè *hominis ſimulachrum* figuravit, quæ ab ipſo depingitur *l. a.* 673. pariter ac ſimulachrum ſerpentis in radice ſerpentiformi & in ramo Ophiphyto, ab *Eodem* exhibetur *f.* 671. 672. Imprimis *radices orchides* mira ludentis naturæ offerunt ſimulachra, nam aliæ in floribus avis (unde *orchis ornithomorpha*) aliæ Cercopitheci, vel delphini figuram, aliæ apis, veſpæ, muſcæ, papilionis, culicis, cimicis, locuſtæ &c. effigiem præſe ferunt. *Kirch. Mund. ſubterr. l.* 12. *ſ.* 2. *c.* 3. *f.* 348. qui ibidem & *Orchides anthropomorphas* eſſe declarat, ut vix in corpore humano membrum quod non quantum potuit, exprimere fuerit conata, imò *in floribus* integram *humani corporis ſtructuram* ſub utriuſque ſexu, architectata fuit, quos exhibet quaſi homunculos frondium extremitatibus appenſos depictos *in arte magna l. a. f.* 806. Miram reddere cauſam conatur *Kircher. Mund. ſubterr. l.* 12. *ſ.* 1. *c.* 9. *f.* 319. *Satyri anthropomorphi*, nimirum ſemina animalium terræ ſuperfuſa tempore coitus, unde natura in terra ſive animali, ſive homini aliquid analogum efformet, quoad membra, cum facultate ſemini propriâ, ad venerem ſcilicet excitativa. Unde ſi equinum ſemen decidat, ſimilem figuram naſci eis inſectis, quæ ex equo naſcuntur, veſpæ ſcilicet figuræ æmulam, ſi bovillum ſperma non bovis, ſed apis ex bobus orti producat.

Tandem cum *omnes plantæ* variis formis à Naturâ productæ ex quibus *quædam* humores, *quædam* animalîa bruta, *quædam* morbos ipſos, *quædam hominis partes* repræſentent, ex quarum *Signaturis* & analogia Phyſici Hermetici vires herbarum deducere conatur, præter Croll. de ſignatur. *Henricum Nollium* in Phyſicâ Hetmericâ, *I. P. Portam* in phythognom. *Marci Frider. Roſencreuſers* anatomiam & Phyſiognomiam Simplicium, *Ioan. Francum* de ſignatur. plantarum; *Zimaram* in Antro magico-medico, conſuli poterit de *ſignaturis herbarum* ad res animatas & inanimatas *Fabius Colomna in expoſ. hiſtor. mexic. f.* 852. 853. de ſignaturis in floribus *ibid. f.* 88. in fructibus *f.* 857. & in ſeminibus *f.* 859. Quæ plantæ igitur partes hominis repræſentant, experientiâ teſte, eæ probant iis partibus hominis maximè eſſe ſalutares. Plura *de plantis monſtroſis* ſingulari tractatu eruditiſſimo ſectionibus tribus conſtante propediem edendo curioſum Lectorem ſatiabit *Lic. Chriſtian. Frider. Germannus Phyſicus Chemnicenſis in Miſnia & Academiæ Curioſ. membrum nobiliſſimum*, ubi *in ſect.* 1. de Singularibus in plantis circa ſexum, tranſmutationem, circa monſtra in Regno vegetabili, monſtrorum cauſas efficientes, & quod arte ſimul quam caſu fiant, tractabit; *in ſect.* 2. recenſebit varios naturæ luſus, plantas in plantis, viſcum, fungos & alias excreſcentias arborum, animalia in arboribus creſcentia, agnum Scythiæ Botamez, inſecta vegetabilium, homines arboreos, plantas ſubterraneas & petrefactas. *Sectio* denique *tertia* plantas in homine, ſignaturas, plantas pictas & inſcriptas recenſebit.

◆

OBSERV. XLIX. CHIRURGICA.

D. FRIDERICI FERDINANDI ILLMER à Wartemberg.

FOETUS MORTVI IN DIFFICILI PARTV feliciſſima extractio.

Vid. Tab. VI.

VIri cujuſdam litterati in Urbe Viennenſi caſtiſſima Conjux, Mulier virtutum ſatellitio ſtipata, fortis & generoſa, devenit ad partum difficillimum & p. n. fœtus quaſi duplicatus reclinato capite ſurſum, foras porrexit brachium, quod licet ab Obſtetrice reponeretur ſæpius, tamen uſque redibat: omnes denique modi adhibiti, quibus fœtus ad ſitum naturalem debitum & convenientem pro partu poſſet reduci, ſed fruſtra omnia; ſuffocatus tandem eſt in utero, cum dium hoc ſitu vivere ſit impoſſibile. Prævidendo ergo periculum, jubebam ut baptizaretur, antequam moreretur, ſecundum brachium, more noſtro. Interim ante extinctionem vitalis auræ mater urgebatur enormibus doloribus, qui ſine ulla ceſſatione incrementum ſumendo, poſt mortem fœtus miſeram & afflictam adeo tormentarunt, ut clamor ejus per longa ſpatia exaudiretur, tandem caligabant oculi, vox rauca & clamoſa per intervalla, lamentationes & ejulationes infinitæ audiebantur, quæ ſi non pectus humanum, certè ſaxum commovere poterant. Ego in hac perturbatione (quia fœtus partim magnitudine ſuâ, partim tumefactione omnium membrorum ob conceptam ebullitionem humorum in fœtu, uteri latera inſtar alicujus robuſtiſſimi pali infixi ampliſſimè diſtenderat) quid facerem aliud non ſciebam, quam ut ſuaderem extractionem fœtus per manus artificis & inſtrumenta: hîc enim omne genus medicamentorum, & modi fœtum pellendi cogniti in caſſum adhibebantur. Erat apud nos inauditum ſimile à ſæculo, licet in Gallia nulla mulier horreat hoc remedii genus. Maximè reſiſtebant fœminæ. Verum annuente mihi viro Nobili & Magnifico D. Paulo de Sorbait Profeſſore Primario in Univerſitate Viennenſi & aſſiſtente Chirurgo Vvenceſlao, viro probo & in Arte ſua peritiſſimo, ipſaque parturiente conſenſum ſubito præbente, *applicui fœtui uncos* in adjunctâ ſcheda delineatos. Brachio propendente, me alias in operatione impedituro, prius per novaculam reſecto, fœtum in tres partes diſrupi, & ita ſine ullâ læſione uteri ac matris eum maſculum, unà cum ſecundinis extraxi, Matremque ab inſtantiſſimâ morte, ſic auxiliante Deo, liberavi. Quo peracto gaudia & jubila in domo, admiratio vero in Urbe & vicinia. Eadem mulier ſequenti anno imprægnata, ad idem infortunium redacta, eodem modo adjuta, extracto fœtu fœmello, tertio anno rurſus uterum gerens feliciter & citò filiolum generoſum viventem adhuc & vivaciſſimum enixa eſt. Cauſa tam infelicis partus videbatur eſſe ingens copia humorum in & circa uterum ex lautiori victu, & optima viſcerum conſtitutione collectorum, propter quos fœtus debito modo ſeſe vertere non poterat, ſicque ſuffocari debebat. Unde cum geſtaret ultimò filiolum in toto hoc tempore, etſi contra Hippocrat. oracula aphoriſtica videretur agi, quater exhibui dragm. ſem. pulv. jalup. cum tremor. Tartar & ecce extracta eſt cacochymia ſeroſa in copia, ſicque illam ad partum felicem diſpoſui. *Notandum* quod *unci* debeant eſſe obtuſi, ne lædant uterum caſu quo inter operandum in ejus latera irruant; hinc unci catenati, quos in ſuo Armamentario Chirurgico depingit Scultetus, uti & Pareus f. 683. quia nimis acuti ſunt nobis diſplicent. Hoc exemplo excitatæ & animatæ mulieres in hâc tota Urbe hoc remedii genus non amplius horrent. Juvi ego poſtea plurimas in hâc miſeria conſtitutas, tametſi non ſemper eodem modo: aliquas enim inverti, aliquas exhibitis pulveribus appropriatis, aliquas imponendo in Balneum althæatum, exhibendo pulveres cephalicos, analogos illi quem Langius deſcribit in Miſcellan. Curioſis, paragraph. 32

Quam Langii doctrinam eo loci reperi in his caſibus eſſe veriſſimam & meis experientiis continuo reſpondentem, aliquas etiam ſine unco, intrudendo manum ad uterum & apprehendendo infantis manus, vel pedes vel caput, ligulam iis imponendo ſicque extrahendo, adeo quidam feliciter, ut nunc aliquot Chirurgi à me hic ſint inſtructi, qui dexterrimè cum plurimarum ſalute, & ſine uncis hæc Lucinæ ſacra peragant. Heroina ergo dicenda hæc mulier, quæ pudore ruſtico depoſito, genuinum pudorem non exuit, ſed exemplo ſuo plurimis occaſio fuit, ut Hygiiæ efficaciam, Medicinæ Excellentiam, Neceſſitatem, Jucunditatem, Gloriam & Admirationem ſuis in corporibus experirentur, vitæque integritate fruerentur. Virtus numquam ſola eſt, ſed adeò fœcunda, ut plures etiam diverſæ ſpeciei ſoboles procreet. Hæc in fœmina hac ſemper talis apparuit, quæ non una virtute munita, verum plurimarum ſatellitio condecorata, omnibus eſt in admiratione, & commendatione. Effigiem Uncorum & ſchema fœtuum duorum in ſuo ſitu p. n. tranſmitto.

[*D. Illmer e Viennâ Litt. ad D. Sachſium Uratiſlaviam.*]

OBSERVATIO L. PATHOLOG.

D. THOMÆ BARTHOLINI.

SANGUIS VERMINOSUS.

V*Erminantem Sanguinem* in quodam ægro nuper extraxit Chirurgus noſter ex ſectâ venâ, quod etiam alii viderunt Authores, ex ſanguinis putredine, forſan ex aſſumptis vermiculis quoque in alimento, vel illorum ſeminio. [*D. Bartholinus in Litt. ad D. Sachſium.*]

SCHOLION.

Plurimas res *vermibus* ſcatere, qui beneficio *Microſcopii* detegantur, ſupra *obſ.* 13. enumeratum fuit. Certo refertur, inquit *Borell. obſ. Microſ.* 3. *in ſanguine febricitantium vermes* reperiri, & non ſemel legi hiſtorias de *vermibus per vulnera venarum* elapſis. Quod Borellus aliorum authoritate loquitur, id alii propriâ confirmant. Arte microſcopica ſe inveniſſe ſanguinem malignè febricitantium minutiſſimis ſcatere vermibus, atteſtatur *Petrus à Caſtro in de Febr. petech. ſ.* 1. §. 15. non minus quam *Kircher. in Arte Magna Luc. lib.* 10. *p.* 2. *c.* 8. §. 5. *f.* 834. *& in Mund. ſubt. lib.* 12. *ſ.* 1. *c.* 10. *f.* 370. Interdum iſti *vermes majores ſunt*, ut abſque oculari hoc inſtrumenro cernantur, quales vidit *Riolan. in Enchirid. Anat. & Pathol. lib.* 2. *c.* 17. ſectâ vena effluxiſſe, & qui intra venas geniti in dextram Auriculam Cordis confluentes, cor eroſerint. *Idem. ibid.* Talem *vermem ex vena* egreſſum *Zacut. l.* 3. *Prax. obſ.* 95. vidit, & inſecta balæniformia in ſanguine, *Borell. Cent. III. obſ. Phyſ.* 4. in vena Emulgente ſiniſtra *Prævotius*, in vena cavæ deſcendentis trunco vermes *Spigelius*, notante *Joan. Rhodio Cent. II. obſ.* 61. 62. Dn. *de Beveron* Locum tenenti Regio in Normania anno 1658. *ſecta vena Vermem ex vena* ſpithamæ longitudine eductum fuiſſe, ægroto intra triduum ſuccumbente, jam commemoravi *in Oceano Macro. Microſm.* §. 139.

Magis adhuc admirationem meretur Narratio *Joan. Fabri Lyncei Not. in Recchum fol.* 610. qui in Bove invenit *in ductibus* illis *Bilem ad ſuam veſiculam* vehentibus *Animalcula* quædam plana, circularia, magnitudine & figura Ulmi florem referentia, coloris liveſcentis, craſſitie Unguis ſubſtantiam æquantia: hæc ex circumferentia ad centrum ſe contraxerunt, in quibus nec cauda, nec caput apparuit manifeſtum, contracta ita manſerunt duplo quidem craſſiora, ſed ſimul tamen minora ac reſtrictiva facta, Italis Lanionibus vocantur *Biſcoli.* Miratur *Faber. l. a. f.* 611. quod in aliis hepatis venis, ubi ſanguis dulcior, nulla alia animalcula in hoc bove reperta, ſed *ſub ipſa veſicula*, ad ipſius cervicem, quo pertingit internus quidam ductus, tam copioſa viſa, ut pulicum inſtar ſuam ibi ſobolem produxerint, aluerint, quinquagenarium numerum exceſſerint (ex majoribus autem viventibus & ſeſe moventibus vermiculis ſeptem pluresve numerati:) Miratur, *inquam* quod non obſtante amaritudine ibi vixerint, cum ex Gal. ſententia de ſimpl. medic. facult. amarus ſapor omnibus viventibus ſit adeo inimicus atque contrarius, ut in Lacu Aſphaltite ob ejus aquæ amaritiem nec animalia nec plantæ vivere velint. In *Hominis veſica felleâ* quoque invenit Duſſeldorpi vermes *D. Galenus Wierus* Juliac. Princip. Archiater & *Hildano* narravit *Cent. I. obſ.* 60. Quin & in ipſo *Hepate ejuſque ſanguine vermes* inveniri notavit ipſe *Barthol. in Anat. Reform. l.* 1. *c.* 14. *p.* 86. quos ſub nomine Hirudinum in nuncupati viſceris anfractibus in ovibus & bobus reperiri expertus eſt *D. Aug. Hauptman in de viv. mort, Imag. p.* 201. & in canis hepate vidit *D. Tardin* Medicus Turnonius apud

Borell. Cent. III. obſ. 33. *Hominis Epar* & reliqua *parenchymata* obſervavit *Keckringius obſ.* 93. *p.* 178. per inſtrumentum microſcopicum, quod habuit *à Benedicto Spinoſa* inſigni Mathematico, *infinitis* ſcatere *animalculis minutiſſimis*, quæ an perpetuo motu ſuo ea corrumpant, an conſervent, cenſet dubium videri poſſe ei, qui conſideret domum dum incolitur nitere & ſplendeſcere, eumdem tamen atteri continua inhabitantium culturâ.

Denique cum *vermes* in *ipſo Sanguine* hæreant, non mirum ſi interdum *vermiculi* cum *Urina* excernantur, ſero ex ſanguine ad renes derivato, quales *in Scorbutico* Regiomonti Exc. *D. Chriſtoph. Tinctorius* Archiater Brandemburg. vidit *vivos* cum Urina emictos, nigricantes forma ſcorpionis, ſed minore magnitudine, triduum viventes: apud *Bartholin. Cent. IV. hiſt.* 72. In Urinis *Lue venerea* infectorum notavit *Balduin. Ronſſeus epiſt.* 10. *p.* 42. & plura exempla ex variis Authoribus adducit *de vermibus & Lumbricis per Urinam excretis Rhod. Cent. III. obſ.* 35. 36. Ipſemet dum hæc ſcribo, Cachecticum quendam nunc ſcirrho Lienis, olim gonorrhæa laborantem curæ meæ commiſſum habeo, qui jam ab aliquot diebus *vermes vivos* cum *Urina* vidit eductos, prima die quinque, alterâ tres; poſt aliquot dies ſaltem unum, colore albos, figura lumbricos, minutos, æmulantes, an adhuc plures ſint prodituri, tempus docebit.

[*D. Philip. Jacob.* Sachs *à Levvenheim.*]

OBSERVATIO LI. PATHOLOG.

D. THOMÆ BARTHOLINI.

HEMICRANIA PERIODICA.

H*Emicraniam periodicam* nuperrimis diebus in viro Illuſtriſſimo obſervavi planè ſingularem. Recurrit ea quotidie certa hora, ſeptima nempe matutina, paulatim increſcendo & decreſcendo ad horam duodecimam, tum nullo prorſus ſenſu ejus relicto. Occupat vero externam tantum frontis partem ſupra dextri oculi orbitam. Venæ ſectio juvit & compreſſio iſtius partis. Cauſa hujus periodi eſſet divinanda. Forſan vel ſanguis vel lympha per Circulationem ea hora recurrens ad locum hunc quocumque vitio debilem, vellicat acrimonia ſua pericranium. Aliæ Tuſſes Epidemicæ & Pleuritides hac æſtate Anno 1669. graſſabantur, non paucis lethales, quas ſecta vena plerumque jugulavit.

[*D. Barthol. è Hafnia Litt. ad D. Sachſium.*

OBSERVATIO LII. THERAPEUT.

D. THOMÆ BARTHOLINI.

NATURÆ ROBUR IN GRAVIDA.

MIrum Naturæ robur eluxit in geminis Gravidis in Noſocomio Lue venerea laborantibus, quæ fœtus ſuos ſalvos ſanoſque enixæ ſunt, quanquam à Chirurgo neſcio eas prægnantes eſſe, per ☿ m ᴗ̄ ſæpe & copiosè ſuerint curatæ.

[*D. Th. Barthol. in Litt. ad D. Sachſium.*]

SCHOLION.

Quod hic Chirurgi ex inſcitia interno medicamento tentarunt, ferè idem *Fabric. Hildan.* data opera & conſilio *Nicol. Maſſæ* fecit, quando Prægnantem inunxit Mercurio, ſicque feliciter una fidelia, ut loquitur, tres dealbavit parietes, videlicet matrem, & lactantem infantem curando, ac fœtum nondum editum ab hâc Lue præſervando. *Conf. Cent. IV. obſ.* 97. *pag.* 494. Admirando vero ſanè *robore Naturam* aliquando *in Gravidis* ſtructas ſibi morborum inſidias etiam virulentas reprimere, vel unica ſequens confirmare poteſt hiſtoria, quam cum Angelio Colia Senenſi Philoſopho in Noſocomio S. Spiritus Romæ obſervavit *Ioan. Faber. Lynceus Expoſit. in Nardum Recchum f.* 493. Gravida à cane rabida demorſa, morientibus paulo poſt omnibus reliquis, ſola quinquaginta quinque dies nihil ſenſit, poſt hoc tempus ſalva peperit filiam; poſt duos vero à partu dies, in ea omnia ſymptomata incidit, quæ cæteri demorſi pati ſoliti fuerant, & tertia die obiit.

[*D. Henric. Vollgnad.*]

OBSERVATIO LIII. PATHOLOG.

D. VALENTINI ANDREÆ MOELLENBROCCII.

VARIOLÆ FOETUS IN UTERO.

V*Ariolas* imprimis Infantibus moleſtas eſſe & infeſtas, notiſſimum, obſervatum etiam eſt & adultos ab iis infici, quod hic Halis Saxonum per elapſum triennium, quo imprimis verno & autumnali tempore graſſatæ ſunt, non rarum fuit, idque etiam *D. Th. Barthol. vir* de Rep. medica optimè meritus anno 1656. in Dania accidiſſe *Cont. IV. hiſt.* 50. refert, imo nec fœtum in utero ab iis immunem eſſe, Foreſt. l. 5. obſ. 44. p. 196. & jam laudatus *Barthol.*

aſſerunt, quod & ego ante biennium obſervavi. Generoſi cujuſdam viri Uxor cum ante *variolis* laboraſſet, *filiam* peperit *veſtigiis variolarum* conſpicuam, unde liquet ipſam adhuc in utero materno ſimul cum matre variolis affectam fuiſſe.

[*D. Mœllembroc. in Litt. ex Halis Saxon. ad D. Sachſium.*]

Confer noſtram *obſ.* 42. *ſupra.* & *Kerckring. obſ.* 57. *ubi fœtui* ſanguis & oſſa flavo colore tincta ex Ictero matris.

OBSERVATIO LIV. THERAPEUT.

Dn. VALENTINI ANDREÆ MOELLEMBROCCI.

HYPERCATHARSIS A MEDICAMENTIS MERCURIALIBUS.

NUper ad Ægrotum quendam vocatus invenio ipſum admodum debilem & morti vicinum. Hic ab Agyrta aliquo pulverem acceperat à quo ſexagies ſeceſſit, & decies vomuit, tandem etiam cruenta excrevit, moleſtiſſimuſque teneſmus ſecutus eſt, ex quibus & febre ſuperveniente, inſigni virium dejectione, anxietate cordis, ſalivatione nimia, torminibus ventris, & doſi parva pulverem iſtum Mercurialem fuiſſe conjeci. Hunc ægrotum, Deo (cui ſit laus) auxiliante, exhibitis remediis convenientibus, præprimis vero Tinctura Theriacali, intra quinque dies ex orci faucibus eripui. Similem hypercatharſin non ſine vitæ periculo perpeſſæ ſunt hîc mulieres duæ honeſtæ ex uſu Azot notiſſimi Empirici Heſlingii; & ante paucos menſes Secretarius quidam aliàs δεξςακιν hoc medicamentum plurimis admodum commendans, qui eo aſſumpto maximos cruciatus & brevi mortem ſibi conſcivit, nihil proficientibus à Medico Ordinario efficacibus etiam remediis exhibitis. De hoc Azot brevibus quidem in tract. meo de varis ſive Arthritide vaga ſcorbuticâ aliquid monui, ſed in altera ejus Editione (quam quia prior multis mendis & craſſis vitiis Typographicis ſcatet, atque exceptis paucis exemplaribus diſtracta, plurimum variis & rariſſimis medicamentis & obſervationibus auxi) fuſius de εο σύν θεῷ acturus ſum.

[*D. Mœllembrocc. è Halis Saxon. ad D. Sachſium.*]

* * *

OBSERVATIO LV. ANATOMICA.

D. JOAN. GEORGII GREISELI.

ANATOME MONSTRI GEMELLORUM HUMANORUM.

Vid. Tab. VI.

MEnſe Martio anno 1664. peperit Mulier quædam hic Viennæ gemellas concretas mortuas, quarum à me apertarum corporis conſtitutio hæc fuit inventa. *Capita* habebat duo, ſed in unum concreta, tamen *Cranio* interdiſtincta, omniaque capitis organa duplicia fuerunt, ſic duplices ventriculi, omnes membranæ, venæ & arteriæ duplices, duplices nervorum origines, duæ *Linguæ*, duo *Ora*, quatuor *oculi*, duplex concretus *naſus*, exceptis *Auribus*, quæ binæ tantum erant, *Brachia* duo, *collum*, *thorax* pectus, eorumque organa omnia fuerunt ſimplicia, ſed craſſiora, longiora ſolito & majora: *Cor* quoque unicum, ſed & hoc conſueto majus. *Ventriculus* erat unus, unà cum Inteſtinis tenuibus: *corpus totum* erat *continuum uſque ad regionem Lumbarem*, ubi ſe dividebat in duo faciebatque ex uno ramo *duas ſpinas dorſi*, quæ aliâ quaſi ſpuriâ ſpinâ, ut fulcro fulcitæ & inter ſe extenſæ tenebantur. In diviſione hujus corporis ſe quoque organa denuo multiplicabant, erantque inteſtina craſſa duplicia, cum duabus ſeparatis & diſtinctis alvis; præterea reperiebantur 4. *Renes*, *duo Uteri*, cum omnibus requiſitis bene perfectis, *duæ veſicæ & pedes quatuor.* Hoc corpus balſamavi, & adhuc balſamatum apud quendam Magnatem reſervatur.

[*D. Greiſel. Viennæ communicavit D. Jung, à quo Vratiſlav. ad D. Sachſium.*]

OBSERVATIO LVI. ANATOMICA.

D. JOAN. GEORGII GREISELII.

REN SVCCENTVRIATVS MONSTROSVS, CVM VLCERE.

NObilis quidam 45. annorum temperamenti ſanguineo-bilioſi, poſt diuturnam Colicam, eamque contumaciſſimam, generoſiſſimaque remedia reſpuentem mortuus, à me apertus fuit, ubi Inteſtini Coli exteriorem tunicam abſumptam, & quaſi ſphacelatam inveni; ex illa nempe parte quâ Reni ſiniſtro adjacebat. *Ren* vero *ſiniſter* tantus erat, ut figuram Lienis deſtruxerit, qui multis tunicis & membranis involutus erat, quibus reſectis Ren verus in debita figura & ſitu inventus fuit: *Ren* vero *ſuccenturiatus tantus* erat, ut totam illam quaſi regionem à Diaphragmate (quod una cum Liene ex illa parte elevaverat altius) uſque ad muſculum Pſoas deorſum occupaverit. In hoc Rene ſuccenturiato erat Ulcus, ita quidem apertum, ut integro pugno tranſitus pateret. Materia ex hoc Ulcere rupto effluxa, erat Aqua rubra ac ſi bolo armeno tincta fuiſſet ad libras XII. quaſi, intus vero adhuc hærens erat denſa & glutinoſa valdè, fuliginemque redolebat ad inſtar carbonum terræ cum ſummâ nanſea & horrore. Hæc maſſa ſive materia jam dum effluxa, & particula abrupta ponderabat libras 2. uncias iij. Notandum ei quoque eſt, quod Nobili huic jam dum filii eodem putatitio Colico morbo mortui fuerint.

OBSERVATIO LVII. THERAPEUT.

DN. JOACHIMI GEORGII ELSNERI.

VINCETOXICUM SCROFULARUM remedium.

UBi Virus, ibi etiam Virtus. Surgenti Napello, adſtare antidotum Anthora videtur. Tarantulæ venenum, interempto animali extinguitur. Caro venenatarum beſtiarum contuſa & vulneri admota, venenum ſuum quod Corpori immiſit ob Sympathiam, quam cum eo habet, ad ſe trahit: Simile quippe attrahit ſimile. Serpens venenoſiſſimus, quem Kircherus pileatum vocat, lapidem alexipharmacum Capiti à Natura inditum habet. Ex Mercurio Chimici ſingulare remedium, & quaſi Panacæam præparant. Arſenicum ipſum ſuo in centro proprium abſcondit antidotum. Bufones qui alias Spumam venenoſam ſpumant, exſiccati, bubonibus aliiſque venenoſis apoſtematibus ſummo cum ſucceſſu applicantur; imo applicantur in omnibus febribus malignis, glandulis ſub axillis & in Inguine inunctis oleo Magni Ducis Hetruriæ contra venena, qua inunctione vis magnetica illorum in extrahendo veneno augetur, & ſic multi Umbris erepti fuere. Animalia quæ ex Spelunca mortifera in Agro Puteolano vix ſpiritum trahentia extrahuntur, immerſa lacui vicino, qui Italis Lago Agnano dicitur, vitali auræ reſtituta recreantur. Et quis non miretur inſitam Virtutem Hyiuccæ canadanæ quæ in ſe & venenum, & medicamentum & alimentum mortalibus ſubminiſtrat? Nec minus Natura provida fuit in procreatione plantarum iſtarum Regionum, quæ morbis vexantur endemiis. Incolæ qui miſeram ſub umbris ſeptentrionalibus vitam ducunt, vexati à Scorbuto; illorum prata rident antidoto, ubique enim locorum Cochlearia cum aliis antiſcorbuticis ſuperbit, unde miſeri habeant, quo ſolamen quærant. Lues venerea, vernaculum & peculiare occidentalibus Indis malum, & tale Guajacum apud illos, iſti morbo remedium præſentaneum.

Hinc Hiſpanus quidam morbo gallico infectus ejus curatione incognita exiſtente, inde mali remedium petendum arbitratus, ubi natales mali fuiſſent, in Americam navigans, Guajaci decoctum bibendo, curatus eſt, novique medicamenti planè divini inventor fuit, ut refert Petrus Ciera tomo II. rer. Indicar. Cap. XXIX. Non minori Fortuna me judice donati ſunt à benigna Natura Incolæ Carinthiæ & Styriæ. Cum omnes ferè à Scrofulis vexentur, ſummum Numen ipſis remedium procreavit; quod ſumma cum admiratione dum ex Italia Viennam tenderem, Vincetoxicum album maxima in quantitate omnibus in locis vidi luxuriare; quam plantam tam copioſè ut maximè neceſſariam genio loci, Naturam produxiſſe quis eſt qui dubitet? Deus quippe & Natura nihil fruſtra agunt. Hinc judicioſè concludebam, Illis qui Scrofulis afficiuntur appropriatum eſſe remedium, quia mihi notum erat, decoctum hujus radicis à multis magni nominis practicis pro ſingulari remedio æſtimatum fuiſſe pro curanda Hydrope incipiente; & non abs re. Iſtius enim radicis Eſſentia in volatilitate mercuriali quadam conſiſtit, & inde maxima penetrandi vi prædita eſt, ſuaque ſubtilitate lympham incraſſatam attenuat, ut illa per glandulas in quibus antea ſua viſcoſitate obſtructionem cauſaverat commodè tranſcolari poſſit, & ad priſtinum redire motum, quo enim impedito, lympha remanet in vaſis ſibi accomodatis, quæ à nimia copia nimium diſtendit, tractu vero temporis ab acrimonia quam mora iſta concipit, quia Salia in iſta latentia invicem agunt, & in iſta actione exaltatur magis illorum acrimonia, quæ poſtea vi ſua cauſtica erodit vaſorum lymphaticorum tenues alias membranulas, quibus eroſis copioſè aqua Abdomini influit, & ita fontem hujus mali producit.

Et ſi hanc ob cauſam Hydropi conducit, cur non etiam Scrofulis? Scrofula enim, uti Hydrops glandularum abdominis, hæ glandularum colli affectus & obſtructio ſunt. Lympha enim craſſa in glandulis conglomeratis colli, hodiè ſalivalibus dictis, ob craſſitiem ſuam moram ducens & tranſcolari nequiens, unde illarum glandularum primo durities poſteà ſenſim accreſcens pertinaxque tumor originem ducit. Quis tamen hic inſtare poſſet; hydropem eſſe affectum glandularum conglobatarum, Scrofulas vero conglomeratarum, & notum eſſe hodierna accurata inſpectione anatomica officium conglomeratorum planè diverſum eſſe à conglobatis, uti videre eſt in Hepate, cujus glandulæ ad ſeparationem & tranſcolationem bilis inſerviunt, pancreatis vero glandulæ ad ſuccum pancreaticum, ſic glandulæ ſalivales ad Salivam.

Sed, licet videamus revera uſum planè illarum glandularum diverſum eſſe, aſt lympha & ſaliva vix ac ne vix admittit differentiam, ſi utraſque lapide Chimiæ lydio probaveris. Et quod magis; in iſtis qui Scrofulis laborant non ſolum glandulæ iſtæ dictæ ſalivales afficiuntur, ſed & interdum conglobatæ internæ, uti videre eſt ex Obſervatione annotata à Paul. Barbetto in ſua Praxi l. 2. cap. 2. Qui aperto virginis cadavere, quæ pluribus ſcrofulis in vita vexata fuerat, reperit mille ultra glandulas minores, majoreſve à faucibus ad os pubis uſque; quæ ejuſdem fuere coloris, flavi ſcilicet, cum apertis in collo Scrofulis. Addo; quod non una vice obſervavi, glandulam majorem meſenterii, quæ Pancreas Aſellii vocatur, plerumque affectam eſſe in illis, qui à Scrofulis cruciantur; Illam enim juſto majorem & duriorem inveni, quam alias eſſe ſolet in ſtatu naturali.

Huic rationi Experientia videtur adjicere calculum. Nam dum admirarer divinam Clementiam in procreatione hujus plantæ, fæmina quædam nobis obviam veniebat, quæ magnam copiam Vincetoxici collectam tenebat, ex qua avidè expectabam, quam ob cauſam & ad qualem uſum illam collegiſſet, quæ pro reſponſo mihi dabat ſuarum ſuum gratia hoc feciſſe, qui glandulosi (vulgariter *ſo die Druſen hatten*) quam maximè in iſta regione cum eſſent, iſtum affectum impedire decoctum hujus plantæ quod quotidiè ipſis daret. Quod reſponſum meam conceptam opinionem confirmabat, & hinc ex illa petebam cur non ſibimetipſa conſuleret ſumendo decoctum hujus herbæ; quod, ſi à longo tempore feciſſet, forſan non tam multis exornata foret ſcrofulis. Nam ſi decoctum hujus plantæ ſuibus conveniret, cur non etiam ſibi, in quo mihi etiam favere videbatur etymologia nominis; quod à ſcrofis i. e. porcis Scrofulæ dictæ eſſent. Ad quod conſilium illa ridendo reſpondebat, decus & ornamentum ipſius eſſe Scrofulam, quæ multis minoribus concomitata & quaſi gravida de collo ipſius ſuſpendebat, hinc non opus ipſi eſſe medicamento; hiſque dimittere ſcrofam cum ſuis ſcrofulis, & ſic cognovi quod quemadmodum vitia non raro tractu temporis conceſſa abeunt in virtutes, ſic quoque deformitates conſuetudine ornamenti loco à multis reputantur. Interim tamen concludebam motus à ſuperioribus recenſitis rationibus: Quod planta iſta ſummo jure poſſit annumerari ſimplicibus, quæ faciunt ad curationem hujus affectus, & hinc jure appropriatum vincetoxicum poſſe dici Scrofularum remedium.

OBSERVATIO LVIII. PATHOLOG.

D. HALARDI HERMANNI CUMMII.

APOPLEXIA LETHALIS EX SCABIE retropulſa.

NOtus mihi Paſtor quidam Eccleſiæ, qui cum ſcabiem ſiccam topicis curare vellet corpore non præparato, ſub noctem, quarta circiter ab inunctione hora, Apoplexia corripiebatur, & intra horam moriebatur.

[*ad Dn. Joach. Georg. Elsnerum.*]

* * *

OBSERVATIO LIX. PATHOLOGICA.

D. ALHARDI HERMANNI CUMMII.

DOLOR MESENTERII TREMULUS IN PARALISIN manuum deſinens.

ANno 1667. Hannoveræ ſub cura habebam virginem 18. annorum, quæ Menſium obſtructione & ſimul dolore Meſenterii tremulo & convulſivo laborabat. Hic deſinebat in paralyſin manuum facilè curabilem.

[*ad D. Joach. Georg. Elsnerum.*]

OBSERVATIO LX. ANATOMICA.

D. JOHAN. FERDINANDI HERTODII.

FOETUS CROCO IN UTERO TINCTUS.

MAgnum & admiratione dignum dicere viſus eſt *Amatus Luſitanus*, ubi *curat. Med. cent.* 5. *f. m.* 71. refert mulierem quandam ab epoto medicamento, cui Crocus admixtus eſſet, duas puellas ab extra coloris lutei peperiſſe: & hanc coloris cauſam ipſi Croco attribuit; ſigno deſumpto, quod color loturâ aquæ diſparuerit. Hanc Amati aſſertionem uti dubiam, datâ occaſione commodâ, præſente anno & quidem quadreſimali tempere ad Veritatis incudem devolvi. Occupatus quippe eram in Anatomiâ publicâ Corporis fœminei, ob crimen capite mulctati; & feliciter ad finem perducta omnium partium præparatione & explicatione, experimentum cum croco in cane inſtituere decrevi; quod & felici cum ſucceſſu effeci in præſentia Illuſtriſſ. D. D. S. Rom. Imp. Comitis Philippi Chriſtophori à Liechtenſtain, &c. & Illuſtriſs. D. D. Joannis Antonii Lib. Bar. de Queſtenberg. &c. Inclyt. Senatus Brunenſis, aliorumque D. D. Spectatorum, id ipſum ſumma cum admiratione intuentium. Copia experimenti ſequens eſt. Sumpſi canem fœminam trium vel quatuor ſeptimanarum gravidam, cui toto geſtationis tempore tam cibum quam potum Croco tinctum exhibui, donec octo forſan dies ad partum ſupereſſent, ubi ultimis tribus diebus, etiam ad Dragm. ij. & iij. Croci, juſculis addidi. Canis etſi in principio ſperneret alimenta Croco condita, fame tamen plus urgente poſtea ea alacrius ſumpſit. Demum ſectâ hujus canis tota abdominis regione, ut & ipſo utero ad placentas uſque, iiſque demum etiam diſſectis, ſumpſi colliquamentum quod non exiguo colore croceo tinctum videbatur, ſcutellæ impoſui, & igni ad concretionem admoveri præcepi. Interim jucundo viſu contemplandi erant catelli, de nigro ad albedinem variegati coloris, hinc inde ſe ſe volutantes, in quibus albidiores cutis particulæ plenariè croceo colore tinctæ fuerant. Quo experimento conſtabat veram eſſe Amati Luſitani ſententiam, Crocum etiam in utero fœtum tingere; hancque ob rationem eumdem tanquam ſingulare & ſpecificum medicamentum adhiberi poſſe ad pellendum fœtum, & menſtrua retenta. Sed quod mirandum; chylus in vaſis lacteis albicans erat. Quo modo verò jam chylus albicans nec Croco tinctus in vaſis lacteis per meſenterium diſperſis ſe viſui obtulerit, & tamen tinctura donatus, nec ea ſpoliatus fuerit, altioris eſt indaginis.

Niſi dicere velimus ſubtiliſſimas Croci particulas, in quibus potior tinctura conſiſtit, relictis reliquis chyloſis craſſioribus, iiſque valedicendo anheloſa Cordis attractione per ductum thoracicum furibundè Cor petiiſſe, cum iiſdem ſummè Cor delectetur. Quod vero eadem tinctura nec in ſanguine viſa fuerit, credendum propter ſaturatam & intenſam tincturæ quam poſſidet rubedinem in ſanguine, ceu quem potius exaltat, adverti non potuiſſe; pollet enim Crocus tinctura Sanguinea, & abundat multo ſulphure fixo, atque ideo etiam ob poros ejuſdem valdè conſtrictos & coarctatos difficulter coloris ſui reſolutionem patitur, nec ſulphure ſuffumigatus colorem perdit; fortè quia planta ſolaris eſt, & Soli metallorum ſulphur tincturam addat, ubi contra alia vegetabilia poros valdè laxos habentia etiam à radiis ſolaribus, facilè diſparente eorumdem tincturâ, in ſuperficie mutationem ſubeant. Vel ſi cum chymicis ſentire velimus, tincturam Croci in Chylo tantum introverſam eſſe, non aliter ac in Coralliis rubicundiſſimis accidere ſolet, ubi illa in teſtis non adeo profundis ſuperficie tenus à flamma lambuntur & reverberantur, albeſcunt, per ſuccedentes vero gradus Ignis in flavedinem, citrinitatem, & rubedinem ſummam (quam initio occultârant) abeunt, unde demum fit tinctura rubicundiſſima. Quod autem in colliquamento denuo tinctura *Croci* conſpectui ſeſe obtulerit, inde factum fuiſſe conjecturandum eſt, ubi ſanguis *Croco* imprægnatus per arterias in placentam defertur, à glandulis vero ibidem magis depuratur, & per membranarum poros amplius filtratur, colliquamentum tenuius, albidius clariuſque evadit, nec ita *Croci* tincturam, quemadmodum in arteriis exiſtens palliare, & abſcondere potens eſt, ſed eam prodere cogitur.

[*Ex literis ad D. Joach. Georg. Eſlnerum.*]

⁂

OBSERVATIO LXI. PHYSICA.

DN. JOACH. GEORG. ELSNERI.

ALBEDO CHYLI TEGENS RUBEDINEM.

SUperior obſervatio anſam mihi ſuggerit, ut ad elucidationem iſtius Opinionis, quod nempe in chylo ſanguinea vel potius rubicunda lateat tinctura; addam experimentum; quod caſu oculis meis ante aliquot annos, dum Pariſiis viverem, ſeſe obtulit. Dum enim occupatus eſſem cum Dn. D. Carolo Reyger, hoc tempore Medico Poſonienſi, Amico meo integerrimo, circa experimenta nonnulla anatomica in diſſecto cane vivo, cujus abdomine aperto, cum vaſa lactea ſucco chylifero turgida egregiè apparerent, ligatura illis injecta motum chyli ad ductum thoracicum impedire tentavi, ut poſtea illa amico tunc abſenti commodè poſſem demonſtrare, in quibus ita ligatis poſt aliquot horas cum amicis inveni liquorem rubicundiſſimum, ſanguinis inſtar, loco chyli, manifeſto indicio hunc colorem antea intus latitaſſe.

Quod Experimentum poſtea ſæpius reiteravi, rarò tamen obſervavi chylum ita retentum inclinaſſe tractu temporis ad rubedinem, interdum tamen rutilantem vidi. Cujus cauſam fuiſſe opinor, quod chylus iſte magis rubedine ſaturatus fuerit à reliquis. Alias non dubius animo ſum in quolibet chylo rubedinem iſtam latere, quæ forſan ex admixtione alicujus Salis in corpore latentis ſe prodit. Exemplum nobis ſit tranſmutatio coloris, quam ex ſulphure poſſumus habere communi, quæ à nullo alio dependet principio quam ex commixtione diverſorum Salium. Nam extracta iſtius cum ſale Tartari tinctura, uti rubicundiſſima, ſic præcipitatione cum aceto diſtillato abit in pulverem albicantem, qui Lac ſulphuris à colore vocatur. Qui pulvis ſi de novo ſolvitur in aqua admixto ſale alkali cujuſdam plantæ, videbis rubedinem Sulphuris modo latitaſſe, priſtinum enim acquirit colorem.

OBSERVATIO LXII. PHYSICA.

D. JOANNIS PATERSONII HAYN.

FOETVS EXTRA VTERVM PROPENDENTIS ejulatus, & reditus in uterum.

SCripſit ad me hoc anno 1670. Dom. *Gergei* Paſtor in Hungaria noſtra ſuperiore & Medicus, miram hanc hiſtoriam, ſi non penitus naturalem, prodigioſam tamen. *In Hungariâ Fœmina* partui vicina anno M.DC.LXIX. incœpit parere fœtum, ut jam extra Uterum totum exereret caput, ſed fœtus *ejulatu bis terve edito iterum in uterum fuit abreptus*, per duas ſeptimanas ibi adhuc hæſit, & dein legitimo partu fuit excluſus. *D. Paterſonius ex Eperienſi Urbe ad D. David Spilenbergerum Leutſchoviam in Superiore Hungaria,* indeque *Uratiſlav. ad D. Sachſium.*

SCHOLION.

De *vagitu uterino*, ſeu *de vagitu*, qui exprimitur à fœtu adhuc in utero concluſo, *Andr. Libavius L.* 2. *ſingular. tract.* 10. *à p.* 279. *uſq.* 289. ſingularem habet Diſſertationem problematicam, ubi præter Hiſtorias ex *Vveinrich. de Monſtr. c.* 26. allatas, (ex quibus exemplum *de fœtu Uratiſlavienſi*, qui clariſſimè vociferari auditus fuit) proprias aliquot adducit *p.* 287. non minus quam *Idem Libav. in Ciſt. Hornung. Epiſt.* 81. *p.* 216. de fœtu Rotemburgi ad Tubarim, cujus vagitum dies 42. ante partum vicies perceperunt mulierculæ. Alia hujus farinæ *Exempla ultra* 17. recenſet *Camerar. Memorab. Med. cent.* XI. §. 16. & 17. item *Joan. Vdalricus Rümlerus in obſ. à D. Vvelſchio editis obſ.* 97. *p.* 58. *Sennert. Prax. L.* 4. *p.* 2. *ſ.* 2. *c.* 8. de aliquot fœtibus Vvittebergæ vagientibus, & præcipuè *Th. Bartholin. cent.* I. *Hiſt. Anat. obſ.* 1. & 8.

Unicum addo Illuſtris ROBERTI BOYLÆI Exemplum, quod recenſet *in Experim. Phyſ. Mechanic. Euper.* 41. *p.* 465. Novi, *inquit*, quandam Dominam: ea cum paucis annis abhinc gravida eſſet, apud me conqueſti fuerunt ejus amici, illam *Infantuli* ſui *vagitu* plurimum multoties perterrefactam fuiſſe. Narrat *Idem*, ſibi à mulieribus ruſticis narratum, quaſi rem non inuſitatam, audiri pullos in ovo nondum putamine perrupto pipizantes. Dn. D. *Balthaſar Timæus à Guldenklee Elect. Brandemb. Archiater. L.* 4. *Caſ. Medic. obſ.* 24. *p.* 222. *ploratum uterinum* à cauſis naturalibus quidem interdum fieri poſſe concedit, eumdem tamen quandoque & à cauſa ſuperiori excitari ſtatuit, & vel fœtui, vel parentibus, vel Reip. calamitatem portendere, idque probat exemplo ominoſo, quod Colbergæ anno 1624. accidit, ubi in templo fœminæ nono menſæ gravidæ *fœtus* à matre & vicinis ſæpius *plorans* auditus fuit, ubi poſtea fœtus in lucem editus, unâ cum matre ab ancilla veneno peremptus ſuit, maritus peſte extinctus, domus incendio abſumpta, reliqui liberi aut in ſumma miſeria viventes, aut acerbo fato occubuerunt, quin & ſubſequente in Septentrione Bello, & Urbi Colbergæ & toti Pomeraniæ funeſtus prænuntius fuerit hic vagitus.

Et *regreſſus in Uterum hujus fœtus* in Hungaria maximè mirandus eſt. Narrat *Montevillan. in Itiner. p.* 225. ſub Imperio Prete-Joannis ex Arena quotidie procreſcere arbuſculas, uſque ad meridiem, & poſt ad occaſum Solis *denuo redire in terram*, ita ut non amplius appareant, atque id quotidie, niſi quis reditum in terram hujus plantæ cum *Stengel. de monſtris. c.* 1. §. 15. *p.* 29. fieri putet, quando arbores hæ ephemeræ, aridæ quotidie decidant, & in pulverem redigantur. *In homine* rariſſimum exemplum, quod habet *Plin. lib.* 7. *hiſt. Nat. c.* 3. *f.* Sagunti, inquit, puer reverſus eſt in uterum matris, eo anno, quo Saguntus ab Annibale deleta eſt. Quo forte etiam reſpexit *Ludov. Bonnacciolus in Ennead. Morb. Mul. c.* 7. *in Gynæc. Spacchii f.* 143. Mirum eſt, & noſtra ætate numquam viſum, editum infantem protinus in Uterum reverſum, inter oſtenta hoc numeratum, nonnulli, nec ignobiles prodiderunt.

[*D. Phil. Iac. Sachs à Levvenh.*]

OBSERVATIO LXIII. PATHOLOG.

D. JOANNIS PATERSONI HAYN.

HYPOCHONDRIACI EXCRETA OMNIA NIGRA.

HAbeo adhuc mirabilem obſervationem, & credo inauditam, quam ſi V. Exc. reliquis addere velit, puto rem gratam Dn. D. *Sachſio* facturam. Curavi in Polonia aliquando amicum meum optimum, qui à longo tempore *Hypochondriacus* erat. Poſtea autem cum neglexiſſet morbum, in graviſſima incidit ſymptomata, quorum ille octuaginta ſimul & ſemel infeſtantia numerabat. Accidit igitur, ut Urina totaliter ſupprimeretur & venter intumeſceret, facie cachectica apparente, interim dolor dentium apprehendit eum aliquoties, & aquæ aliquot pintæ effluxerunt. *Urina* paululum rediit, ſed ubi in vitro ſtaret per noctem, in lixivialem ſalem *congelaſcere cœpit*, ita ut cultro ſcindi non poſſet (redolebat autem aſellos ſiccos in aqua maceratos.) Poſt cum uſum Tartar. Vitriol. adhibuiſſet quotidianum, Urina melius fluere & materia non tam dura apparere cœpit: tamen dimidia tantum pars in Salem concreſcere & ſic lento gradu ad priſtinam naturam redire. Euhibui illi interim Arcani Corallini per ſpir. nitri facti cam pil. anti-Tartare-Quercet. aliquot grana, ubi primum totus ſtupuit. Deinde dixit à liene verſus Inteſtinum rectum pondus ingens decidiſſe, hinc ſedem habuit unam & alteram albam inſtar calcis, has ſubſecutæ tres *nigerrimæ* picis inſtar, & ſe inſigniter recolligere cœpit, imò eo tempore paulatim ad ſe redire. Interim obſervat ille in congreſſu cum Uxore *ſemen* effluere *nigrum atramenti ſcriptorii inſtar,* ſine noxa, quod ſemen ipſe vidi, uti & materiam per alvum excretam, quod tamen ſucceſſu temporis & medicamentorum ope mutatum, ita ut intra annum hepatis calorem contrahere, tandem paulatim poſt duos vel tres annos flaveſcere & pſululum albeſcere cœperit, non pervenit tamen ad illam albedinem unquam, quam antea habuit. An igitur ſemen in vaſis ſpermaticis hunc acquiſiverit colorem, an vero ex ipſa ſubſtantia ſanguinis hauſerit, & tunc ipſum ſanguinem aterrimum fuiſſe oportuerit? ſane inveſtigatione dignum.

[*D. Paterſon. in Litt. ad D. David. Spilembergerum Lentſchovium.*]

OBSERV. LXIV. ANATOMICA.

D. JOANNIS GEORGII GREISELII.

REN CONSUMPTUS.

HEros quidam cum Principi ſuo Clementiſſimo & Litteris & Armis, magniſque conviviis, & mille aliis laboribus fideliſſimè inſerviendo, ſeipſum ad mortem uſque conſumpſiſſet, Balſamationi ſeu Conduturæ traditus, inter reliqua notatum fuit, quod *Ren dexter* totaliter conſumptus fuerit, & loco illius maſſa quædam fœtidiſſima purè impleta, & quam plurimis membranis, quas Natura in auxilium fecit, circumvoluta. Tota maſſa hæc Unc. xxij, ponderabat.

[*D. Greiſel. per D. Iung è Viennà Uratiſlav. ad D. Sachſium.*]

OBSERVATIO LXV. PATHOLOGICA.

D. JOANNIS GEORGII GREISELII.

LAPILLI CUM SANGUINE è VENA PROSILIENTES.

VIr quidam 72. annorum naturaliter phlegmatici temperamenti, circa Solſtitium hybernnm incidit in Catharrum ſuffocativum cum contumaci Urinæ obſtructione. Ibi ego tum temporis Ordinarius Medicus poſt alia remedia Venam brachii aperui ad Unc, vj, ubi *cum effluente ſanguine quatuor* tales *Lapilli* (quales unà hic tranſmitto) *in pelvim protruſi* fuerunt, & cum magnam ſatis venæ aperturam fecerim, abſque impedimento quidem ſanguinis fluentis exilierunt, ita ut exilientes illos audiverim unà cum Patre Confeſſario ibi adſtante. Neſciebamus primo rem ſonitum cauſantem eſſe Lapillos, quos tamen poſtea concreto ſanguine in pelvi invenimus. Vir ille convaluit quidem de ſuo Catarrho, permanſit tamen Urinæ obſtructio, adhibitis omnibus poſſibilibus in caſſum, tandem circa Æquinoctium vernale Apoplexia tactus moritur, in cujus cadavere, ſi illud aperire conceſſum fuiſſet, certè multa notatu digna invenire potuiſſem.

[*D. Greiſel. ad D. Iung. indeque ad D. Sachſium.*]

SCHOLION.

Lapilli hi tranſmiſſi Uratiſlaviam ſubſtantia & colore flavo rubeſcente, æmulantur Arenulas majores, quas Nephritici excernere ſolent. Et lapilli ſeu Arenulæ in hoc Homine *ex vena ſectâ proſilientes* congeneres illis Arenulis videntur eſſe, quas ex ſanguine cum ſero per poros beneficio ſudoris, integris manipulis, inducta cuti manu abſtergendas cum D. Olao Vvormio in Selandia vidit *Th. Barthol. Cent. I. hiſt.* 134.

[*D. Philip. Iac. Sachs à Levvenheimb.*]

OBSERVATIO LXVI. PATHOLOG.

D. JOAN. GEORGII GREISELII.

LAPIS IN ABSCESSV HEPATIS.

Domina quædam 33. Annor. Temperamenti ſanguinei, gravida jam dum decimo menſe, Catarrho ſuffocativo repente extinguitur: & cum tempus Partus jam dum imminebat, Fœtum excidi, extracto fœtu matricem iterum componebam, matriſque cadaver conſuere incipiebam, cum ultra aperiendi mihi non data fuerit licentia. Inter conſuendum cum Muſculi Abdominis extracto fœtu conſederant, tetigi maſſam quandam oblongam unius ſpithamæ, duram aliquomodo in dextro hypochondrio, quam cum etiam tangendam darem Dominabus & Mulierculis adſtantibus, omnes clamarunt eſſe alium fœtum, putantes ſe pedem infantis tetigiſſe; impoſſibilem talem imprægnationem extra matricem licet illis deprædicaverim, ſed aliquid aliud eſſe prædixerim, nihilominus incredula hæc gens, quæ nullis rationibus, ſed tantum palpabilibus autopſiis ducitur, & ne vix quidem; hunc pedem, ut putabat, & per conſequens totum fœtum videre & habere deſiderabat. Cui petitioni quam lubentiſſimè annuens, aperui factam futuram, inciſionemque feci, & inveni *in inferiori parte Lobi hepatis accretam cyſtidem longam* unius palmi, duriuſculam, parumper plenam & bene infarctam, quam à ſubſtantia hepatis modeſtè liberavi, & abſque ulla venulâ, aut alio canale intrante reperto, ad tabulam extraxi. Hujus membrana ita denſa & fortis erat, ut forcipe eam ſcindere vix potuerim, cultro vero minimè, aut certè cum ſummâ difficultate, cujus concavitas erat repleta humore aliquo glutinoſiſſimo, ex nigro reſplendente & rubricante inſtar viſci nigri, quo capiuntur aves, qui humor tam glutinoſus fuit, ut eum vix à cultro, à manu planè non, niſi ea ſevo inunctâ, uti fit cum Terebinth. abradere potuerim. *In hujus humoris meditullio* repertus fuit *Lapis paulò minor ovo gallinæ*, qui per medium ſecuri confractus reſplendebat, ac ſi nitro plenus fuiſſet, cortex erat durior meditullio, alias inſipidus & nullius odoris, de quo hic tertiam partem mitto. Mirum eſt, quòd in illa parte nunquam ullum dolorem, aut ſaltem gravitatem perſenſerit, licet de calore Hepatis Domina hæc ſemper conqueſta fuerit.

[*D. Greiſel. è Vienna ad D. Sachſium Uratiſlaviam.*]

SCHOLION.

Pars hujus Lapidis Uratiſlaviam tranſmiſſi pondere Drach. ij. ß. æquat, ſi itaque reliquæ duæ partes addantur, totum erit Unc. j. & gr. 18. coloris eſt ſubgryſei interiùs, exterior cortex durior, ſubfuſcus cum aliquot punctis albis. Si manibus contrectetur, interius & exterius ſemper unctuoſus apparet inſtar ſaponis: microſcopio ubi ſubjectus, interiores ſplendentes particulæ quaſi mercurium vivum exhibuerunt hinc inde aſperſum. Quia poroſior eſt, pro magnitudine levius eſt ipſius pondus.

Marc. Aurelius Severinus in de Abſceſſ. Natur. lib. 4. c. 28. p. 260. Tubercula Lapidiconda, ſeu *Lapides in Abſceſſibus* duplices facit; *alios* qui immergantur quaſi & innatent propemodum in ſinu cyſtive anamolorum ſub infarctu pultaceo, qui totum ſinus ambitum complet, & *talis fuit hic Viennenſis* quoque; *alios* vero cum ſinus arctè materiam comprehendunt & hi viciſſim comprehenduntur ab eâdem cum mutuo adhæſu perfecto, habentque ſimplicitatem materiæ. *Talem idem Severin. l. a. p.* 259. Neapoli anno 1640. è tuberculo circa jugularia vaſa exſecuit, *caſtaneæ forma* & magnitudine, inæqualem, ſemiſepultis quaſi botris undique diſcretum, lapideâ denſitate, qui aquæ injectus rubellus perſtitit. Tales *lapideos humores* interdum Chirurgos fatigare notavit *Tulp. l.* 4. *obſ. c.* 21. Vidit *D. Chriſtoph Tinctorius* Electoral. Medicus Regiomonti in fœmina diſſecta duos *Tumores ſaxeos* dependentes à ſuſpenſorio hepatis, quorum unus 16. alter 12. pond. libravit Apud *D. Barth. Cent. IV. obſ.* 28. Chirurgus Albigenſis *ab ulcere* antiquo *tibiæ lapidem* tophaceum. nigrum, duriſſimumque extraxit. *Borell. Cent. I. obſ.* 4. & *alium* ex *abſceſſu in humero* ovi magnitudine 16. *obſ.* 87. ex *Umbilici abſceſſu* proſilientem *Andregetti in Andregettis* Prof. Patav. obſervavit *lapidem* apud *Ioan. Rhodium Cent. II. obſ.* 99. Concludo cum recenti exemplo *D. Petri à Caſtro*, quod conſignavit *Obſervat. mſ. obſ.* 18. Menſe Aprili, inquit, anno 1645. Veronæ Caſp. Caponis Uxor, quæ habitabat ad Portam Epiſcopi, *Abſceſſum ſupra os Iſchii* eſt paſſa, qui dum ſuppuratur, ingentibus cruciatur doloribus, qui parum ceſſarunt rupto abſceſſu. Tandem applicato Cerato Caſtrenſi *Lapillos* produxit *magnitudine piſorum* coloris ſubcrocei, intra 3. dies pluſquam 40.

[*D. Philip. Iac. Sachs à Levvenheimb.*]

OBSER-

OBSERVATIO LXVII. CHIRURG. ET PATHOLOG.

D. LAURENTII WOLFSTRIGEL.

VULNUS OCULI ET COALITUS HUMORIS CRYSTALLINI.

JUvenis 20. annorum in pueritiâ, ex illiſu vehementiori manubrioli cultelli æneo nodulo inſtructi, corneam cum profuſione humoris aquei, tum & pupillam diſrumpens, omnique inde actione viſus orbatus, oculo affecto, qui ſiniſter erat, indies ad deformationem uſque excreſcente; hunc ſuaſu Medici cujuſdam Illuſtris corrigere attentavit. Convocato itaque Chirurgo, ac præparato prius corpore, conſultum, nt evacuatis per inciſionem corneæ oculi humoribus oculus detumeſceret, ac ſano multo minor evaderet, ſicque daretur locus impoſitioni corticis vitreæ, ad figuram oculi ſani affabrè effictæ, uti Venetiis, & Lutetiis Pariſiorum frequenter fieri aſſolet. Dictum factum: conſentit patiens, Chirurguſque operationi (collocato ægro in ſedili humiliori in loco lucido, obfirmato oculo ſano, ac affecto per ſpeculum immoto detento) ſeſe accingit: Inciſio fit tranſverſim per Corneam abſque ullo ægri dolore. Prorupit proximus cum impetu ad notabilem diſtantiam humor aqueus cum portione vitrei, cryſtallino ad labia vulneratæ corneæ adhæreſcente, quo conſpecto Chirurgus humorem illum ſpecillo argenteo immiſſo propellere conabatur, ſed irrito conatu: firmiſſimè enim coaluerat cum corneâ lens illa cryſtallina, tum quod & æger, cui imminebat animi deliquium ob profundius immiſſum ſpecillum & commotionem fibrillarum retinæ, ulteriorem tentationem tenueret. Inde ſubſecuta inflammatio oculi affecti cum hæmorrhagiâ levi propter læſas venas, quæ varicoſæ uſque ad confinia corneæ protendebantur, dolore inſigni, hemicrania & ſibilo auris ſiniſtræ, quo necdum, elapſo ferè ſexennio, adhuc liber eſt patiens. Coaluit *vulnus corneæ* ſpatio fermè decem dierum nullo alio adhibito medicamento externo præter cataplaſma molle, confectum ex ſedo majori, farin. fœnu græc. pulvere Euphraſiæ, mucilag. ſem. cydon. c. aqu. roſar. & plantag. extracta. Perſeveravit dolor & tumor oculi fermè per hebdomadas quiuque, tracto etiam in conſenſum oculo ſano: abhinc per intervalla repetiit dolor uſque dum totaliter intermitteret, oculus detumuit, & in hodiernum uſque diem tabeſcit. *Coalitum humoris cryſtallini*, qui etiamnum in oculo eſt patientis, inde deducendum putat patiens, in Medicinâ non adeò hoſpes, quod diſruptâ ex vehementiori illiſu pupillâ preſſiſque omnibus humoribus oculis, humor cryſtallinus non impediente amplius pupillâ antrorſum proruperit ad corneam, illique arctius accumbens & propter aliqualem contuſionem quaſi adhæreſcens, tandem adhibitis medicamentis corroſivis ac potenter exſiccantibus, quaſi cum corneâ induruerit. Patet etiam ex hoc caſu inſenſibilitas corneæ, & periculum quod ſano oculo ex talibus operationibus imminet.

[*D. Vvolffſtrigel. in Litt. D. Jung, Viennâ Vratiſlav. ad D. Sachſium miſſis.*]

OBSERVATIO LXVIII. PATHOLOG.

D. FRIDERICI FERDINANDI ILLMERI à Wartemberg.

DOLOR CAPITIS SINGULARIS, SINE ULLA FEBRI ſubito ortus & ſpatio 15. dierum interficiens.

Litteratiſſimus Vir, S. Cæſ. Maj. Secretarius 46. annorum, natione Miſnicus, Patriâ Annæbergenſis, temperamento ſupra temperatum, calidior nonnihil & gracilis aliquo modo, ultimò complexionis melancholicæ propter permutationem temperamenti (juxta Sanctorium in variis locis) multis annis antehac phthiſicus & Aſthmaticus, quatuor diebus ante æſtivum Solſtitium anno 1670. incidit in dolorem gravativum, tenſivum & lacerativum Syncipitis totius & frontis, quem inſequuntur continuæ vigiliæ; elapſo octiduo deliria interpolata, poſt continua, ſuavia tamen, non irata aut furioſa; tandem uno ante mortem die motus totius corporis convulſivi leviores, ac omnium terribilium terribiliſſimum, Mors. Toto tempore nec vel exiguum ſignum alicujus febris aut caloris ſive vehementis ſive lenti, ſive eſſentialis, ſive ſymptomatici, præter ultimo die, ubi ad præſentiam convulſivorum motuum exigua aliqua & lenta caloris exuberantia apparebat in pulſu, qui per 12. dierum curſum erat tardiſſimus, inſtar pulſuum melancholicorum. Urina primo die uſque ad undecimum prodibat tincta inſtar Ictericorum. Concluſeram dolorem hunc oriri ab evaporatione bilis per arterioſum genus, lege circulationis in caput, unde adhibitis cholagogis Jenioribus, & emulſione laxativâ. Mynſichti per epicraſin, urina tandem reddebatur coloris & conſiſtentiæ naturalis: ne hilum quidem remittente dolore & dictis ſymptomatibus. Revulſionis, derivationis, ventilationis, evacuationis cauſa, quantum in corpore phthiſico vires vitales permittebant, extraxi ſanguinem ex pede, manu, hæmorrhoidibus; applicari curabam cucurbitulas ad homoplatas, hirudines poſt auriculas, veſicatoria ad venarum jugularium latera: gallinæ diſruptæ capiti applicatæ, laudanum Cæſareum exhibitum, pulveres deoppilativi, & juſcula alterantia propinata: Sed fruſtra omnia. Ut igitur cognoſceretur cauſa tam pertinacis *doloris*, *mortuo aperio caput*, & ecce reperio, *primo* venaſe arteriaſque duræ & piæ meningis, turgentes plenaſque nigro ſanguine, ac ita particularem vaſorum capitis repletionem, uti ſæpius in convulſis & iratis obſervavi. *Secundo* ſub medio oſſis ſyncipitis dextri à proceſſu falcato uſque ad os temporis extenſum, video ulcus oblongum cum ſanie craſſa & multum flavâ, quod ego habui pro maligno, quia ſciebam, huic ante aliquot annos ab aliquo Pharmacopæo ſciolo in curatione gonorrhϾ fuiſſe exhibita mercurialia fortè non bene præparata, quæ uti more empyricorum exhibentur, ita etiam eorum effectus poſt ſe relinquunt. Interiora cerebri rimando, in ventriculis anterioribus Unc. xij. ſeri limpidiſſimi occurrebant, quod in ſcutellam effundendo monſtravi præſentibus D. D. & Chirurgis. Plexus Choroideus nonnihil etiam erat arroſus & putrefactus. Inquiſivi quoque in vaſa lymphatica cerebri, ſed ut ea viderem, tam lynceus non fui. In pectore aperto pulmones dextri lateris duplo erant majores more ſolito, unde forſan cauſa, quod æger ſemper in dextrum latus etiam invitus decubuerit: ſiniſtri verò à ſterno uſque ad ſpinam dorſi ita pleuræ & coſtis accreverunt, ut judicarem eos mille clavis affixos, quorum interiora plena erant ſanie, pure & ſcirrhis; cor autem optimè conſtitutum. Breviter ut mentem declarem, ſalvo aliorum prudentiorum judicio, dico huic ægro immortali nominis famâ digno ob ferinam tuſſim, quâ ultimo anno vexabatur, in cerebro fuiſſe ruptam aliquam arteriolam, vel venulam, vel vas lymphaticum, præcipuè in plexu choroidæo, unde exſudavit ſerum, quod paulatim augmentum ſumendo, maſſam cerebralem diſtendit, in majorem molam elevavit, ipſas meninges earumque vaſa compreſſit, & capacitatem cranii ita occupavit, ut non fuerit ſufficiens ad continendum capeſſendumque cerebrum, quemadmodum in ipſâ apertura apparuit: exinde & forinſecus & intrinſecus meningum compreſſio, ac pericranii per ſympathiam tenſio, ſenſum illum moleſtum ſeu dolorem ad tactum etiam externum inducens, ſimulque oſtendens in cerebro & meningibus diminutam ſanguinis circulationem. Mirabar non fuiſſe phrenitidem excitam: verùm dubium præſentibus ſolvi, phrenitidem fieri à ſanguine in cerebro vel meningibus extravaſato, ſtagnante, & cùm ſit extra locum ſuum naturalem p. n. efferveſcente & putreſcente: hic vero ſanguinem nihil ejuſmodi fuiſſe paſſum, & ita uſque ad undecimum diem ac ulterius abſque inflammatione cerebrum potuiſſe perſiſtere; donec tandem ultimo longa mora ipſis in vaſis in putredinem præcipitaretur, juxta illud: Et vitium capiunt, ni moveantur aquæ. Uti in tua, Vir ſcientiſſime, *analogiâ microcoſmi cum Macrocoſmi Oceano* perbellè demonſtras. Hæc an rectè judicaverim, veſtro Curioſiſſ. ſimul ac ſapientiſſimo judicio ſubmitto, & ſi quædam obſcurius aut non rectè in hâc hiſtoria enucleata, ut à felicitate veſtrorum ingeniorum magis illuſtrentur, non ægrè fero: licet & ego conquiſitis variorum Authorum obſervationibus hiſtoriam hanc forſan analogis exemplis poſſem confirmare, attamen negotia tam ſcholaſtica quàm practica gravia ac permoleſta me ad hæc ſtudia aliàs avidiſſimum ab iiſdem abſtrahunt. Mira res: æger hic laudatus confecerat ſibi Thema genethliacum multos ante annos, in quo ita erat legere: In hâc geniturâ Mars mihi minatur turbationem capitis, Jupiter

& Venus morbum in genitalibus &c. & ecce omnia deprehenſa ſunt veritati conſentanea, omneſque aſtrorum revolutiones coincidebant cum tempore morborum & mortis, ipſeque piè defunctus hæc ſibimet coram me ſæpius prædixit: Unde volens ipſum à conceptâ opinione divertere, reſpondi: Vir doctus es, ſcis, quod ſapiens poſſit dominari aſtris, quod aſtra inclinent, & non neceſſitent, quod medicina aſtrorum impreſſiones etiam radiativas poſſit corrigere & emendare. His conſolatus & acquieſcens nihilominus prævisum ſibi expertus eſt ætate immatura nimis durum fatum.

[*D. Illmer Litt. è Vienna ad D. Sachſium.*]

OBSERVATIO LXIX. PATHOLOGICA.

D. FRIDERICI FERDINANDI ILLMERI à Wartemberg.

CEPHALALGIÆ HISTORIA RARA.

SArtor quidam, Vir annorum 35. temperamento calidus, complexione bilioſus (nam ego cum Fieno in ſemiotica fol. 34. inter temperamentum & complexionem diſtinguo) facilis ad iram, in eaque ſæpius excedens, utcumque temperanter vivens, circa finem Maii anni currentis 1670. incidit *in oſſis frontis dolorem gravativum*, compreſſivum & lacerativum, ita ut ſynciput vix aut parum doleret, eratque dolor ſine omni febri, pulſum habebat tardum ſimilem melancholicis: cæterum ſanus toto corpore. Exinde vigiliæ, deliria per intervalla, ſubinde etiam ſomnus ad horas 3. vel 4. extenſus, adeò profundus, ut qui ipſi totum corpus dilaniaſſet vix excitaſſet: tandem ſponte evigilans nullam doloris remiſſionem ſentiebat, dierum quatuordecim ſpatio elapſo ſine convulſione Fatis ceſſit. Prædixi adſtantibus, apoſtema frigidum adeſſe, utens vocabulo ad captum vulgi. *Mortuo aperio caput* aſſiſtente mihi in utroque caſu olim diſcipulo meo, nunc Viro & Collegâ omnium calculo perinſigniter docto ac perito *D. D. Georgio Sebaſtiano Jungio.* Ecce vaſa turgent in meningibus, cranium nimiam cerebri molem non poterat capere, interiora rimando occurrunt in ventriculis anterioribus unciæ viij. ſeri flavi & plexus choroideus ſubalbicans, præterea nihil. Judico hinc vel vas lymphaticum (quale tamen nullum, forſan ob meam inhabilitatem deprehendi) vel vaſa capillaria ſanguifera aliqua rupta fuiſſe ob exceſſum iræ, in quâ ebullientes humores nimia quantitate propulſi vaſa minima diſtendunt, & minorem locum affectando eadem diſrumpunt: unde paulatinæ tranſudationes ſeri cerebri vaſa particularia & cavitates replendo, diſtendendo & comprimendo hæc ſymptomata cauſantes. Curationis gratiâ extraxi ſanguinem ex pede, brachio, manu, applicui veſicatoria, hirudines, cucurbitulas ad lateralia capitis, dedi purgantia. ordinavi epithemata anodyna, roborantia, diſcutientia, contemperantia: Dedi ſoporifera; verùm omnia in caſſum. Curioſus aliquis ſi legat quatuor libr. Hippocratis de morbis, varia ibi de dolore capitis deprehendet, ſed textum qui huc ex integro accommodari poſſit nullum inveniet: vel enim intra quatuor aut 2. dies mortui ſunt, vel acceſſit febris, quæ in noſtris caſibus non obſervabatur. Quod ſi tamen quis vellet analogia quadam uti, cum ipſo non pugnabo. Interim has meas obſervationes de dolore hoc admirabili judico Medicis ſervituras pro prognoſticis faciendis: vix enim poſſibile videtur, quod Medicus quocumque etiam catharctico munitus, ex cavitate ventriculorum cerebri hoc ſerum extrahere poſſit, aliis tamen in ſuis experientiis nil præjudicando. Ne tamen charitatis opus Medicus videatur omittere curam palliativam ſuſcipere, & prognoſtico ſe munire poterit. Hæc & ſimilia quanquam per circularem ſanguinis motum aliaque recentiorum inventa videantur poſſe clarius explicari, quàm veterum hypotheſibus inſiſtendo: attamen ſi quis veterum de motu ſanguinis dogmatibus mordicus velit adhærere, æque ac ſat perceptibiliter eadem ſymptomata & morborum complicationes ex iiſdem congruè deducere poterit.

[*D. Illmer Litt. Viennâ ad D. Sachſium datis.*]

OBSERVATIO LXX. ANATOMICA.

Dn. JOACHIMI GEORGII GREISELI,

COR MAGNUM. IN ARTERIA MAGNA materia arenacea.

PUer 13. annor. temperamenti ſanguineo-bilioſi, paſſus eſt poſt magnum hauſtum frigidæ in calore, continuam Cordis palpitationem per aliquot annos. Acceſſit Phthiſis & Hectica, tandem mortuum aperui, ubi non tantum pulmones accretos, ulceroſos, purulentos reperi, ſed etiam *Cor ſtupendæ magnitudinis* conſpiciebatur, plenum & extenſum ſanguine atro & nigerrimo, & ut iſtam copiam ſanguinis bene perpenderem, incepi à vaſis verſus Cor progrediendo ejus apertionem, ubi *in Arteria Magna*, ad longitudinem unius digiti, à Cordis ſiniſtro ventriculo in ſanguine jamjam à corde extruſo *particulam* quandam *albam inſtar unguis minimi digiti* inveni, quæ cum tanquam ibi planè præternaturalem eum acceperim, erat friabilis inſtar Arenæ, & cum ulterius verſus Cor progrederer, in ortu Arteriæ inveni mediam valvulam lunarem uſque ad ſubſtantiam Arteriæ planè conſumptam & deperditam, & illam partem, ubi arteriæ adhærebat, etiam friabilem in ſimilem arenam, ſicut alteram particulam in arteriæ ſanguine repertam, nullum vero pus.

[*D. Greiſel. è Viennâ Litt. ad D. Sachſium.*]

SCHOLION.

Cor humanum Ægyptii olim ad 50. annos creſcere, & inde rurſus decreſcere ſtatuerunt, quod falſiſſimum, uti cum experientia ipſa cenſet *Baricellus in Theſaur. Secretor. c.* 151. Ordinarie Cor Hominis uncias vii pendere cenſet *Theod. Keroringius*, longe tamen majus obſervavit anno 1668. in Noſocomio Amſtelodamenſi *Idem Obſerv.* X*VI. p.* 39. uti *Obſ. XVII. p.* 43. aliud ſolitâ magnitudine minus. Vidit *Exc. Th. Bartholin. cent.* I. *Hiſt. Anat.* 32. §. 28. *Cor. humanum X.* digitos tranſverſos magnum in ſuſpenſo Helſingoræ 1651. In alio anno 1652. in Theatro Anatomico Haſnenſi *Cor inuſitatæ magnitudinis* quovis bubulo majus. *Id. cent.* I. *hiſt.* 45. §. 8. nec non in alio 1652. bovino nulla parte cedens. *Id. cent.* I. *hiſt.* 54. §. 6. quod etiam bovino ponderoſius & majus jam anno 1642. Hafniæ in Homine obſervarat *D. Simon. Pauli*, *Id. Barth. cent.* I. *hiſt.* 50. §. 8.

Corda etiam *magna non* ſemper *timidos* arguere, exemplo probat *Id. Barth. cent.* IV. *hiſt.* 6. de Homine diſſecto, in quo *Cor vaſtum* quidem fuit, hominem tamen audacem fuiſſe monſtrarunt in capite frequentes cicatrices. Quin & *Corda magna* cordatos reddere, *Idem* aſſerit *cent.* II. *hiſt.* 6. *p.* 326. quia *Cordis magnitudo* & facilius circulationem promoveat, & ſanguinem ſpirituſque vitales accendat.

D. P. J. Sachs à Levvenh.]

OBSERVATIO LXXI. PATHOLOGICA.

L. SIGISMUNDI GRASSII.

OCVLI PARALYSIS EX CASV.

HIſtoriam Cœcitatis aliorumque Symptomatum ex Lapſu ab Equo recenſet *Philipp. Salmuth. cent.* 3. *obſ.* 42. Tragœdia non abſimilis me ipſum exercuit, ſed paulo mitior, quam cum circumſtantiis ſuis aliquanto prolixius proponere forſan non erit inutile nec injucundum.

Ad Ægrum illuſtrem, ante paucos annos, peregrè feſtinans, cum equo ad curſum celeriorem incitato præceps factus ſum, adeo ut ex concuſſione cerebri violenta conſopitus, inſtar Apoplectici jacuerim. Excitatus ſubinde à comite, ſenſus recollegi ſenſim, & equo impoſitus iter perfeci, ſed μονοφθαλμὸς; quaſi dexter enim oculus erat clauſus & totus immobilis. Cauſam, cum ad locum deſtinatum veniſſem, aſſignabam non caſui, cujus hoc die eram immemor, ſed quia per fruticeta ſub tenebris nocturnis tranſeundum eſſet, virgulto alicui, quod afflictu læſiſſet oculum. Ideo ante decubitum Roſaceâ, cum præter hanc nihil eſſet in promptu, oculum ab inflammatione præſervare tentabam. Aurorâ ſequente nihil læſionis nec rubedinis in oculo ſentiebam, ſed dolorem tantum Muſculi temporalis dextri; Pupilla dextra, ſi levaret manus palpebram, apparebat triplo amplior; & objecta per nebulam quaſi denſiſſimam confuſa cernebantur. Vertigo præterea, præſertim ſi clauderetur ſanus oculus, & læſus aperiretur, tum & pronitas ad ſomnum urgebant. Conſideratis hiſce circumſtantiis ſuſpecta mihi erat alliſio virgulti; tum comes meus interrogatus narrabat caſum, ex quo totus expalluerim & ſtatim obdormierim, oculum clauſum fuiſſe ſuſpicatus erat ob arenulas illapſas. Relatio hæc & dolor temporalis cum aliis circumſtantiis excitabant tandem reminiſcentiam cerebri conturbatione ſepultam. Domum reverſus cauſam hujus ex lapſu Paralyſeos inquirere & infortunium corrigere conabar. Prohibitum influxum ſpiritus animalis immediatam fuiſſe cauſam non eſt dubium. Sed quid influxum ſufflaminarit, difficilioris eſt indaginis, ita tamen mecum ratiocinabar.

Muſculos ipſos, qui movent Oculum & Palpebram, eſſe læſos non eſt cenſendum, quia nullum apparuit alliſionis ſignum. Ergo vitium quærendum intra cranium, aut in Nervis ſecundæ conjugationis, qui ſpiritu tranſmiſſo animant hos muſculos, aut in ipſo Cerebro. Si in Nervis, ruptione eliminatâ, ad obſtructionem ſive compreſſionem confugiendum erat, quæ ſit vel à ſanguine extravaſato, vel ab humoribus aliis impetuosè in cerebro agitatis & in principium Rami dicti effuſis. Non enim impoſſibile videtur ut humor aliquis in ſubſtantia cerebri collectus, in ipſam Nervorum ſubſtantiam ſe inſinuet, judice *Sennerto M. Pr.* 1. 2. 26. *p. m.* 517. Cauſam hanc agnoſcit in Guttâ ſerenâ ex medicamento purgante ſubitò ortâ *Idem M. Pr.* 1. 3. 36. *p.* 851. Ex ſternutatione *Guil. Fabrit. C. l. obſ.* 81. *in Edit. Germ.* 24. *Flaterus l.* 1. *Pr. p.* 239. An veriùs oculi læſio ex læſione Muſculi temporalis derivanda? Ita enim C. Bauhinus *Theatro Anatom. l.* 3. *c.* 20. *f. in quibuſdam, licet rariùs ramulus* (ex ſecunda ſc. conjugatione movendis oculis deſtinatâ) *ad Muſculum temporalem mittatur, unde ſæpe læſo temporali muſculo oculus quoque læditur, & vice verſa*: Sed etiamſi Paralyſis hæc particularis attribui poſſit Nervis ſic affectis, connexorum tamen Symptomatum cauſa quærenda videtur in ipſo Cerebro, cujus commotio violenta ejuſmodi fructus producit, qui ſupra ſunt recenſiti. Videatur prolixè de Commotione Cerebri Sennertus *M. Pr.* 1. 1. 20.

His ita penſitatis Prognoſtico quidem me terrere potuiſſet Ballonius *l.* 2. *Conſ.* 1. *& l.* 3. *c.* 71. Morborum Cerebri ut notitiam, ſic Curationem eſſe difficillimam: ſed cum ſenſiſſem Facultatem Animalem ſenſim ad ſe rediiſſe, & Symptomata enarrata, præter Oculi Paralyſin, maturè plurimum eſſe mitigata, ita ut eques poſtridiè ſine incommodo domum reverti potuerim, animum non dejeci, fretus Dei & naturæ magis quam remediorum auxilio. Integerrima enim valetudine tam totius quàm capitis uſus ſum per vitam, ideoque vigore Cerebri nativo ſperavi omnia fore reparabilia. Auxilia adhibita, ut pauca, ita paucis referam. A motu vehementiore & vino totus abſtinui, Fontem Chirurgicum deſerui , quia ex mitigatione Symptomatum ſanguinem extravaſatum non timui , nec urgebat Ophthalmiæ aliquod veſtigium. Ad Evacuationes univerſales potiſſimum confugi ex monitu Ballonii *l.* 2. *Conſ.* 15. *Procurant ſemper Veteres alvi libertatem, quod ea unica ſit morborum Oculorum medela , qui alioquin alia remedia eludunt , ni alvus aut arte aut ſponte ſolvatur.* Frequentatæ præterea ſunt indies Evaporationes herbarum Cephalicarum & Nervinarum ; Poſt has impoſiti ſacculi ex foliis Majoranæ, fl. Lavendulæ, Roriſmar. &c. qui aquam Apoplecticam imbiberent. Interceſſit ſubinde Collyrium ex Sacc. Plumb. in aquis convenientibus ſoluto, tàm ad præcautionem inflammationis , quam excitare potuiſſent auxilia calidiora, quàm ad Pupillæ dilatatæ qualemcumque coarctationem. Maſticata ſunt Cephalica, Nux Moſchata, Macis, Cubebæ.

Cum per ſeptem circiter Hebdomadas ex Auxiliorum horum uſu ratione Paralyſeos nihil levaminis ſenſiſſem, ad decoctum rad. Chinæ & L. Saſſafras tandem deſcendi ex monitu Brunneri. *Conſ.* 28. *Ad Morbos Capitis L. Saſſafras peculiari quodam Dei beneficio eſt accommodatiſſimum.* Addi poſſet *& Oculorum*, quod Lignum hoc jure recenſendum ſit, ex ſigno odoris, inſtar Fœniculi, inter Specifica ophthalmica. Interim Javoram vocatus, ad liberaliorem vini hauſtum, à quo hactenus abſtinueram, ab amicis ante diſceſſum incitabar. In reditu capite ſupinus ſedens & ſubinde dormiens , ex motu currus cerebri commotionem non levem , eamque priori morbiferæ oppoſitam , inſcius repetebam , ex quo Paralyſeos Palpebræ correctionem qualemcumque evigilans ſenſi ſtatim, quam intra paucos dies integra ſequebatur ſolutio.

Hic inquirendum , num Auxiliis prægreſſis vis hæc ſit aſſignanda ; Num Vino, juxta Hippocr. §. 31. *l.* 6. *ubi* Heurn. Interpres : *Cum craſſus oculos occupavit ſuccus, hunc vinum calidum & tenue diſcutit.* Num potius motui contrario. Si huic ; Sternutationes aliàs in affectibus oculorum prohibitæ, ſi illas ſupinus jacens provocaſſem , efficaciâ ſuperaſſent omnia remedia. Hac hæreſi irretitus poſthac Localia intermiſi , nec amplius à vino abſtinui, & ſternutationes crebras admiſi.

Quantum autem gaudii poſt reditum excitabat Palpebræ apertio, tantum doloris oculi immobilitas reſidua. Objecta enim omnia apparebant mihi duplicia , & pejor hæc erat viſus conditio , quam dum oculus eſſet occluſiſſimus. Si quid accuratè viſu dignoſcendum, alter oculorum erat manu claudendus, quod niſi fieret, aut pes, aut manus errando excitabat riſum. Cauſa duplicis hujus viſionis erat ſitus pupillæ immobilis verſus angulum exteriorem, ob quem objecta pupillis in duplici ſitu conſtitutis, non in uno parallelo offerebantur, niſi viſibilia dextrorſum conſtituta eſſent, ut Pupilla ſana ſequeretur immobilem. Cauſa ſitus hujus erat ſine dubio muſculus, qui oculum ad exteriorem angulum trahit, illæſus ; quemadmodum veriſimile eſt, muſculos oculorum in hiſtoria Salmuthii fuiſſe illæſos , qui oculos ſurſum trahunt.

Tandem tamen hebdomadum paucarum ſpatio etiam hoc vitium ſenſim correctum eſt, ita ut jam nihil habeam quod conquerar, niſi pupillæ dextræ amplitudinem quandam, & viſus, qui antehac erat acutiſſimus, qualemcumque obſcuritatem, adeò ut, ſi aſſequenda ſunt objecta minuſcula, noctu præſertim ad lucernam, opus ſit conſpiciliis. Objecta tamen quò longius remota, eò perfectius pupillam dilatatam ingrediuntur, ita ut cum oculo viſûs acutiſſimi certare non erubeſcam. Quod ſi correctio hæc deſcriptæ Paralyſeos non tribuenda remediis, exclamandum cum Ballonio *l.* 1. *Conſ.* 106. *ex Celſo l.* 7. *c.* 1. *Oculi à medicis diu divexati ſine his*, ſolius Dei & Archæi ope, *interdum ſaneſcunt.*

[*D. Sigiſmund. Graſſius à Svidnicio Uratiſlav. ad D. Sachſium.*]

OBSERVATIO LXXII. PHYSICA.

D. PHILIPPI JACOBI SACHS à Levvenheimb.

GAMMARI AMARI SILESIACI, ET ALIA MIRA Cancrorum.

Mentionem feceram *in Gammarologia Curioſa* L. 1. c. 15. p. 326. ſingularium *Aſtacorum* fluviatil. in Franconia ex fluviolo VVIERA Schvvinfurtum alluente, quos *Doldfrebſe* vocant, quod dum coquentur, ex ipſorum cerebellis aureus quaſi liquor tranſſudet, inſtar olei è vitellis ovorum; quam ſingularem pinguedinem *D. Joan. Michaël Fehr. Colleg. Curioſ. Argonauta* ſolo uliginoſo aſſcribit. Nunc aliam dabo *Gammarorum ſingularem ſpeciem* à nemine adhuc memoratam, & in Gammarologia omiſſam. Rivus eſt in extremitate *Sileſiæ*; *Sileſiæ & Poloniæ* limites interſecans, in Ducatu Glogovienſi, Obra dictus, magnitudine *Vveidam* itidem Sileſiæ fluviolum æquans: ille ex Poloniæ finibus veniens, ubi oppidulum *Meſeriz* tranſiit, *Vvartæ* fluvio illabitur, & cum hoc *ad Caſtrinum Viadro* jungitur. In toto hujus *Obræ* tractu & littoribus uliginoſis, creſcit ingens copia calami Aromatici ſilveſtris; hujus radicibus avidè veſcuntur ibidem *Gammari*, vulgari modo (minus tamen rectè) *Cancri* dicti; unde cocti & cibis adhibiti *ſaporem* ſemper exhibent *amarum*, non tamen ingratum, quin ob hoc nutrimentum ex calamo aromatico attractum, ſaluberrimi ſunt, & viſcera primæ regionis apprimè roborantes. Primam horum mentionem in Litteris mihi hoc ipſo anno fecerat *è Vienna* Exc. Dn. *D. Fridericus Ferdinandus Ilmer à Vvartemberg Inſtit. Med. Prof. P. Viennæ*: plenius eamdem narrationem mihi ore tenus confirmavit *Adm. Rev. P. Auguſtinus* Gainitius modo Soc. Jeſu in Colleg. Uratiſlav. Rector, non auritus, ſed ocularis teſtis. Is cum ante aliquot annos in oppidulo *Vvartemberg* in Ducatu Glogov. ſito aliiſque vicinis pagis cis

& ultra Viadrum, (quorum pars OBRÆ fluvio adjacet) ad Societatem pertinentibus, nomine Societatis Adminiſtratorem ageret, ſæpiuſculè iſtos *Amaros Cancros ex Obra captos* menſæ adhibuit, eorumque ſalubri eſu adeo delectatus eſt, ut communes dulces poſtmodum nauſeabundo averſaretur ſtomacho. Hi ipſi *Gammari amari Maximo* cuidam *Principi* aliquoties oblati, tam ſapidi judicati fuerunt, ut teſtatus fuerit, ſe nec in Hiſpaniæ, nec Italiæ, nec Galliæ itineribus tam ſalubres, aut tam gratos ſapore inveniſſe. Idem P. *Gainitius* promiſit brevi ſe procuraturum, ut tales *amari Gammari* pro confirmanda dictorum veritate Uratiſlaviam deferantur.

In eâdem *Gammarologiâ L. I. c. 8. p.* 163. *&* 176. mentionem feceram *Cancrorum* ſingularium Aquarum vi & facultate lithopœtica *petrefactorum:* quorum narrationem cum perlegiſſet Exc. Dn. *D. Carol.* SPONIUS *Medic. D. è Montepeſſulano, & Collegii Medici Lugdun. Gallor. membrum Nobiliſſimum*, pro ſingulari in me favore Litter. Anno 1666. *Lugd. Gallor.* ad me datis maximè memorabilem hanc ſubjicit hiſtoriam: Præter tot alias, inquit, quas proponis obſervationes de *Cancris petrefactis*, patere quæſo, ut ſequentem adjiciam, excerptam è Libro Lugdun Batav. 1665. Gallica lingua excuſo, cui titulus: *Ambaſſade de la Compagnie Orientale des Provinces Unies vers l'Empereur de la Chine* pag. 62. his verbis: Dans la Mer proche l'Iſle d'Aynan, voiſine de la Chine, on trouve des Ecreviſſes, qui ſe remuent, qui mangent & mordent en l'eau comme les noſtres: mais qui meurent incontinent qu'elles en ſont tirées & s'endurciſſent en pierres: *hoc eſt*: In mari prope Inſulam Aynan Chinæ vicinam inveniuntur *Cancri*, qui ſe movent, qui comedunt, qui mordent in Aqua more noſtrorum, ſed illicò moriuntur aquis extracti, *& indurantur in lapides.* Mira ſanè Cancrorum natura, & quaſi Corallis æmula: de Corallio etenim ferunt, quod.

——— quo primum contigit auras
Tempore durеſcat, mollis fuit herba ſub undis:

aut quod de Perlis narrat *Ludovic. Moſcardi in Muſeo L. III. c.* 16. *f.* 199. La perla nell'acqua e tenera, ma ſubito fuori s' indura.

Jacob. BONTIUS Bataviæ in Inſula Java medicus Ordinarius, & Orientalium rerum gnariſſimus, *Cancri* ſpeciem ex India proponit coloris viridis dilutioris, ſcuto levi & orbiculari ſupra dorſum, cum cauda prælongâ & in fine inſtar ſpiculi acutâ, quâ læſi non minorem dolorem ſentiunt, ac ſi à ſcorpione tacti *lib.* 5. *Hiſt. Ind. c.* 31. *Idem* eodem in loco aſſerit, quod in *Gammarol. L. I. c.* 22. *p.* 495. *ex Aldrovand. & Nierenbergio* adduxeram, in India, quod mirandum, *plenilunio cruſtracea* omnia eſſe inania, decreſcente vero Lunà impleri, contrario modo quam fiat in patria & in Europa. Oculatus itaque *Bontius* teſtis eſt, & cui fides plenaria adhibenda ſit, cum aliquorum Authorum relatio, tanquam auritorum ſaltem, ſuſpecta viſa fuerit *Rev. P. Theodor. Moreto in Gammarol. p.* 497. & cauſam hujus diverſitatis in Lunæ operatione exponat *Iſaac Voſſius de Nat. maris c.* 16. *p.* 71.

Tandem quod in *Gammarol. l.* 1. *c.* 24. *p.* 519. aſſerui, Aſtacos majores, ipſos *Homines vivos* non minus quam *mortuos devorare*, *id Idem Bontius l. 5. Hiſt. Ind. c.* 29. adſtruit, qui in Inſula Jara ad Littus deambulans vidit circa mare fluctuans Javani occiſi *cadaver* pleniſſimum magnis *ſquillis*, qui lautiſſimum ex hoc cadavere habuerunt Convivium.

OBSERVATIO LXXIII. PHYSICA.

D. THOMÆ BARTHOLINI.

CRYSTALLUS ISLANDICA.

De *Cryſtallo Iſlandico*, Talci ſpecie, ut mihi videtur, commentatur quædam frater *Dn. Eraſmus Bartholinus.* In eo cryſtallo, quod mireris, duplex refractio oſtenditur in eodem diaphano; quarum una neutiquam ſe conformat ad Leges antiquas refractionis ad perpendicularem Lineam.

[*D. Bartholin. Litt. è Hafniâ ad D. Sachſium.*

SCHOLION.

Plin. *l.* 37. c. 2. *cryſtallos optimas* judicat, quæ naſcantur in locis ubi hiems nives glaciare ſoleat: ſed falsâ nititur hypotheſi, quaſi cryſtallus nil aliud eſſet quam aqua glaciata: cum ſi hoc verum, cryſtallus calore rurſus poſſet diſſolvi, imo glacies perpetuæ in Alpibus (quales in Helvetia in ditione Bernenſi *der Blatſchenberg* quotidie glaciata incrementa ſumentes. *Zeiler. in Topograph. Helvet. f.* 25. tandem in cryſtallos degenerarent. Naſcitur potiſſimum in formâ hexangulâ, nec unius ſemper eſt coloris, uti videre eſt apud *Lud. Moſcardi* in Muſeo *lib.* 2. *c.* 48. *f.* 147. Invenitur etiam in Bohemiæ & *Sileſiæ* Montibus, notante *Schvvencfeld. in Hiſtor. Foſſil. Sileſiæ p.* 376. Paucis abhinc annis copiosè magnis & nitidis fruſtis *Cryſtalli* ex monticulis fortuitò eruti fuerunt *in Sileſia* in Ducatibus Illuſtr. & Celſiſſimi Principis Lygio-Bregenſis CHRISTIANI in Pago *Pruforn*, qui non ſolum pro exornandis annulis loco Adamantum adhibiti fuerunt, ſed & præter innumera alia, ex iis candelabrum cum plurimis ramis, eximiæ pulchritudinis affabrè elaboratum in Aulâ Ducali vidi; & Exc. *Bartholino cent.* 6. *Epiſt.* 74. narravi, qui *in Reſponſ. Epiſt.* 75. *p.* 445. memorat tria candelabra ampliſſima *ex cryſtallo* in uno cœnaculo Arcis Hafnenſis appenſa videri, & ſplendido Lumine cœnaculum colluſtrare.

[*D. Phil. Jac. Sachs à Leuvenh.*]

OBSERVATIO LXXIV. ANATOMICA.

D. JOAN. GEORGII GREISELII.

APOPLECTICORUM ANATOME.

QUotquot Apoplexia aut Catarrho ſuffocativo mortuos aperui, in omnibus corpora illa calloſa, viſcida ac glutinoſa aut in corde, aut in Cerebro, aut in ambobus aliquando reperi, de quibus ſcribit *Joan. Jacob. Vvepſerus* in tract. de Obſervat. ex cadaveribus Apoplexia extinctorum.

[*D. Greiſel. in Litt. e Viennâ Uratiſlaviam.*

OBSERVATIO LXXV. PATHOLOGICA.

DN. JOACH. GEORG. GREISELI.

HÆMORRHOIDUM FLUXUS ALBUS.

VIro cuidam 49. annorum perpetuo valetudinario, poſt purgationem maialem *Hæmorrhoides*, ut aperire curaret, conſultum fuit, quibus apertis, exivit *materia inſtar ſpermatis* Ranarum ad libr. X. cum jactura tamen virium: convaluit ab hoc momento, liberatuſque fuit à ſuo diuturno morbo & millenis aliis accidentibus.

OBSERVATIO LXXVI. ANATOMICA.

D. LAURENT. VVOLFSRIGEL.

OS CUNEIFORME IN PUERIS.

OS *cuneiforme* ex tribus, non quatuor partibus, in nuper natis & abortivis fœtibus, quos frequenter diſſeco, conflatum, contra *Fallopium* & *Riolanum* ſæpius obſervavi: tum & primam illius partem, quæ Sphœnoidea ſella dicitur, in fœtu perforatam reperi, contra ac in adultis.

[*D. Laur. Vvolfſrigel in Litter. Viennâ Uratiſl. ad D. Sachſium.*

OBSERVATIO LXXVII. PHYSICA.

Dn. JOANNIS JACOBI PISANI.

FLAMMA EX VENTRICULO.

F*Lamma ex ventriculo* prorumpere & Spiritus vini accenſi inſtar cremare cernitur ex animali, ligato prius ſtrictiſſimè ore ejus ſuperiore & inferiore filo validiſſimo, non tamen more Anatomico, ſcilicet per medium ligati interpaſſo, ſed ſolum ſimplici ligatura fortiſſimè cincto. Tali modo ligatus *Ventriculus* ſupernè quidem ſupra, infernè vero infra ligaturam exſcindatur, comprimaturque binis manibus taliter, ut in una parte ſit quacumque turgens ac eminens evadat. Hoc peracto læva manu teneatur, ne diſpareat eminentia; dextra vero cultello Anatomico (adaptata prius ab adſtante aliquo candela digiti latitudinis diſtante) expedite aperiatur: videbitur *flamma* inibi concepta coloris quaſi cœrulei prodiens ad tempus quo Oratio Dominicalis recitari poteſt, quandoque ardens, & hanc flammam tali ritu *non ſolum in ventriculo*, *verum & in Inteſtinis* Curioſis Naturæ Scrutatoribus reperire licebit. Inventor hujus flammæ me præſente extitit Bononiæ Anno 1669. Exc. Dn. D. *Andreas Vulparius* Ph. & Med. D. ibidemque Anatomiæ Prof. Pub. *D. Piſani Viennæ communicavit D. Georg. Sebaſt. Iung.* à quo *Uratiſlav.* tranſmiſſa fuit Obſervatio.

SCHOLION.

Flammam ex *Ventriculo* in *viventibus* Hominibus interdum *à cauſa manifeſtâ* quoque prorupiſſe, cum ipsâ Experientiâ atteſtantur Optimorum Authorum teſtimonia. Sic Polonum Equitem tempore Reginæ Bonæ Sfortiæ, ſumptis duobus *ardentis vini* cyathis, *flammam evomuiſſe*, exindeque combuſtum *D. Adolph. Vorſtius* narravit *Th. Barthol. Cent. I. hiſtor.* 70. *p.*121. *Idem* alia 3. habet exempla *Cent. III. hiſt.* 56. quibus *flamma*, propter *copioſum ſpir. Vini hauſtum*, *eruperat*, quorum duo ſuffocati perierunt, tertius frigidâ aſſumptâ (aut quod melius, lacte caprino) reſtitutus fuit. Et ſolent hujuſmodi ebrios in ſitum ſupinum collocare, ut pateat flammæ exitus, ne ſuffocentur. Repetit hæc Exempla *Cl. Barthol. in de Luce Animal. lib.* 1. *cap* 18. *p.* 154. non minus, quam in binis prioribus Locis narratam hiſtoriam *de Flamma ex ventriculo* ſecti *cadaveris erumpente*. Nam cum Lugduni Gallorum Mulieris cujuſdam *cadaver*, ut mortis cauſa inveſtigaretur, reſecaſſent Medici, *ingens* ex *ventriculo* prorupit *flamma*, univerſum loci ambitum complectens, quæ parva interpoſitâ morâ, diſparuit, uti ad *Renatum de Moreau* Lutetiam perſcriptum fuit. Cauſam illius aſſignarunt vel ſpiritui vini largius poto, vel calidiori Theriacæ aquæ ſumptæ.

Sed *Meteora* iſta *ignita in Microcoſmo* ex halitibus unctuoſis & ſulphureis admotâ externi Luminis flammâ facilè accendi poſſe non alia ratione, quam ſupra *obſ.* 33. *flamma ex puteo* proſiluit admoto cereo, credibile eſt. Eo modo *coruſcationes* Microcoſmi coruſcationibus æmulas parare docet *Kircher. in Magnet. lib.* 3. *p.* 2. *c.* 3. *p.* 54. hâc ratione: Nitrum Sulphur camph. naphtam ana commiſcet & ſpir. vini diluit, diluta in cucurbit. ſuper ignem ponit, ut vini ſpiritus ſulphureus nitroſis bituminoſiſque ſpiritibus fœtus evaporans, ſe longè lateque diffundat, unde ſi arrepta candela medium hujuſmodi vapidum perſtringatur, in momento totus vapor in flammam accenditur, in loco obſcuro fulgur perfectè mentiens. Eleganter quoque id explicat *Fortun. Licetus* in *lib.* 2. *de Lucern. Antiq. cap.* 23. *fol.* 96. Si ſpir. vini vas repletum inflammetur, & in aliquam capſulam reponatur, ne fumus exeat, poſt multas horas apertâ capſulâ nil ſpir. vini occurret, ſed intromiſſo ardente cereo ſtatim ob tenuitatem fumus ille inviſibilis ex ſpir. vini combuſto ſublatus, concipiet ignem, & in ardentem flammam ſeſe circumſtantibus in conſpectum dabit, potiſſimum in loco non nimium illuſtrato.

Hâc ratione quod *præſenti obſervatione per Artem* fieri poſſe docetur, ut *ex Ventriculis diſſectorum flamma* prodeat; id *caſu fortuito* præterito ſæculo in Italiâ quoque accidit *Piſis* in Theatro Anatomico, dum cum Anatomiæ Præfectus candelam ceream accenſam in manibus teneret, propè locum diſſectionis, illius igne *flatum* halitumque pinguem, fortuito caſu *è diſceſſo ſtomacho egredientem*, *inflammavit*, quod tum temporis caſui præſentes *Franciſc. Bonamicus* egregius Philoſophus, & *Ioan. Ruſchius* Anatom. Prof. Piſis *Fortunio Liceto* communicarunt. Accidit hoc Anno 1597. in muliere diſſectâ, quæ ante obitum 4. dibus nihil aſſumpſerat, corpus vero adeo ei flatibus tumidum, ut falsò prægnans habita fuerit. Cum deveniret ad ventriculum, eumque teneret *Ruſchius* manu ſiniſtrâ ſatis arctè, ipſumque turgidum ac durum eâ parte redderet, ſublatâ primâ tunicâ peritonæi communi, & duarum propriarum diſſectâ carnoſiori externâ, dum gladiolo punctim perforaret internam, adſtante Scholari quodam cum candelâ, repente & inopinato *foras* exiit à facto foramine *flamma*, continuo cum ſtrepitu perdurans illud temporis ſpatium, quo ter dici potuit: *videte, videte, vide*-*Color flammæ* inſtar picis græcæ aut Sulphuris ardentis, flavus ad viridem inclinans, abſque tamen notabili odore. Diutius putarunt duraturam fuiſſe flammam, niſi *Ruſchius* eâ territus, manum à compreſſione ventriculi remouiſſet. Hæc *Ruſchius l. a. ad Fort. Licet. f.* 94.

Idem *Licetus l. a. f.* 96. *ex Inteſtinis* quoque *in Viventibus flammas* eructari ridiculâ docet Hiſtoriâ. Nam cum Chirurgus candenti ferro excreſcentias carneas adoleſcenti ſuccubo circa nates inureret, *flatus* ex ano in ferrum ignitum irrumpens, *flammam* repentè concepit, non ſine adſtantium riſu. Quod ſcurris quoque non infrequens, qui admotâ candelâ poſterioribus, & coligis conſtrictis erumpentes flatus accendere ſolent, de quo etiam *Rodulph.* in *Phyſiolog. crepitus ventr. probl.* 16.

De flammis è cadaveribus latius aget *L. Chriſt. Frider. Garmannus Academic. Curioſus* in proximè prodituro tractatu *de Miraculis Mortuorum lib.* 1. *cap.* 7.

[*D. P. J. Sachs à Levvenh.*]

OBSERVATIO LXXVIII. PATHOLOG.

D. JAC. JOAN. WENCESLAI DOBREZENSKY DE NIGROPONTE.

MORS HORRIDA FEBRE MALIGNA LABORANTIS ruſtici.

ANno 1666. Menſe Septembri graſſabantur hinc inde in pagis Boëmiæ *Febres malignæ.* Contigit, ut in pago quodam Illuſtriſſimi Domini *Comitis de Milleſimo*, quidam robuſtus vir eâdem corriperetur, quâ incrementum ſumente, tantum delirium ſucceſſit, ut 7. perſonæ fortes habuerint quod agerent cum ægro, ad eum continendum. Objectum autem delirii ejus erat, *Ventrem ſuum ſcatere vermibus* ſeu lumbricis, unde ſe torqueri ab iiſdem affirmabat. Poſt aliquot dies videbatur delirium remittere, unde ad quietem ſeſe componente ægroto, adſtantes quoque quieſcere cœperunt. Interea patiens, omnes alto ſomno ſtertentes conſpiciens, ſeque liberum ad motum perſentiens, novo œſtro delirii percitus, ventrem aggredi, &, ut robuſtus erat, umbilico excerpto, *inteſtina continuato ordine extrahere cœpit*, in tantumque extraxit, ut jam medietas illorum educta fuerit. Interea neſcio an caſu aut ſtudio unus ex adſtantibus quid agat patiens aſpiciens, eumdem crudeli labore implicitum advertit, convocatis ſociis adque impediendum ægrum ſeſe accingentibus, obteſtatus eoſdem eſt æger, ut ſe ſinant & non turbent in extrahendis è corpore ſuo lumbricis. Non diu perſtitit ſic æger, ſed ſenſim imminutis viribus crudelis Laboris pertæſus, obiit.

[*Ex Litteris è Pragâ ad D. Phil. Iac. Sachs à Levvenheimb.*]

* * *

OBSERV. LXXIX. PHYSICA.

D. JAC. JOAN. WENCESLAI DOBRZENSKY DE NIGROPONTE.

ARTIFICIALIS PYGMÆORUM EFFORMATIO.

Vivens adhuc noſter Pragenſis Æſculapius, *D. Joannes Marcus Marci à Kronland*, Philoſophus, Mathematicus & Medicus celeberrimus, hoc *mihi* reduci ex Italia inter privatos diſcurſus recenſuit. Se nempe à Viro Religioſo conſultum fuiſſe an *medium efformandi Pygmæos* foret naturale aut à Dæmone, hoſte humani generis, ad deturpondam figuram humanam excogitatum: Fuiſſe enim virum quendam egenum, qui proles ſuas à die nativitatis ſolitus eſſet Unguento quodam per ſpinam dorſi & juncturas artuum ungere, ita ut poſtliminio exſiccatâ medullâ ſpinali, aut induratis oſſiculis non poſſent accreſcere, ſed puſilli manentes, Magnatibus oblati, & ſimul gratioſi, alimoniam parenti conciliarent. Uſum autem ſe fuiſſe triplici Adipe ex animalculis minimæ magnitudinis, ut ſunt Glis, Veſpertilio & Talpa.

Inferrem ego vice verſa, *homines proceræ magnitudinis poſſe effici*, ſi Unguentis ex animalibus proceris & multum humidi nativi habentibus, medulla ſpinalis & juncturæ artuum inungerentur.

Medium, meo judicio, omnino naturale hîc conjicio, & non abſque manifeſtâ ratione: poteſt enim in Adipibus illis adeſſe vis exſiccativa, unde inuncta oſſa, & præcipuè medulla ſpinalis, ex Recentiorum ſententiâ, incrementum ſumere prohiberentur, ut fieri videmus cum caniculis, quos parvos habere deſideramus, ſi ſtatim à die qua naſcuntur, iiſdem pedunculi & ſpina dorſi ſæpius ſpiritu vini inungantur, quod practicari non ſemel Bononiæ, ubi multi ex illis quæſtum ſibi comparant, vidi, adeoque ſi pro mole parva id fieri video, conjicio id vice verſa in majorem molem efficiendam derivari poſſe. Et non malè ſuſpicor, ſcio enim quendam Hominem hîc Pragæ, qui aliàs ex Parentibus mediocris ſtaturæ genitus eſt, quia tamen in juventute ſuâ macie Hecticâ correptus fuerat, duorum ferè annorum ſpatio ab amicis, unctionibus multam fidem dantibus, perpetuo per ſpinam dorſi & coſtas unctus, in tantam poſtea proceritatem excrevit, ut jam ſit vir ſpectabilis & parentes ſuos ſtaturâ multum anteeat. Uſum autem ſuperius allati medii, utpote deturpantis figuram hominis, condemno.

[*Ex Litteris Pragâ ad D. Phil. Iac. Sachs à* **Levvenheimb.**]

OBSERVATIO .LXXX. PATHOLOGICA.

D. JAC. JOAN. WENCESLAI DOBRZENSKY DE NIGROPONTE.

ILLUSTRISSIMI HYPOCHONDRIACI MORS MISERA ab inunctione Mercuriali.

COntigit in Bohemia noſtra (Locum & Perſonam obticeo) quod Illuſtriſſimus quidam, Temperamenti calidi & humidi cum prædominio Bilis, vitæ cœlibis, à multis annis variis concurrentibus cauſis, quas longum eſſet recenſere, de obſtructionibus Hypochondriorum conqueſtus ſit, unde pro tollendis iis varias curas adhibuit, inter quas etiam erat ante aliquot annos ternus uſos Thermarum Carolinarum, quas profuiſſe eidem Illuſtriſſimo, in confeſſo fuit. Quia autem videntur errores in Sex rebus non naturalibus interea ſucceſſiſſe, non attenta corporis debita expurgatione, factum eſt, ut in corpore colligerentur humores craſſi & viſcidi, qui cum alimento tranſlati ad juncturas artuum, denegato corpori omni exercitio, ibidem loca figentes, effecerunt artus ita debiles, ut Illuſtriſſimus ille inhabilis foret ad deambulandum, & ſeſe de loco in locum movendum, unde vitâ ſedentariâ coacte, accedente maxime tempore hyemali, prohibitâ tali pacto inſenſibili tranſpiratione, alimentis boni ſucci interea corpori ſuppeditatis, aggregatio ſit facta humorum craſſorum & viſcidorum, qui de die in diem magis & magis corpus inhabile reddiderunt ad quæcumque exercitia motus exequenda.

Multa in hanc rem fuerunt, ut intellexi, adhibita, tamen non cauſa ſed Effectus curabatur, ut fuerunt Balnea, confortandorum cauſa Nervorum ex rebus calidiſſimis confecta, quæ materiam illam in juncturis hærentem magis incraſſarunt & exſiccarunt, Inunctiones, Frictiones, & neſcio quæ alia cum nullo denique Illuſtriſſimi patientis levamine. Tandem hac hyeme præſentis anni 1670. neſcio quis curam propoſuit inungendi artus cum Unguento Mercuriali, id eſt in quod Argentum vivum ingreditur, quod quidem præviis corporis purgationibus univerſalibus potens eſt materiam in artubus hærentem diſſolvere, & poſtea illam per venas corporis circumportando ad palatum protrudere, & eandem per ſputum, quem Ptyaliſmum vocamus, expellere. At cum quanto id fieri periculo ſoleat, pleni ſunt libri obſervationum, narrantium de iis, qui ſimiles curas ſuſtinuerunt, ita, ut niſi cautè cum iis proceſſum fuit, ultra vitæ periculum, aut Edentuli, Contracti, Tremuli, aut Paralytici aut Hydropici remanſerint; paucis evadentibus qui aliquod ſignum ex ſimili cura non reportarint; quamvis & aliqui evaſerunt, ſed ii intelligendi, qui robuſtæ naturæ & ad ſuſtinendam talem curam habiles fuere, morbumque ſimili curæ proportionatum &

Medicum attentum artiſque ſuæ peritum habuere. Inunctio autem hæc fieri ſolet tempore verno, non ultra quater, cubiculo calido, prævia purgatione & intermediis ſudoribus, ne Mercurius vi unctionis in habitum corporis impulſus, moras nimias in corpore agat, & Cerebrum Nervoſque frigiditate ſuâ venenoſâ partim inficiat, partim humores craſſos & viſcidos nimium commovendo, eoſdem prava ſua qualitate afflet, qui ad partes principes, ut Cor, Pulmones, Cerebrum, Hepar delati, ibidem novas obſtructiones cauſarent, unde Apoplexia, Lipothymiæ, Syncopes, Phthiſis & Hydrops ſequi poſſent.

Si enim talis materia per motum ſanguinis ad Cerebrum deferatur, cauſa eſt Apoplexiæ, Paralyſeos, Convulſionum, Spaſmi, Tremoris; ſi ad Cor, Lipothymiæ, Syncopes, Suffocationum; ſi ad Pulmones, Tuſſis, Phthiſeos, inflammationis; ſi ad Renes, ſuppreſſionis urinæ; ſi ad Hepar, obſtructionum, ſanguificationis læſæ, & inde concomitante ſuppreſſione urinæ, occaſio Hydropis. Hæc ergo mala evenire ſolent ſi materia talis in juncturis hærens moveatur, & non interdum dum in motu eſt, evacuetur, partim per ſudorifera, partim per diuretica, ſed idem libertas permittatur, ut copioſè ruat quo natura illam ducit.

Ut autem omnibus conſtet, quod hæc quæ de Unguento Mercuriali dixi, non ſint fors verba à me conficta, ſed ratione & experientia dudum à primariis noſtræ Facultatis Autoribus confirmata, loco omnium citabo Excell. Virum *Danielem Sennertum Pr. lib. 6. p. 6. c.* 17. de Argento vivo, tum crudo, tum ſublimato, tum præcipitato, ubi hæc habet:

Etenim Argentum vivum non extinctum, nec præparatum, ſi in corpore hæreat, ſtomachum & inteſtina lædit, non quidem pondere ſeu gravitate ſua, ut credit Dioſcorides l. 6. c. 28. ſed vi maligna ſua & erodente, flatus magnos excitat doloreſque ventriculi & inteſtinorum vehementiſſimos, iis ſimiles qui in Torminibus percipiuntur, quæ ab eroſione inteſtinorum contingunt, & aliquando dejectiones alvi liquidas, cum gravitate ſtomachi & gravedine totius corporis, & ſi diu retineatur & non egrediatur, accedit Urinæ ſuppreſſio, ob dolorem, qui fluxionem in partibus internis movet, quæ meatus obſtruit; unde poſtea totum corpus intumeſcit, & colorem plumbeum, ſive liveſcentem refert, ob humores ab eo infectos & inquinatos. Fœdum quoque ex ore ægri halitum emittunt, quem & ii percipiunt, qui in Lue Gallica Mercurio vivo inunguntur. Tandem inducit Paralyſin membris, quibus adhæret; aliquando etiam Epilepſiam, Apoplexiam, Syncopen, & ipſam denique mortem.

Eadem mala etiam Mercurium vivum extinctum, & inunctionem argenti vivi ſequuntur, ut videre eſt in iis, qui in Lue Venerea vel ſcabie iis unguentis utuntur, de quo ſupra Part. 4. C. 21. dictum. Hæc Sennertus.

Malâ ergo ſorte itum eſt in Conſilium ſuadentium ut Illuſtriſſimus huic curæ ſe committeret.

Commiſit ſe itaque anno 1670. Menſe Februario, nulli autem artis perito, ſed homini rudi & malæ conditionis, vero Carnifici; inunctiones factæ ſunt, non quater tantùm, ſed ſpatio trium Septimanarum, non obſervata penes eum regulâ ullâ, aërem vitandi, nam durante unctione illuſtriſſimus ſe aëri committebat, nec ullatenus purgato corpore; placuit enim cura tàm ægro, quàm adſtantibus, quod illuſtriſſimus Dominus Patiens ſine ullo remedio interno reſtitui priſtinæ valetudini poterit, inunctione toties reiterata, unguento hoc modo concinnato, & ſæpius repetito. Rec. *Farinæ de baccis lauri Unciam j. ol. d. Bacc. Lauri Unciam j. Cerußæ unc. j. ß. Maſtiches unciam j. Aluminis uſti unc. j. ß. Olibani unc. j.* ☿ *crudi unc. ß. Axung. veter. unc. iij. Camphor. Dragm. j.* Mota loco eſt materia craſſa illa & viſcida, quæ longa ſerie annorum in artubus delituerat, & tum loco movebatur, quia venenosâ qualitate imbuta ante non fuerat, ut alias tale remedium ſolet veneno luis Venereæ opponi, & quidem non temerè, ſed urgente neceſſitate, tum ſcilicet ubi Ligno Guajaco vel Salſaparilla morbus hic curari non poteſt.

Concepit pravam qualitatem à minerali illo: nempe argento vivo & more conſueto, ſpatio trium ſeptimanarum, exoneravit ſe pars materiæ illius per fauces, & ſolitam Palati & Gingivarum à pravitate ſua, ſive ſalſedine occaſionavit exulcerationem, cum periculo excidentiæ dentium: pars autem ejuſdem occupavit partes vitales, Cor, Pulmones; deinde ventriculum, Hepar, Lienem & Renes, unde difficultas ſpirandi, puncturæ Cordis, dolor Lienis, Urina pauca & accenſa, ſanguineum colorem referens, ſeſe inſinuabant.

Ptyaliſmo procedente & ad finem vergente, nec dum corpori reliquo, præſertim viſceribus prava qualitate infectis fuit proviſum: tandem & neceſſitate de die in diem creſcente concluſum eſt hic quoque providere, & Medicum, qui errores tam antiquos quam noviter factos corrigeret, advocare.

Sors ergo cecidit ſuper me, qui alias ante ſeptennium Illuſtriſſimo Domino in uſu Thermarum Carolinarum feliciter inſervivi. Vocatus ergo die 13. *Martii* illum lectulo decumbentem, vix artus moventem, ore fœtidam materiam, jam quidem in pauca quantitate expuentem, de mobilitate dentium conquerentem, de puncturis cordis & difficili reſpiratione lamentantem, urinam paucam & rufam emittentem nveni, unde cauſam horum affectuum reſcitam periculi plenam Illuſtriſſimo Domino pronunciavi: nam ſigna ex urina deſumpta ex mente Hippocratis mihi magnum quid in Illuſtriſſimi patientis corpore latere indicabant.

Signa ex Urinæ Colore.

Urina rubra vel rufa & tenuis, talis diu perſeverans, mala. *River. hiſt. Med. lib.* 3. *ſect.* 3.

Significat enim magnum caloris incendium, & inflammatoriam quandam diſpoſitionem in Hepate, aut ventriculo, aut Pulmonibus reſidere, à quo nulla concoctio, ſed aduſtio potius in humores introducatur, ideoque talis nulla urina diu perſeverans cum virium imbecillitate mortem prænuntiat.

Signa ex paucitate Urinæ.

Urinæ paucæ & tenues, & aſſumpto potui non reſpondentes, in quolibet morbo malæ. *Id. Rever. loc. c.*

Vel enim ſignificant Facultatis Expultricis & Secretricis imbecillitatem, vel calorem intenſum humiditates corporis exurentem; unde omnes ægroti, qui urinas paucas & tenues emittunt, paulo poſt obeunt. Item ſigna ex Reſpiratione me magis in propoſito confirmabant. Magna & frequens Reſpiratio periculoſa. *River. inſt. lib.* 3. *ſect.* 3. *c.* 2. Magnum enim incendium ſignificat & putredinem cordi partibuſque vicinis maximam, quæ cum multâ indigeat ventilatione, magnam & frequentem reſpirationem efficit. Unde cum nec dum corporis viæ expurgatæ fuerint, quo melius accedere poſſem cum medicamentis ad partes remotiores, *ij. Martii* ordinavi lenem Purgationem ſequentem: Reſp. Aqu. Laxat. Unc. iij. Mann. Calabr. Unc. *iß.* Crem. Tart. ſc. j. m. f. Potio: Poſtquam illuſtriſſimus Dominus ſepties cum alleviatione purgatus eſt. 12. 13. 14. 15. 16. *Martii*, ſecundis viis deobſtruendis & materiam ad exitum præparandis, ſicuti & viis urinariis reaperiendis, inſudatum eſt, cum juſculis ex herbis deobſtruentibus, aperientibus, & ſimul pectoralibus, exhibendo per vices ſpiritum ſalis marini, item Tinct ♂ doſi aliquot guttarum. Item ut à Corde & pulmonibus materia prava inibi ſtabulans revelleretur, ordinata fuit conſerva Roſarum cum Auro foliato, ob ſympathiam quam cum Argento vivo habet, & unicornu præparato, de quâ illuſtriſſimus Dominus bis in die bolum nucis juglandis magnitudine aſſumebat, & ſudorem eliciebat.

XVII. *die* iterum Illuſtriſſimus Dominus blando medicamento ex fol. ſen. cum Syr. diaſereos purgatus fuit. Et quia de dolore hæmorrhoidum conquerebatur, quæ ſi aperirentur, bona ſpes alluceſcebat, miſſum fuit pro chirurgo, qui

XVIII. *Martii* 4. Sanguiſugas Hæmorrhoidibus applicuit, à quarum uſu illuſtriſſimus ſe modicum alleviatum ſenſit.

Hoc decurſu temporis de die in diem paucior urina bis aut ter intra diem comparebat, reſpiratio difficilis continuabat, anxietates increbreſcebant, tumor pedum œdematoſus ſeſe inſinuabat, appetitus dejectus, ſitis intenſa, ſomnus vix aliquis. Illuſtriſſimus autem timens punctum Æquinoctii magis ſe perplexum reddebat, ſicuti & ipſum dies illa non fefellit.

Nam xix. *Martii*, præcedentem Æquinoctium in meris naturæ laboribus, anxietatibus & difficillimis reſpirationibus conſumpſit donec horâ tertia promeridinâ natura motum materiæ morbificæ procurans, fecit ut thorax liberior factus fuerit & aliqua pars materiæ à partibus pectoris mota, in partem dextram abdominis ſub Hepate inſtar libonis panis decubuerit. Bona ſpes quidem affulſit, ſi in reliquis ſymptomatibus quoque natura ſeſe emendaſſet. Sed à die

xx. *uſque ad* xxi. *diei* horam tertiam urina ſupprimi cœpit, ut vix ſemel illuſtriſſimus Dominus urinam quantitate trium cochlearium emiſerit, quod idem denuò xxii. & xxiii. die, & ſequentibus factum, ita ut ſpatio 24. horarum ordinariè primo modicum urinæ emittere ſolitus fuerit, & id circa quartam pomeridianam, aut circa occaſum ſolis. Interea tamen de cibo potulento, ut juſculo & hordeata, ob impotentiam maſticandi, parum, ſed de cereviſia in quantitate notabili ab illuſtriſſimo Domino epotum fuit; quia autem excretio non reſpondebat, ut fieri deberet, injectioni, unde omnia illa applicata ſunt tam interna quàm externa diureſin procurantia, tam lenia, ut Decoctum Nephriticum Foreſti, Hedera terreſtris, Oculi cancrorum, quàm fortia, ut ſal Succini volatile, Sal urinæ volatile, ſpiritus urinæ, ſpiritus ſalis armoniaci in appropriatis vehiculis; ſed nihil effectum eſt. Urinæ ſuppreſſio eadem continuavit XXIV. XXV. XXVI. diebus, quibus diebus adſtrictione alvi concominante, partim clyſteribus, partim Rob de Spina cervina cum pulvere Glalap. ad promovendas aquas, ſæpius proviſum fuit, cum exiguo tamen ipſius alvi correſpondentis effectu. Interea tumor pedum ultra genua progrediebatur; in Abdomine autem, decumbente illuſtriſſimo, ſnbſiſtebat, ſedente in ſellâ, in crura deſcendebat, nunquam tamen totaliter deperdebatur. Ipſum Abdomen tendi incipiebat, difficultas reſpirandi increſcebat, præſertim ſi lectulo decumberet, omnia in Hydropem tendere videbantur. Vires de die in diem collabeſcebant, quamvis tam internis quam externis primariis ex genere Pharmaceutico petitis remediis & cuique fere parti appropriatis, iiſdem iretur in ſuppetias, Aqua Perlarum, Conf. Alkerm, balſama odorata nullâ ferè horâ fuerunt intermiſſa; ſed hæc non niſi aliquod ſolatium illuſtriſſimo afferebant, & quaſi aliquod interſtitium modicum cauſabant, paulo poſt in priſtinos labores redeunte illuſtriſſimo.

XXVI. *dies Martii*, ut potè ſeptima ab Æquinoctio, uſque ad horam tertiam more naturæ ſolito quietior fuit. Ab horâ tertiâ autem urinæ ſuppreſſione continuante, Abdomine tumidiore cœpit inquietudo, anxietas, difficiliſque reſpiratio talis in illuſtriſſimo, ut nocte tota quaſi jam ſe ſuffocandum putaret. Retentum enim ſerum per totum corpus diſtribuebatur, & prout in hanc vel illam partem ruebat, ſuffocationem aut aliud aliquod lethale ſymptoma minabetur (ita enim Jacobus Cerpus in Iſagoge Anatomica, quendam ab urina hoc modo retenta ſuffocatum eſſe teſtatur, & Jacotius refert quendam in ſomnum & torporem lethalem incidiſſe;) unde anxietatibus creſcentibus ſub auroram diei XXVII. Martii, timens de aliquo inopinato eventu inſinuavi periculum his, quibus intererat, ita ut animæ & aliis provideretur. Hæc dum agebantur Illuſtriſſimus ab onere ſeri in corpore reſtagnantis magis & magis premi, unde etiam majoribus anxietatibus de horâ in horam corripi cœpit, ita ut inopinatus aliquis naturæ motus die ſequenti, id eſt nonâ, futurus metueretur, qui & xxviii *die Martii*, reſignatione omnium temporalium ab illuſtriſſimo Domino cum ſummâ omnium ædificatione peractâ, contigit. Nam ſub meridiem vomere cœpit in copia bilem flavam, cum tantis ructibus, ut timuerim ego de repentina ſuffocatione, quam illuſtriſſimus ſibi eventuram ex retentione ſpiritus metuebat: Vomitus etiam horâ 11. circiter incipiens, continuavit ad uſque horam tertiam pomeridianam, procedente vomitu livido & nigro aliquot vicibus, qui inter lethalia ſigna ab *Hippocrate* ponitur 2. *Prog.* 39. ſignificat enim hujuſmodi vomitus bilem porraceam, æruginoſam aut atram in corpore redundare, at hæ omnes bilis ſpecies malignos morbos atque lethales producere ſolent.

Cauſa autem talium humorum in Illuſtriſſimi Domini corpore, videretur fuiſſe venenum illud Argenti vivi occultâ vi corpus ejuſdem deſtruens; Etenim humores in corpore noſtro adeò ope illius degenerant, & tantam malignitatem acquirunt, ut iis partibus, in quas à natura detruduntur, Necroſin, hoc eſt, Gangrænam inducant. Ita *Sennertus* Pract. *l.* 5. *p.* 2. *c.* 19. *d. Gangr. & Sphac* Adhibitis variis ventriculum corroborantibus remediis internis & externis, vomitus ad occaſum ſolis ceſſavit, debili relicto ſummopere Illuſtriſſimo Domino. Hujus diei veſpere advenerunt duo Chirurgi, Dominus Kilianus & Dominus Nic. Stubenmayer, vocati ad ſuppetias ferendas Illuſtriſſimo Domino. Videns enim ego ſuppreſſionem Urinæ continuare, & ex eâ Tumorem pedum attolli, illumque in Abdomine remanere: incidit mihi, ſi interea Cauterio in illa parte tumida abdominis effecto, quo natura ſingularem copiam aquæ videbatur depoſuiſſe, ſuccurreretur, & ſimul etiam in tibiis veſicatoria applicarentur, ut ita natura ab onere aquæ in corpore reſtagnantis ſublevata, longiorem vitæ moram concederet Illuſtriſſimo patienti, atque exinde morâ impetratâ, ne aquæ reſtagnantes pravitate ſua viſcera inficerent, cauſæ ſuppreſſionis urinæ provideretur. Suppreſſio enim urinæ à ſeri ſecretionis actione læſa ortum ducens, jam novem diebus: ita enim *Sennert. l.* 3. *part.* 7. *p.* 2. *c.* 1. & quidem ſi æger ante ſeptimam diem iterum meiere incipit, ſervari poteſt, quod ſi ultra hoc ſpatium retineatur, etſi urina reddatur, plerumque tamen æger moritur. Conſilio ergo cum Chirurgis inito, Abdomini Cauterium potentiale, Tibiæ vero dextræ veſicatorium eſt applicatum. Nox illa poſt vomitum paulo quietior viſa eſt.

xxix. *Martii* Illuſtriſſimus Dominus mane denuo de difficili reſpiratione conquerebatur, unde ad ventilandum Cor & imminuendam inflammationem maſſæ ſanguineæ, abundante ſero refertæ, venam brachii dextri ſecari curavi ad uncias 4. circiter, authoritate etiam ductus eorum qui in ſuppreſſione urinæ eamdem proficuam ſuadent, non neglectis partim cordialibus & vires imbecilles reficientibus, partim diureſin procurantibus.

xxx. *die Martii* Illuſtriſſimus Dominus parum ſe vietiorem ſenſit ex ſomno eidem artificialiter procurato, quem à multis noctibus ambiverat.

xxxi. *Martii* mane miſit urinam Illuſtriſſimus Dominus Comes ad quadrantem Sextarii, veſperi iterum miſit aliquid. Hac die cum nullam ſedem habuerit illuſtriſſimus, poſt pulverem Gialapæ duo ſuppoſitoria veſperi applicata ſunt, ſed cum nullo effectu.

I. Aprilis Illuſtriſſimus Dominus totam diem in doloribus & anxietatibus conſumpſit, urinæ etiam mane ad Unc. x. excrevit, ſed tamen hæc nihil auxilii afferebat, nam quadruplo & ultra plus diu noctuque de Cereviſia (nam alium omnem potum medicum abhorrebat) ebibebat.

II. *Aprilis* nox inquieta ſicuti & dies fuit doloribus & anxietatibus intermixta, habuit illa die duas ſedes & aliquantum urinæ dimiſit. A 29. Martii huc uſque veſicatorium bonum effectum in emittendo ſero faciebat; Cauterium autem ob nimiam pinguedinem nullum adhuc de facto effectum præſtitit.

III. *Aprilis* iterum illuſtriſſimo pejor fuit prioribus, viribus multum collabeſcentibus, non obſtante, quod remediis confortantibus internis & externis continuo uſus fuerit. Nox mala ſecuta eſt, ita ut eam Illuſtriſſimus totam ſedendo tranſegerit, timens ſuffocari ſi jaceret.

IV. *Aprilis* paulo quietior viſa quoad anxietates, maximè poſt prandium.

V. *April.* inquieta & anxia magis magiſque fuit. Hac die varios appetitus comedendi hæc & alia illuſtriſſimus habuit, unde condita quædam aſſumendo, ſuper ea tantos dolores ventris habuit, ut eoſdem duobus granis Laudani compeſcere oportuerit. Hanc noctem totam inſomnem duxit cum frequenti potu Cereviſiæ Cirkavienſis, à triduo etiam jam extrema frigere cœperunt, manuſque ambæ tumidæ factæ ſunt; urina etiamſi bis in die mingeretur, pauca tamen erat, & minimè potui correſpondens, pedes magis magiſque tumidi.

VI. *April.* virium imbecillitatem nobis maximam attulit, manentibus omnibus cauſis, eam occaſionantibus, unde diu non duraturum, ſed deliquio repentino auferendum prædixi: Nox inſomnis, & ſi aliquis ſomnus superveniebat, ille laborioſus erat, unde *Hipp.* S. 2. in quo morbo ſomnus laborem facit, lethale.

VII. *April.* dum illuxiſſet, paulo alacriorem nobis illuſtriſſimum demonſtravit, ſed conſiderando illum, uno oculo nos aſpicere adverti. Unde Hippocr. mihi in memoriam revocavit, cum in morbo acuto oculus unus altero minor fiat, lethale. Interea nullâ quiete illâ die habitâ, ſed jam ad lectum, jam ad ſellam petente, tamen modico cibo ſumpto, circa horam ſecundam pomeridianam dum ita inquietus Illuſtriſſimus eſſet derepente paſſus eſt deliquium animi, ex quo modicum ad ſe rediens iterum recidit & agonizare cœpit, atque horâ quartâ & uno quadrante ſupra, animam Deo efflavit.

VIII. April. Cadaver illuſtriſſimi Domini apertum eſt, cujus partes internæ taliter fuere conſtitutæ. Abdomine aperto in *Stomacho* duo ulcera reperta fuere, præterea totum quod ingeſtum erat, atrum colorem referebat.

Hepar magnum, durum & quaſi coctum, in duabus partibus ſideratum. *Splen* totus putridus. *Renes* utrique duri & materiâ craſsâ viſcidaque referti, quæ obſtructio cauſa fuit ſuppreſſionis Urinæ. *Membrum virile* cum teſticulis totum quantum Necroſi infectum, eodem modo orificium *Veſicæ* compertum. *Omentum* circa veſicam inferius diſruptum & nigrum. In Thorace *Cor* magnum ſed flaccidum. *Pulmones* thoraci utriuſque lateris accreti, ab inflammatione nigri, & integra ſui parte materiâ purulentâ undique referti. *Femora* cum *Tibiis* Hydropicorum inſtar, aquâ tumida. *Cauterium* quod Abdomini applicitum fuerat, nec dum pinguedinem, quâ Illuſtriſſimus ad 4. digitorum craſſitiem pollebat, pertranſiverat. Infelix hoc fatum quare Illuſtriſſimo Domino acciderit ex præmiſſis & præſenti partium conſtitutione conjicere licet, Illuſtriſſimum Dominum fato cedere debuiſſe, neque poſſibile fuiſſe evadere, niſi divinitùs inſpirata remedia fuiſſent, quod hiſce Suppoſitionibus confirmo.

Suppono I. Illuſtriſſimum Dominum à longa ſerie annorum de affectione Hypochondrii ſiniſtri, id eſt, Lienis conqueſtum fuiſſe: Signum igitur eſt, hoc viſcus, aut à natura debile, aut per errores in rebus ſex non naturalibus commiſſis tale evaſiſſe; unde paulatim computruit; putridum autem viſcus, ut eſt Lien, in corpore diù permanens lethum inferre ſolet ſe ſolo.

Suppono. II. Sepoſita 1. Suppoſitione Illuſtriſſimus Dominus hunc morem habuit, ut bene comederit & biberit & nullatenus ſe exercuerit, ſed quaſi ſemper domi, niſi coactus, immobilis hæſerit: nonne per hoc multa aggregata, quæ alias per exercitium exhalaſſent, in corpore remanſerunt; corpuſque ſuperfluis humoribus refertum, ad putredinem concipiendam aptum reddiderunt?

Suppono III. Illuſtriſſimum ut gravedine illa corporis, quam moleſtam ſibi advertebat, liberaretur, variorum hominum remediis uſum fuiſſe, ſive illa ſecundum rationem fuerint, ſive non, nonne per uſum talium non repurgato corpore, humores magis impactos reddidit, & uſu variorum remediorum viſcera ſibi debilitavit?

Suppono IV. Inunctionem Mercurialem eſſe venenoſam.

Suppono V. Inunctionis Mercurialis infringi venenoſitatem, ſi in contrarium venenum habeat quod agat.

Suppono VI. Inunctionem Mercurialem ſoli Lui Venereæ, & quidem nec adhuc temerè, competere.

Suppono VII. Illuſtriſſimum Dominum Lue venereâ non laboraſſe.

Suppono VIII. Si ergo Lue venerea non laboravit, & non temerè illis debet inunctio Mercurialis adhiberi, qui illâ correpti ſunt, multo ergo minus illis qui illam non habent.

Suppono IX. Inunctionem Mercurialem inſinuatione ſuarum atomorum in corpus vim habere commovendi humores craſſos & viſcidos, & quaſi congelatos, per modum fermenti alicujus eos reſolvendo & fundendo.

Suppono X. Inunctionem Mercurialem non ſolum habere vim humores

commovendi

commovendi & fundendi, ſed etiam ubi non invenit quod agat, ſua venenoſa qualitate inficiendi & calorem nativum partium ſuffocandi, inibique gangrænam formandi.

Suppono XI. Mercurii inunctionem, etſi is prava qualitate non eſſet præditus, dummodo humores viſcidos & craſſos liquaret, ſufficere, ut homini mortem occaſionaret.

Suppono XII. Liquatis tali pacto craſſis & viſcidis humoribus, hi maſſæ ſanguineæ commixti tanquam grumuli aliqui in illa oberrant, & quo ſanguis fertur, cum illo circumducuntur.

Suppono XIII. Si tales viſcidi & craſſi grumuli non bene diſſoluti tranſeant per aliquos ſubtiles meatus, illos ibidem figere ſe poſſe, & obſtructionem cauſare.

Suppono XIV. Si tales viſcidi grumuli in principibus partibus ſe figant, pro diverſitate nobilitatis partium, diverſorum cauſa erunt Symptomatum.

Suppono XV. In exemplo: Si grumi tales viſcidi inſtar muci in Renibus, à ſanguinis maſſa deponantur, viſciditate ſua meatibus illis adhærebunt, illos obſtruent, & data ſemel obſtructione impedient ne ſerum à ſanguine aut per vaſa lymphatica delatum poſſit tranſcolari Ureteres & Veſicam.

Suppono XVI. Prohibita tranſcolatione, ſerum illud, aut ruptâ venâ aliquâ in abdomen ſtillare debebit, aut in ſanguinis maſſa remanere, & cum ſanguine, quo ille fertur, circumire.

Suppono XVII. Serum illud eſſe ſuperfluum naturæ, & excerni debere.

Suppono XVIII. Serum illud, præterquam quod ſit ſuperfluum, continere in ſe ſuperfluum ſalem, qui ſi remaneret, in corpore inflammationes, putredines & ipſam gangrænam occaſionaret, unde neceſſarium eſt ut excernatur.

Suppono XIX. Serum illud ſuperfluum, ſi non alicubi perfringatur, cum Sanguine per omnia viſcera, vi motus ſanguinis, deferri.

Suppono XX. Similes grumos viſcidos cum maſſa ſanguinis in Illuſtriſſimo Domino inunctione Mercuriali hinc inde fuiſſe commotos.

Suppono XXI. Similes grumos viſcidos Renes Illuſtriſſimi Domini obturaſſe, unde ſuppreſſionem Urinæ paſſus eſt.

Suppono XXII. Serum illud partim ſe diffudiſſe in femora, partim cum maſſa Sanguinea fuiſſe delatum ad partes principes, præcipuè Pulmones, jam ante hac malè diſpoſitos & thoraci accretos & inibi calorem nativum ſuffocaſſe, & ſalſedine ſua pravâ Gangrænam ſuſcitaſſe.

Suppono XXIII. Dari exempla à purâ diuturna ſuppreſſione Urinæ mortuorum, etſi Mercurio non fuiſſent uncti.

Suppono XXIV. A ſolâ Suppreſſione urinæ potuiſſe omnia mala iſta Illuſtriſſimo Domino obvenire, etiam ſine veneni cooperatione.

Suppono XXV. Accedente tamen venenoſitate Mercurii eò citiùs acceleratam mortem, quàm fors ſecuta fuiſſet, nam Hydropici modicum mingendo ſat diu tamen vivunt.

Suppono XXVI. Hydropem ſolere Gangrænam cauſare, unde raro tales

Suppono XXVII. Gangrænam quæ fit cum affluxu venenoſorum humorum & occulta qualitate, difficilioris curationis eſſe, quàm quæ fit ſine affluxu, pauci enim à tali Gangræna evadunt.

Suppono XXVIII. Ab utraque cauſa Gangrænam exortam, eſſe lethalem.

Suppono XXIX. Dari exempla partium externarum Gangræna correptarum, à qua homines (ubi tamen applicari poterunt remedia) mori debuerunt.

Suppono XXX. Ubi Ventriculus, Pulmones, Lien, Membrum virile, Teſticuli, Omentum, Hepar, gangrena corripiuntur, quò difficile eſt applicare remedia, quis ille erit qui talem liberare poterit, niſi ſolus Deus?

Talis fuit Noſter Illuſtriſſimus Dominus Patiens repertus, non deſunt igitur cauſæ ſufficientes cur fato ceſſerit.

Suppono ergo me fundamentaliter demonſtraſſe, quod demonſtrandum erat.

[*Ex Litteris è Pragâ ad D. Ph. J. Sachs à Levvenheimb.*]

OBSERVATIO LXXXI. THEROPEUT.

D. NICOLAI GUILIELMI BECKERS.

EX LEVI PURGATIONE IN AURIFABRO MORS.

Egregius ac Virtuoſus Dominus *Georgius Heidt*, Civis & *Aurifaber* Viennenſis, rerum artificioſarum deaurationi ſedulo intentus, Realgaris, ſulphureo ac *Mercuriali* per inſpirationem attracto *Fumo*, reiteratis vicibus, laſſitudine ulceroſâ totius corporis, tremore & palpitatione cordis prehenſus, eſt à me curatus. Pluribus tandem dum ſeptimanis apparamentis equeſtribus deaurandis incubuiſſet, ac quatuor hebdomadis omninò deaurationi ſuperſediſſet, præter Laſſitudinem totius nil ſentiendo, ordinaria lenitiva ex ſecuriſſimis parata, ſumpta purgatione, venenatis qualitatibus à tempore deaurationis in corpore latentibus agitatis, præfatis ſymptomatibus, ſudoribus frigidis, Lipothymiis ac Convulſionibus totius, corripitur, nuluuli ſive proficientibus Remediis, Regia Cordis occupatâ, robuſtiſſimo corporis habitu exſpirare cogitur.

[*Ex Litteris è Viennâ ad D. Phil. Jac. Sachs à Levvenheimb.*]

SCHOLION.

Ut *Metallarii* qui in fodinis operantur, *peculiaribus obnoxii ſunt morbis* de quibus ſingularem tractatum edidit *Theophraſtus Paracelſ.* illoſque, eruditâ diſputatione Lipſiæ 1652. enucleavit *Collega Curioſus* præproperè demortuus Zephyrus *Leonhard. Urſinus Prof. Botanices*: ſic non minus *Aurifabri* aliique qui nimis crebro Mercur. tractant aut ejus fumum quovis modo ſive per os ſive per aliam viam ad ſe trahunt, maximo ſuo damno experiuntur morbos nervos infeſtantes. Ut etenim ſi in loco clauſo exponatur aureum vas, & dein Mercurius ſuppoſito igne evolare permittatur, totus Mercur. qui ſublimis in auras evanuiſſe putabatur, ſimulatâ fuga in aurei vaſis amplexibus hærere invenietur, experientiâ *Kircher. de Arce Magn. l. 3. p. 3. c. 2.* ſic non minus in ipſis evaporationibus, quæ ab iſtis Artificibus peraguntur, attrahitur in nares Mercur. indeque in Cerebrum genuſque nervoſum. Unde concludit *Kircher. de Arte Magn. l. 3. p. 5. c. 3. p. 635.* cum Mercur. non raro in craniis in ſepulchris inveniatur, eſſe crania talium Artificum, dum etenim in extrahendo aut præcipitando Mercur. multum ſint occupati, non exiguam vaporis partem per nares excipiunt, qui in frigidas cerebri cellulas receptus, ibi denuo congelaſcit, ut etiam poſt mortem tanquam in vaſculis perennet, non ut Philoſophaſtri nugentur, quod intra hominem & ubivis Mercurius, ut materiam Lapidis ſui hoc prodigio jactent, inveniatur. Docet hoc *Aurificis* Anatomia Romæ facta, qui cum ſummos capitis dolores paſſus obiiſſet, in aperti capitis cerebro pluſquam Libr. j. *Mercurii* reperta fuit ex vapore ejus hauſto ibique congelato. In fœminæ calvariâ quæ fucis ex Mercur. quotidie uſa, & per biennium enormi capitis dolore fatigata, Unc. ij. Mercurii inventi fuerunt. *Zvvinger. in Theſ. vit. Hum. t. 1. f. 520. ex Cardano de ſubtil.* Quin & exterius admotus Mercur. per poros Corpori ſe inſinuat, & diviſæ iſtius particulæ rurſus ſe uniunt, unde ex mamma cancroſa Mercur. exſtillavit, quod laminæ Ungu. mercuriale adhibita fuiſſet. *Bartholin. c. 1. hiſt. 7.* & Mercur. in ſauciati Emplaſtro adhærere viſus eſt, qui antea inunctionem paſſus fuerat. *Rhodius cent. 3. obſ. 87.* Sanè poſt imperfectam Inunctionem in Lue Gallica Mercur. in caput interdum ſe inſinuat, ibique relictus intenſiſſimas Cephalalgias excitat, qui tandem mercurius aureo globulo naribus, & aureo nummo ori indito (quia Mercur. auro ob ſympathiam ſe aſſociat, & illud dealbat) per vices extrahendus. *Jacoz. obſ. 13. commun. River.* & Ipſe *Laz. River. cent. 2. obſ. 91.* ex articulis vero extractionem Mercurii per applicatum Aurum foliatum tentat *Zacut. L. II. Prax. Adm. obſ. 128.*

[*D. Philip. Jac. Sachs à Levvenheimb.*]

* * *

OBSERVATIO LXXXII. CHIRURGICA.

D. NICOLAI GUILIELMI BECKERS.

ABSCESSVS ABDOMINIS INCISIONE curatus.

INgenuus ac Eruditus Dominus *Laurentius Frolicz*, *Noſocomii Cæſarei Chirurgus Viennenſis*, Temperamenti calidi ac humidi, Ætatis annorum triginta quatuor, choreis aliiſque jocularibus recreatus, de gravativo muſculorum Abdominis, inter Coccygem & Coſtas mendoſas, infra Hepar Dolore, cum ſiti, vigiliis, Anxietudinibus, capitis dolore, ac Calore totius indies accreſcentibus conqueſtus, dum Ruborem, Tumorem externè nullum, Duritiem vero in profundo renitentem obſervaſſem, *Abſceſſum inter Peritonæum & Muſculum* transverſum abdominis latere ſtatui. Quapropter Digerentibus, Maturantibus, Emollientibus, Abſtergentibus, Revellentibus, Derivantibus, ſenſibiliter ac inſenſibiliter Evacuantibus, internis ac externis, tàm Chirurgicis quàm Pharmaceuticis in caſſum adhibitis remediis, ad funeſta jamjam avertenda, *Muſculorum Abdominis inciſionem* ſuaſi. Quâ, tametſi Patienti & adſtantibus abominabilis viſa, ab Excellentiſſimis Viris ad conſilium convocatis approbata, dolore locum apertionis deſignante, per *D. Pilas*, S. C. Maj. Chirurgum, quatuor digitis infra Coſtas gladiolo longiori, ima penetrante, inſtituta, Purulentæ, Craſſæ, ſanguine conſperſæ Materiæ libram ſemis, & totidem binis vicibus pluribus ſequentibus diebus detrahere juſſi, quo facto, dolor capitis, ſitis, vigiliæ, anxietates, febris, partis affectæ renitentia aliaque ceſſarunt ſymptomata, vulnere per plures hebdomadas pure ſcatente, ſtrictâ ſervatâ diætâ, congruis non neglectis remediis, Chirurgus, qui totus emaciatus fuerat, nunc floridus ac vegetus plenariè reſtitutus conſpicitur. Teſtis hujus operationis eſt Excell. ac Doctiſs. *Dn. D. Jung* & *D. D. Kielman*, qui mecum operationi interfuerunt.

[*Ex Litteris è Viennâ ad D. Phil. Jac. Sachs à Levvenheimb.*]

OBSERVATIO LXXXIII. PHYSICA.

D. JOANNIS MICHAELIS FEHR.

ESVS RERVM ABSVRDARVM.

PRæternaturalis Sexûs ſequioris* varia & incongrua edendi *appetitus* præprimis *gravidarum*, ſat ubique notiſſimus, & Lipſiæ mihi nota fuit fœmina præclara, quæ ſingulis ferculis etiam orbem *tritico crudo* plenum apponi curabat, quo alternatim veſceretur; aliæ *cretam*, *carbones*, *arenam*, *carnem crudam*, *vitrum*, *lapides*, *ligna*, *animalcula viva*, *&c.* ſingulari appetitu & confertim aſſumpſerunt, citra ullam etiam noxam, quarum exempla apud *Schenckium in ſuis obſervat.* non pauca magnâ cum admiratione legi poſſunt. In *Maſculino* autem *genere*, quanquam hoc admodum rarum, nihilominus cum eodem *Schenckio* etiam noſter *Senmertus in paralipom. pag. m.* 128. teſtatur exemplo *Claudii* Lotharingii, qui non ſolum antea recenſita à cibo humano planè aliena, ſed & *ſtramen*, *fœnum*, *res putridas* & *fœtentes*, præprimis a. ſalvâ veniâ, *ſtercus bubulum calidum* adhuc (hoc etiam

Catonis torvi torſiſſet ora cachinno)

avidiſſimè deglutivit. Vidi & hic puellam, quæ ſcabie malè curatâ & in corpus repulsâ febre malignâ, ejuſmodi appetitu correpta fuit, ut nullâ re alia quàm *creta* ſubtiliſſimè trita placari & ſatiari potuerit, cui poſtmodum mechoacannam albam admiſcui, & ſic DEI gratia priſtinæ ſanitati reſtitui. Degit jam hic *Svinfurti* Puellus 6. circiter annorum Murarii filius, qui à tempore ablactationis ſtatim *cretam*, *pulveres*, *arenam* edere geſtiit, in hypocauſti humi adhuc ſerpens ex omnibus fiſſuris & angulis pulveres anxiè quæſivit & deguſtavit, his ſcopis ritè remotis, calceamenta arripiebat & in illis hærentem lutum ſ. v. abradebat, adeò ut nec adhortatione nec minis coërceri potuerit, creſcente jam ætate & hic p. n. appetitus ita increvit, ut poſtmodum copioſius *arenam*, (interdum unâ vice menſuram pilei ſemipleni) *calcem*, *carbones*, *lateres*, *ellychnia*, *carnem crudam* & *farcimina* deglutiret, citra ullam, crede mihi, querelam & dolorem. In patriâ domo ſolus aliquando relictus, de tribus parietum areolis calcem ferè omnem conſumpſit, & hâc de cauſa caſtigatus, Vicini murum, plateam verſus, adiit; Vicinus hoc ſtatim animadvertens, locum parietis ſucco abſinthii bene inunxit, puer amaritiem guſtans mox ad rivulum plateæ proximum ſe recepit, ibique humido & arenoſo luto cupidinem ſuam rurſus placavit, aliquando etiam calcem vivam devoravit, quæ ipſius ventriculum adeò corroſit, ut ſæpè & continuò frigidam ingurgitare coactus fuerit, hinc plures quàm quinquaginta & vivi & mortui propulſi fuerunt vermiculi; Cibos optimos vilipendit, dulcia non appetit, ut ſaccharum, mel, lac, nec carnem etiam. Optimum ſuum victum eſſe judicat, jura ex merâ aquâ confecta, & caſeum cum pane, præ omnibus tamen ARENAM, quæ immutata per inferius guttur cum fæcibus liquidis excernitur. Edit non ſolùm lychnos cum ellychniis, ſed etiam emunctoriorum contenta exactiſſimè expurgat. Mentem aliàs & habitum corporis quod attinet, hilaris eſt & optimi coloris, præſentis animi, dormit ſecurè, uno verbo, bene ſe habet. Si nonnulli ipſum adhortentur, quò ab hiſce inſolitis & obſcœnis rebus abſtineat, erubeſcere quaſi videtur, confeſtim autem ad malè anteactam redit diætam, & quod mirum, citra omnem querelam, morbum aut noxam, hoc excepto, quod ipſi dentes priores ſuperiores, qui ut & inferiores lati & firmi ſunt, arenæ calciſque attritu ferè ad dimidium ſint conſumpti & flaveſcentes. Unde igitur & è quibus cauſis appetitus hic pravus originem ſuam trahat, dictu difficillimum. Mater ejus nunquam laboravit Picâ ſeu Malaciâ, niſi quod, ipſum adhuc in utero geſtans & pyra ſilveſtria glandeſque indies more pauperum in campis quærens patentibus, ſemper hordeum crudum parumper in molâ lævigatum ſecum in fundâ habuerit, & illo totâ die famem ſitimque levaverit, ſed non video, quî ex cibo hoc ſatis congruo fœtui in utero materno tam mira oriri queat impreſſio. Omnium admirationem ſuperat pueri hujus habitus optimus & valetudo non adverſa. Præcepta noſtra & regulæ diætæ hic loci poſtponenda & ſingulari complexioni ſeu Idioſyncraſiæ locus concedendus primarius, dicendo: Monſtra fiunt in Naturâ.

SCHOLION.

De Picâ Gravidarum innumeræ poſſent adduci hiſtoriæ, niſi illæ paſſim obviæ in Practicorum Libris. Rariſſima tamen & ſane cariſſima fuit fœminæ Pariſienſis paucis abhinc annis, quæ ex inordinato appetitu cum videret pretioſa *fila* illa *oculata*, ſeu *inſtitas* quæ collaria lintea exornant Genuæ elaboratas & Lutetiam devectas (German. *Epiſten oder Borteu*) earumdem pro 400. Imperialibus ſeu centum piſtoletis monetæ Gallicæ unà vice *devoravit*, & poſt triduum rurſus alias pro aliis centum piſtoletis; ex quibus Cleopatræ quaſi luxurioſa filia pretioſum ſibi conſtruxit convivium. *Harsdorff. in Theatr. Comic. hiſt.* 67. Fœminam cachecticam recenſet *Hier. Reuſner. in obſ. à* G. *Hieron. Welſchio* editis *obſ.* 69. *p.* 40. quæ eſu *argillæ* ſatis expleri non potuit, & ab *Antonio Junckero* Medico Duc. Saxon. tandem percurata. Virgo autem Conſulis Amſtelodamenſ. quæ ad ſatietatem *ceſpite ſulphureo*, ac *plumbi laminis* minutatim conciſis uſa, incidit in Animi deliquia, ventriculi dolorem; alvum ſuppreſſam, tandemque mortem. *Tulp.* l. 4. obſ. c. 23.

In *Sexu* tamen *maſculino* rariora ſunt Exempla, dantur tamen quibus *rerum abſurdarum eſus non fuit nocivus. Vitrivoros* novit *Hildan. Cent. V. obſ.* 2. *f.* 384. tres, qui robuſtiſſimi & ſine noxâ *vitra* quamplurima cum aviditate *devorarunt*, & ſat commodè vixerunt, quorum Hiſtorias *Idem* repetit *Cent. VI. obſ.* 35. *& in append. Epiſt. f.* 763. Gallum quoque innoxiè ſæpiſſimè *vitrum devorantem* vidit *Borell. c.* 1. *obſ.* 52. ut & alium *c.* 1. *obſ.* 69. *mangiaſaſſo* dictum, qui lances integras *calculis* pollicis craſſitiei refertas *deglutivit. De Petro Corogio* Aulico Ludovici R. Hungariæ narrat *Nicol. Iſthuanſes l.* 8. *Rer. Hungar.* & cum eo Th. *Lanſius Orat. contra Hung.* quod *mures vivos, præciſas, felium caudas, abjecta in plateis cadavera tabo vermibuſque ſcatentia* abſque ullâ nauſeâ devoraverit. Novimus, *inquit Wyſſ. Aldrovandus* in *Monſtror. Hiſtor. à Barthol. Ambroſino edita f.* 217. Bononiæ bajulum anno 1626. qui volens vel mercede incitatus *urceos, clavos, coria, ligna, anguillas, aves implumes, & mures vivos* devorabat, & abſque vitæ diſcrimine per annum omnia egerebat. Vidit *Euſebius Nierembergius* in Aula Philippica hominem, qui omnia guſtaret, omnia voraret, *laneos pannos, coria, vivos mures*, imò ſemel viſus eſt manducare *vivum felem* cum pelle piliſque ipſumque ejulans & rapugnans animal ipſe mordebat. *Nieremb. lib.* 3. *hiſt. Nat. Peregr. cap.* 9. Vixit paucis abhinc annis *Pragæ*, eo tempore cum pars Urbis præſidio Suecico firmata eſſet, mirandæ conſtitutionis homo, qui notante *Harsdorff. in Theatr. Tragic. hiſt.* 164. §. 12. *canes* & alia *viva animalia* comedit. De eo plurima narrarunt Sueciæ militiæ Præfecti cum Anno 1647. Lipſiæ degerem. Unicum exemplum ex ore Exc. *D. Ioan. Hoppii Prof.* quondam *Pathol. Lipſiæ* referam, ipſi narratum à Generali *Axelio Lillio* Præſidii Suecici in Miſniâ Gubernatore, qui illud Pragæ unà cum *Konigsmarckio, Comite de la Garde, Comite de Levvenhaupt*, aliiſque Generalibus præſens viderat. In Conſeſſu tantorum Virorum mercede aliquot Imperialium conductus *Porcellum vivum* unà cum pilis dentibus arripiens ab opere non deſtitit, donec eum totum, remotis ſolummodo inteſtinis abſumpſiſſet: tandem cum admoneretur, ut & *inteſtina* farcta reliquis ſubjungeret, pretio unius ducati perſuaſus, eadem quoque omnibus ſtupentibus & ad iſta fercula canina nauſeantibus, deglutivit.

[*D. Phil. Iac. Sachs à Levvenh.*]

OBSERVATIO LXXXIV. PATHOLOG.

D. ALHARDI HERMANNI CUMMII.

PARALYSIS PEDUM EX LONGIORE IN FRIGIDO MORA.

OBſervavi anno 1667. jam adulto Autumno, duos, qui diutius puteum exhauſturi, in frigido morarant, inferiorum partium omnium correptos fuiſſe paralyſi. Occurrit hic mihi, quod ſæpius tum legerim tum audiverim illos, qui licet æſtate diutius morati fuerant in aqua tandem gravitate & Spaſmo correptos fuiſſe, ut exiſtimarent, ſe à ſpectro ad fundum trahi.

[*Ex litteris ad D. Ioach. Georg. Elſnerum.*]

OBSERVATIO LXXXV. PATHOLOGICA.

DN. ALHARDI HERMANNI CUMMII.

EPILEPSIA HYPOCHONDRIACA CURATA.

MIles Juvenis 24. circiter annorum ex iis qui Civitati Hannoveranæ pro præſidio ſunt, anno 1666. circa Autumnum ſentire incipit inſignes in hypochondriis dolores pungentes cum eorundem intumeſcentia; qui tamen mox in diarrhæam ſeroſam terminabantur. Hanc diarrhæam cum metu tum temporis Hannoveræ Epidemicæ graſſantis dyſenteriæ ſiſteret, hypochondria iterum inflantur, hincque halitus tetri aſcendentes ad cerebrum illud adeo in conſenſum traxerunt, ut miles iſte quotidie vel decies concideret in vehementiſſimos morbi comitialis inſultus. Vorax erat valde, ſed ſtatim poſt paſtum concidebat referebatque ſe ex hypochondriis auram quandam ſentire aſcendentem à qua temulentus primum & vertiginoſus evaderet, poſt quaſi vi ad terram dejiceretur, quod à ſpectro fieri exiſtimabat. Jejunus nil niſi dolorem in hypochondriis & anxietatem ſentiebat, ſtatim autem ac quippiam aſſumpſiſſet proſternebatur. Erat cæteroquin boni habitus, temperamenti ut videbatur ſanguinei cum phlegmate temperati.

Huic militi ego hoc modo Medicinam faciebam. Primum purgato corpore in id operam dabam, ut acidum iſtud excedens naturalem ad ſtatum reduceretur: cui fini ſingulis diebus horis matutinis utebatur pulvere digeſtivo ex Vitriolo Martis, Sale Eſſentiali Zvvelfr. & Saccharo cantho. poſt paſtum autem ſemper utebatur pulvere ex ſeminibus coriandri, aniſi, anethi, granis paradyſi cum aliqua portione cranii humani rufi. Aliquando circa novilunium vomitum movebam cum antimoniali aliquo vomitorio: aliquando etiam Sudores movebam cum cinnabari antimonii, tinctura Corallorum & ſimilibus, quæ qualitatem cephalicam habent. Tandem cum corpus ſatis exiſtimarem præparatum eſſe, commendabam uſum lactis vaccini in cujus Unc. iij. Drach. ß. ſaponis hiſpanici albiſſimi ſoluta erat. Hoc lac manè ſemper jejuno bibebat ventriculo, abſtinens poſtmodum per totum diem ab acidis, idque tanto cum fructu ut brevi à moleſto hoſpite liber evaſerit, & hunc uſque in diem ſanus degat.

[*ad D. Joach. Georg. Elsnerum.*]

* * *

OBSERVATIO LXXXVI. PATHOLOGICA.

D. ALHARDI HERMANNI CUMMII.

EPILEPSIA EX RETENTIS MENSIBUS VENERE & puerperio ſanata.

NOta mihi eſt nobiliſſima quædam fœmina, quæ cum Virgo adhuc ex menſium retentione epileptica fieret, à Medico perſuaſa ut ſe viro ſubſterneret; inde gravida, feliciter peperit puellam, à puerperio autem optimè purgata prorſus ab Epilepſia libera evaſit.

[*Ad Dn. Ioach. Georg. Elſnerum.*]

OBSERVATIO LXXXVII. THERAPEUT.

D. VALENTINI ANDREÆ MOLLEMBROCCI.

OMENTUM PUTREFACTUM.

SEnnert. *l.* 3. *Med. Pract. p.* 3. *c.* 8. *p.* 489. refert ſe vidiſſe in Studioſo quodam Scorbuto & Hydrope laborante, & in Noſocomico Academiæ mortuo, totum ferè *omentum putredine conſumptum* fuiſſe. Sic *Iacob. Bontius lib.* 2. *Med. Ind. c.* 11. *p.* 26. apud Indos in Atrophia ab obſtructione Indis familiari invenit *totum* aliquando *Meſenterum abſumptum*, & tamen Inteſtina cohærentia, ac potius inter ſe confuſa nullo ordine, tenuibus membranulis adnatis. Sic Ego cum anno 1657. adhuc *Erfurti* degerem, *omentum putrefactum* bis obſervavi, in ſenatore quodam Erfurtenſi; & in militari quodam viro, ambobus amicis meis. *Ille* cum per quinque menſes Ictero nigro laboraſſet, & medicamentis ab Affine ſuo Archiatro Ducali exhibitis nihil proficientibus, ſenſim viribus conſumptis beatè obiiſſet, in ejus *aperto cadavere* inveni hepar ſcirrhoſum lignique inſtar durum ac tartareis aſſatiſque quaſi humoribus infarctum, veſiculam felleam planè vacuam, *omentumque* omnino *putridum. Hic* dum viveret, nil niſi ventriculum accuſabat, quod nullum cibum appeteret, coqueretque, cui ad confortandum ventriculum multa fuere adhibita, ſed omnia in caſſum: poſt mortem *diſſecto cadavere*, *omentum* planè putrefactum inventum eſt, ventriculo, reliquiſque viſceribus ſalvis, ex quo colligitur, *Omentum* ad ventriculi coctionem non parum facere.

[*D. Val. Andr. Mœllenbrocc. Litt. ad D. Sachſium.*]

OBSERVATIO LXXVIII. PATHOLOG.

D. VALENTINI ANDREÆ MOELLENBROCCII.

MICTIO CRUENTA.

Juvenes plethoricos neque ulli manifeſto morbo obnoxios, quibus nec falerna vina, nec lautus cibus defuit, reſeratis vaſis emingere *cruentam urinam Hieron. Reuſner ut in Schol. ad c. 22. Iodoc. Willinch de Probat. Urin.* refert, ſæpe vidit. Grandioribus etiam natu, ſenibuſque id accidiſſe *D. Th. Bartholin. Cent. IV. hiſt.* 45. & alii notarunt. Idem accidit *hic Halis Saxonum* anno 1665. Secretario cuidam plethorico 48. annorum, *plurimum Sanguinis* ſine omni moleſtia, aſt non abſque terrore emingente, quem ſola Tinct. Sulph. Vitriol. & ob metum congrumeſcentiæ ſanguinis *Eſſ.* fl. hyperici, divinâ benedictione brevi reſtitui adhuc integra ſanitati fruentem.

[*D. Mœllembroccius Litt. ex Halis Saxon. ad D. Sachſium.*]

SCHOLION.

A variis cauſis *Mictio cruenta* oriri poteſt; quæ paſſim apud Authores enumerantur. Sunt nonnulli, qui diutius ſi equitent, aut ſi immoderatius ſe exerceant, excalefactis Renibus, ſanguinem meiunt, inquit *Holler. comm. in Hipp.* 4. §. 78. Talis rei *exemplum* contigit hîc *Uratiſlaviæ* in viro Litterato, qui aut nimiâ vitâ ſedentariâ, aut poſteâ nimiâ commotione ſubſequente, Renes excalefaceret: is ſemper, quando iter ad aliquot milliaria conficeret ſive curru, ſive equo, ſive etiam pedibus aliquantulum citius tempore æſtivo curreret, abſque dolore aut jactura virium *copioſas Urinas Sanguinolentas* reddidit. Et cum maximum periculum ipſius familiares ſubtimerent, bono eſſe eos animo juſſi, & monſtratâ Obſervatione *de Sanguinis mictu periodico* apud *River. Cent. II. obſ.* 13. de viro cui ab equitatione, ab humoribus acribus & bilioſis, vel pituitæ ſalſæ naturam redolentibus *mictus cruentus* excitatus fuit, quando motu & calore exagitati tales humores cum ſero ad renes permixti amandantur, renum venulas aperientes: hoc inquam prognoſtico moniti & muniti, timorem depoſuerunt, & mutato aliquatenus vitæ genere, vir hic à Scorbuto non alienus & quieti nunc magis deditus hactenus per triennium nullam amplius emiſit *urinam cruentam*.

[*D. Phil. Jac. Sachs à Leuwenh.*]

OBSERVATIO LXXXIX. PATHOLOGICA.

D. VALENTINI ANDREÆ MOELLENBROCCI.

MICTIO CHYLOSA.

Reverendiſſimus & Generoſus Dn D. N. aliquandiu arthriticos & nephriticos dolores perpeſſus, de dolore ſiniſtri hypochondrii queſtus eſt, ac appetitu proſtrato, *Urina alba cum ſedimento inſtar cretæ albo*, non ſine moleſtia per aliquot ſeptimanas excreta, corporiſque atrophiâ. Poſt alios Medicos & me conſuluit, meumque de tali Urinâ judicium poſtulavit, cui reſpondi, *Urinam albam cum ſedimento inſtar cretæ albæ* alias hypochondriacos non modo, ſed & arthritide & calculo obnoxios interdum habere, idque *Hippocrat. l. 2. prædict. p. 95.* notaſſe ſcribentem: Urina craſſa in qua, quod ſubſidet, album eſt, articulorum tumorem ant dolorem denunciat. Hujus cauſam nonnullos materiam alimenti terreſtris Sulphure non imprægnatam eſſe, opinari, me vero, ſalvis tamen aliorum Medicorum ſimul conſultorum judiciis ſtatuere, materiam iſtam albam in Urina Reverendiſſ. hujus Viri contentam nihil aliud eſſe quam chylum, cum, ſi exactius examinetur, non cretæ aut Sulphuri, utpotè quæ craſſioris ſunt ſubſtantiæ, ſed Chyli ſubſtantiam (quaſi impalpabilem) & colorem exactè referat, atque totius atrophia adſit, nec viæ deſint per quas *Chylus* ad vaſa Emulgentia & venas urinarias pervenire queat, quemadmodum eas Oculatiſſimus Anatomicus *Th. Bartholin. in Hiſt. Anat. de Lact. Thorac. c. 9.* manifeſtè demonſtravit, ibique exempla adduxit. Nec obſtare cruciatum inter mingendum, cum chylus acrimoniam hujus doloris cauſam, in corpore cacochymico ob abundantiam Salium ſilveſtrium haud difficulter contrahere poſſit.

[*D. Mœllenbrocc. in Litt. Vratiſlaviam ſcriptis.*]

SCHOLION.

Similem ferè Hiſtoriam enarrat *Dn. Balth. Timæus l. 3. Caſ. Medic. obſ. 43. de mictione*, ut vocat, *pultacea* in Illuſtri Falckenbergio Gubernatore Colmariæ, qui ultra biennium eminxit *Urinas* turbulentas *& veluti lacteas*, in quibus materia *alba* inſtar *pultis* in fundo ſubſedit, tantâ copia, ut dimidium Urinalis plerumque repleret; inter mingendum ardor, & dolor præcipuè ſub finem, fœtor autem nullus, nec pinguedo, aut ramenta, vel aliud quidpiam quod Pus indicaſſet: judicavit itaque hanc *Vrinam* à vitiata coctione & *chylo* provenire. Talam *Vrinam lacteam* ultra 40. annos ſine ullo Renum aut veſicæ morbo emiſit *Felix Plater. l. 3. obſ. p. 784.* quæ valde turbida

& *veluti lactea*, materiam albam lactis inſtar craſſioris in fundo cochl. j. vel ij. menſurâ depoſuit, inter mingendum cum aliquo ardore, quam materiam exſiccavit, & invenit ſal quoddam repræſentare pellucidum, in fibras ſciſſum, guſtui ſalſum. Eandem *Vrinam lacteam* in Scorbuticis quoque inveniri *D. Joan. Dravvizius tract. de Scorbut. cap. 9. p.* 377. atteſtatur, quod ſymptoma vulgo Caſtor *der Bieber* dicatur, illiuſque originem pariter ex *chylo* deducit p. 378. qualis affectus ſæpius per aliquot Menſes D. Schæferum Lipſiæ fatigavit.

[*D. Jac. Phil. Sachs à Levv.*

OBSERVATIO XC. BOTANICA.

D. PHILIPPI JACOBI SACHS à Levvenheimb.

ALOE SILESIACA FLORESCENS.

Vid. Tab. VI.

VOcabulum *Aloës* apud Botanicos varia ſignificatione ſumi ſolet. Interdum *Aloë* ſignificat *materiam odoratiſſimam*, *Xylaloen*, *lignum Aloës* in Sacris *Cant. IV. v.* 14. inter præſtantiſſima aromata recenſitam, tantæ fragrantiæ, ut etiam Oriens veſtes purpuratas Magnatum, & pretioſiſſima ſtragula ea perfunderet, ut colligitur ex *Pſal.* 45. *v.* 9. imo luxui mancipati pulvillos plumâ delicatâ ventosè tumentes eo inunxerunt, uti ex meretricis perſona *Salomon in Gnomolog. c.* 7. *v.* 17. docet. *Aloe* quoque notat ſuccum, qui pellibus infuſus ex Arabia & Ægypto, & ex novo Orbe affertur, & tam pro medicina adhibetur, quam etiam olim apud Judæos, *Ioan.* 19. *v.* 39. & hodie pro balſamatione & præſervatione Cadaverum à putredine. Hæc *Aloë* Orientali Indiæ propria eſt, præcipuè in Inſula Succotra naſcitur.

Hodiè invenitur *Aloë* vulgaris, ſeu *Aloë Hiſpanica* (quia ex Hiſpania copiosè affertur) *Botanicorum Semper vivum marinum*, *Scyllæ* ſimilitudinem habens, quam quoque *Plin. l.* 27. *c.* 4. deſcribit. Hæc ſolo aëre diu perdurat, ſi parietis indatur foraminulo, vel cum filo ad aërem pendatur, vel laquearibus appendatur, unde nonnulli illam magneticè attrahere aërem & coagulare, vel ejus atomos allicitas ſibi unire ſtatuunt. Hæc in locis calidioribus quoque floret, qualem Piſis, flore luteo, 1561. menſe Martio vidit in fictili florentem *Ioach. Camerar. in Horto Medic. p.* 10.

De noſtra tamen *Aloë* florente, intelligenda eſt *Aloë Americana*, Dod. Cluſ. *Aloe Aculeata C. B. Aloe Spinoſa* Camerar. *Aloe folio Mucronata* Lob. quæ *in America* tam *Septentrionali* in Regno Mexicano & Nova Hiſpania, quam *in Meridionali* in regno Peruviano copiosè creſcit, unde jam præterito ſæculo in Europam, tamquam in aliam Coloniam, navigationis beneficio, deducta fuit. Ejus aliquot ſpecies in America (ex quibus præcipua METE ſeu MAGUCI,) recenſet & deſcribit *Nardus Anton. Recchus in Hiſt. Rer. Mexican. l. VIII. c.* 12 *f.* 270. quod ejus folia majora, craſſiora, ſpinifer, in acutum deſinentia mucronem, in cujus caulis ſummâ parte Flores lutei, oblongi, juxta cacumen ſtellati, in quibus procedente tempore ſemen Aſphodelino perſimile; ſed hæ ſpecies, ut *Fab. Columna in Not. ad Recch. f.* 882. cenſet, humiliores ſunt, quam ea quæ arboreſcente caule apud nos reperitur, unde iſtæ florum magnitudine potius, quam multitudine conſpicuæ ſunt. Optimè Aloën Americanam veram deſcripſit *Carolus Cluſius in obſ. Hiſp. l.* 2. *c.* 67. abſque flore tamen, & *Cæſalpinus de Plantis l.* 10. *c.* 31. *p.* 417. Fuſiſſimè totam hiſtoriam ALOES *Americanæ* dulciflua tractatione ad *Normam Academiæ Naturæ-Curioſorum* ſibi ſumpſiſſet tractandam *Zephyrus* noſter *Exc. Dn. Leonhard. Vrſinus* Acad. Lipſ. Prof. & Botan. niſi præmaturâ morte ante aliquot annos fatis conceſſiſſet, & nullas Tabulas ex hoc naufragio colligendas reliquiſſet. Deſcriptionem & delineationem veram *Aloes cum Flore* ſe primum omnium edere gloriatur *Tob.* ALDINUS *in Horto Farnes. c.* 14. ſed jam præterito ſæculo non incongruam delineationem exhibuerat *Camerar. in Icon.* Plantar. *poſt Sylvam Hercyn. Thalii* §. 5. *& in Germanico Herbario Matthioli f.* 231. *c.* 1. quod etiam *Fabius Columna obſervaverat l. a.*

Interim cum rarus admodum Author ſit *Tob.* ALDINUS, Cardinalis Odoardi Farneſii Medicus, & Horti Farneſiani Præfectus, ALOEN FLORENTEM ex ejus loco paulo ante allegato deſcribere placet: *Caulis*, *inquit*, quandoque perfectus, quandoque excedit altitudinem 15. cubitorum: craſſus eſt, ſpongioſus & leviſſimus, extra colore herbaceo: ornatur circumcirca brevibus, raris, tenuibus, ſiccis & aridis foliis colore fuliginoſo. In ſummo ramos producit velut ſparſam umbellam conſtituentes, in quibus *flores* ſurſum ſpectant, formâ potius fructuum, quam *flores*, ſeu cum fructu quaſi perfecto. Eſt enim digiti ſeu citini malorum Punicorum nondum aperti forma, vaſculus nimirum oblongus, triangularis, ſtriatus, colore viridi, à quo prodeunt ſex ſtamina longa, dura, ſolida, retorta, lutea, cum appendiculis concoloribus, in quorum medio emergit alterum capitatumque nec non luteum ſtamen, tandem dehiſcit ſummitas Citini modo in 6. particulas, velut folia longiuſcula, pro quolibet autem ramo 200. 250. 300. numerantur flores, qui perdurant in hiemem & tandem in planta ſiccantur, ſiccati decidunt, & potius fructus quam flores dicendi. Sunt etenim dactyli, triangulares, colore obſcuro, tribus intus ſegmentis & capſulis, in quibus ſemen albiſſimum, leviſſimum, copioſum, compactum, biſſectum, ſemicirculare, araneæ harundinum forma.

Maxima in Aloe diverſitas circa florem ratione ætatis. Olim crediderunt centeſimo ſaltem anno florere *Aloen*, ut de Avenionenſi *Bodæus in Theophr. p.* 903. item *Elsholz.* in *Horticultura l.* 2. *c.* 3. §. 4. *p.* 48. aliique. *Salitiana* floruit poſt LV. annum, *Sileſiaca* noſtra poſt 31. annum.

Quando *caulis erumpit*, *ratione temporis* ſumma varietas. *Aldinus* & cum eo plerique tres menſes numerant, à Maio plerumque uſque in Julium, à primo exortu caulis uſque ad florum perfectionem: *Borell. cent.* 1. *obſ.* 1. intra 36. horas ad 28. palmos *Gallicam* ſuccreviſſe, & aliam *Romanam* 4. diebus nimis feſtinantem perſuadere cupit.

Ab aliis quoque ſilentio videmus præteriri *Caulem* erumpentem *cum Terræ motu & Strepitu* ſummâ Violentiâ ex Aloë prorumpentem; quod idem *Borellus* affirmat. Nota quidem eſt *Arbor crepitans* dicta, apud Indos, foliis Mori cum fructu orbiculari, de quo hoc mirum narrat *Nieremberg. L. Hiſt. Nat. c.* 10. quod cum fructus maturuerit, ſtriis aliquot crepantibus dehiſcat, rumpaturque tanto impetu ac ſono, ut velut tormento quopiam bellico jactatus, quam longiſſimè fructus avolet: de *Caule* tamen *Aloës* in eruptione ſonitum edente apud omnes ferè Authores altum eſt ſilentium, immo cùm Exc. *D. Major* in Gotlorpianâ curioſè ſtrepitum iſtum obſervaſſet, nihil tamen audire potuit. Quando in *Europa* ſemel floruit, emoritur, uno & tam numeroſo partu effœta facta, nunquam ut novus Phœnix, ex cineribus reſurgit, novo ſe induens amictu aut refloreſcens; propagatur ſaltem per foliorum excreſcentias teneras ad modum, quem docet *Elsholtz. l. a.* In Germania vix *ſemen* proferunt flores; in Italia quidem ſemen ferunt, ſed an hoc fœcundum ſit, affirmare non audet ALDIN. *l. a.*

Maturari poſſe creditur *Flos Aloës,* ſi non diu in ollis ſervetur & vaſis aſſeribus contignatis, ſed in Liberam terram implantetur, ne tamen inclementia hyberni aëris noceat, eam in partem horti collocanda, quæ malis Aurantiis eſt dicata. Sic *Florem Aloës Salitianæ* maturatum fuiſſe, credibile eſt.

Ex famoſioribus verò *Aloes Floribus Americanæ* narrantur ab Authoribus *ſequeutes*, quamvis multo plures floruiſſe, aut brevi florem proſuſuras haud negandum ſit.

IN ITALIA.

In ITALIA primam Aloën habuiſſe dicitur *Iacobus Anton.* CORTUSUS Nobil. Patavinus, quam in ejus horto inter alia ſelectiſſima anno 1651. vidit *Ioach. Camerarius & narrat in Hort. Medic. p.* 11.

I. Primam floruiſſe ferunt FLORENTIÆ anno M.D.LXXXVI. in *Horto Magni Ducis*, cujus *caulis* miræ altitudinis inſtar abietis, penè contortus, in cacumine ramoſus, in cujus extrema parte ramorum congeries referta floribus è luteo virentibus, & ſuaviter odoratis; cujus Iconem & deſcriptionem Camerario dedit *Ioſeph de Caſabona* Magni ducis Simpliciſta apud *Camer.* Horti *Med. p.* 10.

2. Noſtro ſæculo vidit *Dn. de* MONCONNYS *Florentiæ in Monaſterio, quod à Spina Chriſti* nomen habet, ad murum Areæ ALOEN ſiccatam & mortuam, quæ habuit ramum 10. brachiorum: Eam *D. Bellucius*, dum florem vellet promittere, vidit in tantam longitudinem creviſſe vix duorum menſium ſpatio; teſtatuſque eſt *Aloën* 30. vel 50. anno florem ſolere pro-

ferre, ſtatimque ubi florem & ſemen emiſit, emori. *V. Monconnys Itinerar. Ital.* 1. *t.* 1. *p.* 136.

3. Pisis in Hetruria florentem Aloen in horto *Dn. Fornaboni* circa Annum M.D.XC. deſcribit *Cæſſalpinus L. X. de Plantis c.* 32. *& Camerar. in German. Habar. Matthiol. lib.* 2. *c.* 72. *f.* 231. *c.*

4. Veronæ paucis abhinc annis, nempe anno 1663. menſe Majo *in Hertis del Sign. Conte* Giusti, Aloen notavit *Dn. Henr. Vollgnadius, Coll. Curios* cum Veronam tranſiret, quæ jam caulem ſatis altam protruderat, quamque intra dies 15. præterpropter, brachia & flores explicaturam ſuſpicatus eſt Hortulanus: & aliquot alias ſimiliter defloruiſſe, teſtati ſunt ſiccati ſurculi & caules, ibidem monſtrati.

5. Romæ anno M.D.XCI. egregia *Aloës* floruit, quam *Bodæi à Stapel* Pater ipſemet vidit, uti teſtatur *in Not. ad. l. VII. Theophr. c. ult. p.* 904.

6. Pariter Romæ alia anno M.DC.XXV. floruit *Aloë* in *Horto Farneſiano* multis annis inibi prius culta, quæ trium menſium ſpatio altiſſimam produxit caulem, nam principio menſis Maii apparere cœpit caulis, initio Junii ramos produxit, Julio flores perfecit. *Aldin. l. a.* Ejus iconem exhibet Aldinus ibidem.

7. Alterius *Romanæ Aloës* quoque meminit le *Fevre* à ſe viſæ apud *Borell. cent.* 1. *obſ.* 1. *fin. & Ioan. Parcinſon. in Theatr. Botan. Angl. Claſſ.* 2. *cap.* 1. *num.* 2.

8. Tandem *Romæ & Neapoli* à multis annis aliquot Aloes, arboreſcentes caules bene grandes produxiſſe, quorum quidam XXIII. pedum longitudine, pluribus circa ſummum ramulis floribus in condenſas gradatim eruptiones onuſtis, author eſt *Fabius Columna Not. in Recch. f.* 882.

IN GALLIA.

9. Avenionensis anno M.D.XCIX. in *Horto Dn. Doins* celebris, quæ menſe Majo caulem produxit, 45. die perfectè floruit: ad 32. palmos caulis adſcendit, 29. emittens ſurculos. *Cluſ. in cur. poſter. p.* 63. *& Bodæus l. a. p.* 903.

10. Montispessulana in *horto* Pharmacopœi *Dn. Perier* M.DC.XLVI. quam deſcribit *Borell. cent.* 1. *obſ.* 1.

11. In Urbe *Pezenas* in *Languedocia* circa annum M.DC.XLI. in præſentia Regis Ludovici XIII. & Cardin. de Richelieu *Aloë* floruit. *Borell. l. a.*

IN GERMANIA.

12. Germania ex primis exhibet Aloen Studgardianam quæ prima in his oris florere viſa eſt, *in Ducali Horto* Studgardiæ M.DC.LVIII. quæ 23. pedes alta, 40. habuit ramos, in ſingulis 200. 300. 400. flores, ut numerus florum ad 12000. aſcenderit, uti eam deſcribit *Elsholtz. in Flora*

Marchic. p. 16. ſingulari eandem Vvirtembergici tum temporis delinatione ediderunt, eamque exhibet ad vivum Paries interior Horti Medici Botanici Lipſiæ, ſumptibus *Exc. D. Leonhard. Urſini* depictam.

13. MISNIAGA *ſeu* CHORA-SALITIANA in Miſnia florens M. DC. LXIII. Ea 33. ramos habuit, 3000. flores & ſubſequente latius deſcribetur obſervatione.

14. MONACHII, HEIDELBERGÆ & ALTORFII *Aloën* floruiſſe colligere vult *Exc. D. Ioan. Dan. Major in deſcript. Aloes Gottorp. p.* 13.

15. SONDERSHUSI in Thuringia in hortis Comitum Schvvartzburgicorum floruit *Aloe* M. DC. LXIV.

16. HOLSATICA *Gottorpii* floruit in *eximio Novo Horto* Ducis Holſatiæ Chriſtiani Alberti anno M. DC. LXXIII. cujus deſcriptionem aliquot paginis edidit *Exc. Dn. D. Major. Epiſcopi Eitingenſis Med. &* *Prof. P. in Nova Chilonens.* ſed cum tum temporis flores nondum omnes exactè ex caule prodierant, pleniorem de ea deſcriptionem promiſit, poſtquam defloruiſſet.

17. Elapſo anno M. DC. LXIX. SLEVENI in Thuringia, 3. hor. intervallo à Jenâ diſtante, *Aloe* floruit ætatis 49. annorum, cujus caulis 21. pedes exceſſit, ramis ornata 32. in quibus floſculorum 4610. luteorum. Caulis intra 18. ſeptimanarum ſpatium in tantam excreverat altitudinem: uti Relationes publicæ anno 1669. menſe Septembri teſtabantur.

18. Venio tandem ad ALOEN noſtram SILESIACAM OPPERSDORFIANAM, quæ primitias in hac ſpecie in *Sileſia* exhibuit ALOES *floreſcentis*, ne quod aliis terris benigna Natura clementer indulſerat, Sileſiæ denegaſſe videri poſſet. Illuſtr. & Generoſ. FRANCISCUS EUSEBIUS, *Comes de Oppersdorf, Domin. in Aich & Fridſtein, Dominus in Frindeck & Glogovia Superiore, Ducatuum Oppolienſ. & Ratibonenſ. ſupremus Capitaneus*, Arci Minoris Glogoviæ Hortum habet adjunctum, qui, ſi non Alcinoi aut Veterum Heſperidum Hortos ſuperat, tamen tam egregio Artis Naturæque connubio exornatus eſt ad invidiam uſque, ut pulchritudine majorem in Sileſia nullum, parem verò finitimæ Provinciæ oſtendere vix poſſint. Huic Horto anno M. DC. XXXI. in medio bellorum ſtrepitu ALOE implantata, ſterilis permanſit per integros 31. annos, donec ulterioris moræ impatiens fœcundum ſinum una vice aperiret & numeroſiſſimam & pulcherrimam prolem, ſibi tamen fatalem, plurimis ramis, pluribus adhuc floſculis, aliquot menſium conatu, effunderet. Altitudo Caulis 18. pedum fuit, rami 21. in quibuſdam ramis ad 208. floſculi, qui cum caule arefacto inter rariora prædicti Comitis aſſervantur. Credibile grandiorem factum fuiſſe Caulem & numeroſiorem, ſi, quod in *Salitiana* factum, liberiori terræ commiſſa fuiſſet extra vas Ligneum exempta. Delineationem hujus *Aloes* quam præſens *Tabula* exhibet, à præfato *Dn. Comite Franciſc. Euſebio* benignè conceſſam, obtulit *Generoſus* pariter *Dn. Ferdinandus Leopoldus, Comes de Opperſdorf, Dominus in Aich & Fridſtein, Dn. in Brzuzi, Sibberkopf, Pohzibain, & Lobe, Mecænas meus maxime colendus*: in cujus Illuſtris Familiæ Honorem placuit ALOE olim floreſcenti, nunc demortuæ *ſequentem* erigere CIPPUM.

SISTE.

SISTE. VIATOR.

Mortalitatis. duram. *Legem.*
Flores. *colligendo.*
Ex. Floreſcente. ALOE. *lege.*
Et. vitæ. Tuæ. Leges. inde. *ſelige.*
VIXIT.
heu!
VIXIT.
ALOE.
Delitium. Domini.
Decus. Hortorum.
Splendor. Sileſiæ.
Stupor. ſpectatorum.
Non. cum. Ephemeris. unum. ſaltem. diem.
Sed. paulo. majore. paucorum. menſium. ſpatio.
in. Flore.
FLORÆ miraculum.
cum. ipſa. excſucca. exareſceret.
tot. fœtuum. clade. orbata.
Mœrore. confecta.
quaſi. Liberorum. fato. viva. ſupereſſe. nollet.
HÆC. ALOE.
OPPERSDORFIANA.
SILESIACA.
In. Ipſo. Flore. Ætatis.
Anno. ætatis. ſuæ.
XXXI.
Ab. Orbe. Redempto.
M. DC. LXII.
Ipſius. Naturæ. Indultu.
A. Genio. Loci. impragnata.
Facta. eſt. fœcundiſſima. mater.
Numeroſiſſimæ.
Pulcherrimæ
Prolis.
Crocei. vultus. quaſi. Auroræ. Progenies.

Niobe. prolis. multitudine. ſuperbiens.
Una. die. Omen. vidit. ſpem. ſucceſſionis.
pereuntem.
Ipſa. præ. mœrore. ſaxea. facta.
Gravida. hæc. ALOE.
cum. pariter. elegantia. *&*. numero.
Numeroſi. partus. ſuperbiret.
Quod. prima. in. Sileſiæ. Terris.
Naturæ. Limites. tranſgreſſa.
in. Frigidis. Terris. Fœcunda.
Fœcunditatem. Soli.
declaraſſet.
heu!
nunquam. reſurrectura.
&. gremium.
&. diem.
cum. omni. prole. clauſit.
ad. initium.
Anni.
non. ſui. ſed. ſæculi. noſtri.
Climacterici. magni.
LXIII.
Fabuloſum. viperillam. poſt. partum. enecare.
matrem.
veriſſimum. ALOES. Partum. Matri. eſſe.
Fatalem.
Feralem.
Emortualem.
Ita. Mors. &. Vita. Pari. paſſu. ambulant.
Vivit. tamen. ALOE. poſt. Fata.
in. Domini. Muſeo.
in. ſpectatorum. oculis.
in. admirantium. mentibus.
in. Æneo. hoc. monumento.
quod. Huic.
Naturæ. Curioſo. Portento.

à
Naturæ. Curioſis.
conſtructum.
Ut. quæ. Succo. cadavera, à corruptione.
perennet.
ipſa. perennis. mumia. facta.
cum. longa. annorum. ſerie.
certare. audeat.
Nunc, abi. Viator.
Amarum. Amaræ. ALOES. Luge. Fatum.
Et. in. mortalitate. Immortalitatem.
ſtude.
&. opta.
Illuſtriſs. Familiæ. OPPERSDORFIANÆ.
tot. fœcundos.
tot. elegantes.
tot. numeroſos.
Sed. magis. Vivaces.
Stemmatis. Ramulos.
&. Flores.
Quot. hæc. poſſedit.
ALOE. OPPERSDORFIANA.

Tandem ſpes facta à prædicto Generoſ. Dn. Comite *Ferdinando de Opperſdorf* quod intra paucos annos in vico *Glaſen* in *Superiore Sileſia*, parvo intervallo à *Superiore Glogovia* diſtante, apud Illuſtr. & Generoſ. Comitem *Joan. Benhardum, Comitem de Herberſtein, Domin. in Neuburg. Guttenhagen, Lanckouvitz, Glaſen, &c. ſupremum Capitaneum Ducatus Uratiſlavienſis*, Pattonum meum Magnum, ALOE flores ſit emiſſura.

Præter miraculum Floris, in Europa vix alium præbet *Aloe* hæc *Americana* uſum. Quem tamen apud Indos præſtet paucis ex *Nardi Antonii* RECCHI, Academici Lyncei & rari Authoris *lib.* 8. *c.* 12. *de re Medica Nov. Hiſpan. f.* 270. adducam. Planta hæc unica, *inquit*, quicquid vitæ eſſe poteſt neceſſarium, præſtare facilè poteſt. Apud Indos *planta* illa, dum tota eſt, lignorum ſepiendorumque agrorum uſum præſtat: *Caulis* tignorum: *folia* tecta tegendi, imbricum, lancium, papyri, filique ex quo calcei, lintea, & alia veſtium genera, quæ apud nos Lino, canabe, Goſſipio; è *mucronibus* fiunt clavi & aculei ad perforandas aures, ex iiſdem quoque aciculæ, acus, tribuli militares, & raſtilla pectendis ſubtegminibus. Ex *ſucco* ſtillat vinum, mel, ſaccharum, acetum: ex *radice* fiunt reſtes firmiſſimæ; ex *craſſioribus foliorum trun-*

cique partibus per decoctionem ſub terra, fit cibus, qui ſapit fruſta citrea Saccharo condîta. *Hæc Recchus.*

OBSERVATIO XCI. BOTANICA.

D. PHILIPPI JACOBI SACHS à Levvenheimb.

ALOE CHORÆ SALITIANA.

CUm memorabilis ſit *Deſcriptio & Inſcriptio Aloes Aculeatæ Americanæ*, quæ *Choræ in Miſnia* anno 1663. floruit, edita paucis foliis *Altemburgi* impreſſis, recenſita per *Abrah. Achatium Hagerum*, ne digna hujus memoria intercidat, ejuſdem *deſcriptionem Ephemeridibus Germanicis* implantarê non incongruum duximus, prætermiſſis generalioribus, quæ Author præfatus præmiſerat.

CHORA, *inquit*, oppidum Miſniæ eſt, ubi G*eneroſ. Magnif. Nobiliſs. Dn. Conradus* LOESERUS *in Sahlitz, Reinharts Dainichen* & *Neuctersdorff Toparcha, Seren. Saxon. Elect. conſiliar. Camerarius & Electoratus Saxonic. Marſchaſſen Hæreditarius* Hortum habet egregium. In hoc *Horto Læſeriano*, poſtquam annum ætatis ſuæ LV. ageret ALOE A*mericana*, priori ſolo locoque mutato (erat enim incluſa è paucis aſſamentis compoſito domicilio, uti veliquæ plantarum exoricarum ſolent) tranſplantata eſt circa Brumam 1662. in terram undique perviam ad ſuccum attrahendum. Accidit autem ut anno 1663. diebus vernalibus aperto vaporario (ubi contra hyemis injuriam plantæ reconditæ ſalvantur) prope diem Maii 15. ſigna daret floris ſperandi. Folia enim media contra ſolitum, impetu magno protrudebant, alia quædam tenella, anguſtè acuta, in altum ſurgentia, quæ brevi tempore, quarto ſcilicet ab eo die Caulem oſtendebant, ſingulis diebus naturalibus ad palmum, incremento ſuo primo proficientem ſtrictiſſimè. Maii vero dies, quia aliquanto frigidiores, non exiguam faciebant incremento huic omnibus viribus ſuſcepto remoram, ita ut eo tempore Spectatorum aliqui ſarcaſtico quodam, ſed præmaturo Prognoſtico tempus floris in Menſem Febr. futuri anni differendum cenſerent. Quid fit? ALOE hæc illuſionum impatiens, probe eluctabat, & confuſo illuſorum prognoſtico altitudine Scapi ultra XII. Cubitos ambitu propter ſcapum ſeſquipedali, ſemicubitali in medio aſſurgebat. *Die* enim 26. Jun. Caulis decimum Cubitum abſolvens, in latere proferebat folliculos, quos ramulus quidam, formam calami (quales penſile habet candelabrum) leniter incurvati repræſentans, ceu manu Spectatoribus porrigebat. *Tertio* vel *quarto* quoque ab hinc die, alios atque alios oſtendebat, donec ab imo uſque ad ſummum XXXII. ramuſculis certo quodam intervallo disjunctis egregiè condecorata non parvum ubivis locorum de ſe rumorem, nec paucis ſtuporem excitaret. Ramuſculorum ſinguli artificioſiſſimo ac miro ordine diſtantes, Scapum verſus deorſum incurvabant ſe ſenſim, extremitatibus vero ſurſum ſe ferentes, habebant utriculos floriferos inſtar digitorum in manu erectos, alii plures, alii pauciores, folliculis Liliorum alborum non multum abſimiles, verum flore uti & colore mirum quantum diſſimiles. Folliculi tandem ab anguſtis in latitudinem paulatim ſeſe laxantes, *XIV. Aug.* aperti, ſex foliis ſubviridibus, aliquantum albeſcentibus ab extra, continebant ſex filamenta quaſi craſſiuſcula, initio duplicata, poſt erecta, & folia exteriora parte ſui dimidia tranſcendentia, in quorum ſummitate virgulæ tranſverſæ, colore luteo, ſingulis fibrâ quaſi appenſæ, leni auræ motu agitabantur. Hæ in medio piſtillum quoddam parvulum, apice triangulari circumdabant. Folliculorum nondum apertorum tria ferè millia numerabantur: apertorum vero & perfectorum ramuſculus ab imo retinebat:

Ramus ſ. Umbellus	Flores	Ramus ſ. Umbellus	Flores
1	31	17	109
2	80	18	89
3	101	19	95
4	100	20	92
5	87	21	79
6	110	22	72
7	111	23	62
8	116	24	57
9	115	25	46
10	118	26	31
11	106	27	24
12	125	28	25
13	93	29	16
14	100	30	17
15	102	31	28
16	100	32	

Hæc conſpicabilis Aloes formoſitas & raritas in ſui admirationem allexit multos & magni nominis Viros. Cæterum ut ætate diverſos quidem Spectatores, ſic in hoc pares habuit, quod omnes admirabundi. Tempus autem floris, quamdiu ſpectacula edidit, 18. diem Octobris attigit.

⁂

FLORÆ ET MEMORIÆ

S.
Vos.
O. Communis. rerum. omnium. Matris.
NATURÆ.
CURIOSI. *Rimatores. miratores.*
quicumque. hoc. nomine. ſatis. honorati. vobis.
videmini. adeſte.
&.
decus. Horti. Delitiumque. Domini.
ALOEN.
in. flore.
ſed. poſt. Fata.
heic. accuratè. depicto.
intuemini.
&. inſuper.
niſi. grave. erit.
audite.
Genium. loci. ſic. diſſerentem.
Amabilis. &. pænè. undiquaque. admirabilis.
ALOE.
Virginella. admodum.
elocata. eſt.
HORTO. celebri. LOESERIANO.
A. O. R.
M. DC. IIX.
Vixit. cum. eo. integro.
ipſa. integra.
integros. circiter. LV. annos.
diu. quidem.
ſed. in. luctu. profundo.
&. effœta. Filici. minus. felici. ſimilis.
uſque. dum.
ANNO. MESSIANO.
Univerſo. orbi. Chriſtiano.

&. DOMINO. Horti. imprimis.
difficili.
M. DC. LXIII.
die. Menſis. Mai. XV.
caput. ſomnolentum.
ultra. XII. ulnas.
extulit.
præ. gaudio.
quod. mater. eſſet. facta.
Florum. bis. millium. luteorum.
quos. omnes.
Licet. Gyge. centimano. minor. erat.
brachiis. tamen. XXXII.
ſuſtulit. geſtitavit. aluit.
ad. diem. uſque XVIII. Octobr.
qui. fuit. heu! emortualis.
Illuſtris. ALOES.
Nam.
uti. decidua. ſunt. cuncta.
ita. late. ſe. fundens. formoſitas.
&. florum. honos. maximus.
quem. cum. inquilino. peregrinus,
quilibet. largiter.
ei. deferebant.
Omnis. &. Totus. cecidit.
ALOE.
Limpidum. Caducitatis. ſpeculum.
Nunc.
agite. Bonæ. Mentes.
ite. &. perpendite. hunc. caſum.
qnem. neuter. veſtrum. poteſt. declinare.
Etenim.
Homo. & Humana.
quid? niſi. FLOS. VANITAS.
NIHIL.

OBSERVATIO XCII. PATHOLOGICA.

D. ALHARDI HERMANNI CUMMII.

RARUM CIRCA VISUM SYMPTOMA.

VIvit etiamnum Vir Eruditus, Theologus ſummus, qui cum ante duos circiter annos, animum curis & laboribus feſſum, muſica recreaturus fides aptaret, una chordarum diſrupta oculum ipſius dextrum plagâ dolorificâ afflixit. Proſpicitur ſtatim oculo læſo refrigerantibus ophtalmicis, quibus inflammationi imminenti obviàm itur, ita ut nil amplius timendum videatur. Nocte jam adultâ, ex ſomno evigilans cuncta clare ac ſi de die eſſet videt, adeo ut & minimos picturarum & tapetum tractus obſervare characteresque ex libro legere poſſet: miratur cauſam, læſumque oculum claudit, hîc denſæ ubique tenebræ, ſanum dum claudit ubique lux eſt clara. Inclamat ſervum, jubetque apportari lumen, ſed ſuſtinere non poteſt ob ſplendidos ad moleſtiam uſque apparentes colores. Idem de die fit, ſi modo ſol aliquantum ſplendet; unde coactus eſt oculum clauſum ſemper firmare. Hoc Symptoma durabat per aliquot dies; inde ſenſim evaneſcebat.

[*ad Dn. Ioach. Georg. Elſnerum.*]

OBSERVATIO XCIII. PATHOLOG.

D. ALHARDI HERMANNI CUMMII.

VISUS DUPLICATUS.

NObilem quendam novi, & Anno 1669. ſub cura habui, qui lue venereâ laborans, caput præprimis & humeros gallicis ulceribus obſita habebat. Huic cum cætera Symptomata remitterent, viſus ita lædebatur, ut omnia *objecta ipſi geminata* apparerent. Pergebam autem in ordinaria mihique ſueta luis venereæ cura, ex quo hoc ſymptoma ſenſim ſenſimque evaneſcebat.

Anno 1670. ineunte Vere, mater mea Hannoveræ febre tertiana continua Scorbutica corripitur: reſtituitur & convaleſcit cura & arte Illuſtris Viri Franciſci Jacobi à Kotzebube Conſiliarii & Archiatri Brunſvvico-Luneburgici amici & fautoris mei colendi. Reconvaleſcenti *omnia geminata* apparebant.

[*ad D. Ioach. Georg. Elſnerum.*]

OBSERVATIO XCIV. PATHOLOGICA.

D. ALHARDI HERMANNI CUMMII.

PURIS SPUTUM MENSTRUUM SINE PHTHISI.

NOta mihi eſt matrona quædam Nobilis, quæ ſingulis *menſibus ſemel puris ſputo* laborat, adeo ut ſæpiſſime ad tres libras puris fœtidiſſimi rejiciat: bene interim ſe habet, & formoſa eſt: neque etiam tuſſi vexatur, niſi quando periodicum hoc imminet *ſanguinis ſputum*; menſes tamen parcè fluunt. Judicent nunc eruditi an ſemper puris ſputum ſignum phthiſeos pathognomonicon exiſtat. Ego ſanè in ea ſum ſententia, ulcus pulmonis tabem non eſſe, niſi longo temporis tractu degeneraverit, vel in vomicam vel in empyema. Inſpectio variorum hoc morbo mortuorum & diſſectorum Cadaverum aliud me docuit.

[*ad D. Ioach. Georg. Elſnerum.*]

OBSERVATIO XCV. PATHOLOGICA.

D. ALHARDI HERMANNI CUMMII.

VOMITUS SANGUINIS MENSTRUUS.

VOmitum *ſanguinis menſtruum* patiebatur fæmina Nobilis Anno 1669. non procul Luchovio. Hæcce erat octo & triginta annorum, temperamento corporis ſanguineo, habitu corporis euſarco. Inciderat in hunc vomitum ante ſex menſes, cum ipſi rigente bruma iter facienti menſes fluerent, tunc enim refrigeratis partibus inferioribus in ſuppreſſionem menſium incidit; vomebat autem ordinariè ad quatuor libras. Huic nobiliſſimæ matronæ ego medicinam faciens nihil interius adhibere volui, quæ obſtructiones removerent. Adhibebantur itaque balnea ex emollientibus triduo antequam menſes ordinariè fluere debebant: utebatur ſuffitu ex trochiſcis de myrrha, alhandal, galbano, ſabina & ſimilibus, quem fumum poſt balneum ſub veſtes recipiebat. Inde Vena in talo ſecabatur. Fumus itidem tabaci, per inſtrumentum Anglicum inflabatur. Hoc modo Uteri obſtructiones ita ſolutæ, ut altero poſt menſe, ceſſante ſanguinis vomitu, naturales menſes requirerent vias.

[*ad D. Ioach. Georg. Elſnerum.*]

OBSERVATIO XCVI. PATHOLOGICA.

DN. ALHARDI HERMANNI CUMMII.

HÆMORRAGIA MENSTRUA PER TALUM in gravida.

FÆmina agreſtis, opulenta, ætatis ſuæ anno trigeſimo quarto, anno 1667. tertiùm *gravida* poſt primam ſtatim menſium retentionem pati incipit *ſanguinis profluum ex poplite ſiniſtro periodicum.* Primis menſibus tanto impetu ſanguis erupit, ut de eo vel potentiſſimis remediis ſiſtendo, ob effluxus metum, cogitaret; ſed poſt tertium imprægnationis menſem, citra ullum impetum & fermè guttatim tantum ſanguis promanabat: Sanguis autem fluebat continuò ſine ulla intermiſſione noctu æque ac interdiu, donec periodus quæ tribus primis menſibus trium dierum naturalium & ſex horarum ſpatio terminabatur, poſt duorum dierum & aliquot horarum, ſemel tantummodo unius diei & decem horarum ſpatio durabat, abſolveretur. Initio, ut dictum, nulla non tentabat remedia, quo ab hac moleſtia liberaretur; ſed cum appareret naturam hanc evacuationem vicariam facere, deſiit ejus ſuppreſſionem amplius moliri, præſertim à me monita, eam ſine noxa haud futuram, cum hocce profluvium in beneficium converterit natura, eoque ſoleat à ſuperfluo onere liberare, quoties amplius ſanguis increvit, humoreſque ei permiſti, quam ad nutritionem matris & fœtus requiritur; idque maximè cum fidem darem fœtui ex hocce fluxu nullum futurum periculum. Quæ ratio licet in quocumque corpore pondus ſit habitura, magis in hoc prævalebat ob peculiarem ejus conſtitutionem. Nam naturaliter multo ſanguine abundabat, eoque volatili, fervido & bilioſo: præterea vitam ſedentariam agebat, vixque ullis exercitiis utebatur, niſi quod aliquando domeſticis in laboribus occuparetur, quod cum fit, ſudore tota madeſcit. Eo autem lubentius meo acquievit conſilio, quod ſperaret poſt partum ſanguinem naturales vias requiſiturum. Hoc equidem factum cum legitimo tempore filiolum ſanum, & bene habentem enixa eſſet.

[*ad D. Joac. Georg. Elſnerum.*]

OBSERVATIO XCVII. BOTANICA.

L. CHRISTIANI FRIDERICI GARMANNI.

MUSCUS TERRESTRIS.

QUod curioſum animum oblectaret, nunc non occurrit, niſi forſan id præſtaret LYCOPODIUM ſeu *Muſcus terreſtris*. Scilicet ille menſe Auguſto & Septembri collectus pulverem dat ſubtiliſſimum, qui non tantùm exſiccat vulnera, ut notat *Schræder. in Phar. Chym. l.* 4. *claſs.* 1. ſi farina ejus excuſſa inſpergatur, ſed & à noſtris mulierculis Miſnenſibus propinatur Infantibus cardialgia & torminibus ventris laborantibus flatulentis. Vocant hanc affectionem *den Innerlichen Greiſel*, inde pulvis iſte *das Greiſel Pulver*, Lipſenſibus *die Schmere Nothim zeibe*. Vide *Dravviz. de Scorbut. tit.* 2. *p.* 138. Ille *Muſci* pulvis non indignam parit jucunditatem curiosâ indagatione, cum *vi fulminante* gaudeat, quod nec Perſis ignotum, uti notat OLEARIUS *Itiner. Moſcovit. Perſic. l.* 4. *c.* 24. *p.* 499. cum deſcribit ignes jocularios in Urbe Ardebil. Perſæ enim ut & Moſcovitæ ex *Muſco terreſtri* pulverem in copia Menſe Auguſto colligunt, in fornacibus ſiccant, & ignibus artificialibus, ſub nomine Plaven inſtar pulv. pyrii adhibent. Pulvis recens dum eſt & probè ſiccatus, majus concipit incendium præ illo, qui dudum collectus eſt. An blandum illud fulmen à calidi & humidi repugnantia, an à reſinoſa ſubſtantia proveniat, ſi quæreretur; utrumque admitterem, cumprimis quia teſte *Eodem Olear. l. a.* pulvis è Reſina idem præſtat. Cur verò prunis injectus non tonet, ſed flammâ infletur, ignis violentiæ erit aſſcribendum. Verno tempore Pinus pariter talem ſpargit pulverem qui vento tumultuante pluviæ mixtus, ſulphuream mentitur pluviam, ut annotavit *Crugner in Chymiſchen Zannenbaum*, & *Mœller. in Annal. Friberg.* Contra Scorbutum illum valere hariolor, eo quod pinus inter Antiſcorbutica comprimis emineat. E *Corylo* pariter talem acquirere verno tempore poſſumus, qui inter ſecreta contra Epilepſiam fuit Dn. D. Ganzlando Archiatro Dreſdenſi.

[*Garmann. Litter. è Chemnitio Uratiſlav. ad D. Sachſium.*]

SCHOLION.

Muſcus terreſtris variis à Botanicis inſignitur *nominibus*, de quo hic ſermo eſt: *Geſnero Chamæpeuce* dicitur (quam vis falsò, cum veram Chamæpeucem paucis ſaltem ante obitum diebus Geſnerus vidiſſet à *Thalio* miſſam) *Muſcus elevatus procumbens* Lobet. & Schvvencfeld. *Lycopodium ſive pes Lupi* Dodon & Eiſtetenſ. *Pes Leoninus*, *Muſcus repens* Trag. & Matthiol. quibuſdam *Cingularia*, *Selaginis* Species altera *Joan. Thalio in Sylva Saxon. Thu-*

ring. p. 116. *German. Burtel-Rraut*, S. *Ioannis-Burtel*, *Leufels-Rlau*, *Lovven-Sufs*, *& Sileſiis Schlangen-Moes*, *Rraen-Ius*, *Seil-Rraut*. *Oleario Beerlap*: Creſcit copioſè in monte Baldo prope Veronam, notante *Ioan. Pona in Plant. Mont. Bald. p.* 106. In Saxonia item, non ſolum in Broccembergo ſed & in montibus circa Vvernigerodam, Andersbergum, Stolbergam, *Thal. l. a.* & in Sileſiæ ſylvis, apricis, deſertis, ſabuloſis, & in variis locis. *Schvvencfeld. de Stirpib. Sileſ. p.* 141.

De hnjus *Muſcivi fulminante* ſimilia notat *Elsholz. in Horti Cultur. l.* 6. *c.* 3. *p.* 284. In Julio & Auguſto, *inquit*, reperitur flavus pulvis in hâc planta multis uſibus dicatus. Eundem Moſcovitæ adhibent ad Ignes ludicros, quia inflammabilis inſtar pulveris pyrii, & *Plaven* vocant. Vid. *Olear. l.* 3. *Itiner. c.* 23. *f.* 284. qui refert Moſcovitas eumdem pulverem adhibere ad Ignes Chaldæos parandos quos excitant circa feſtum Trium Regum: ſi hic per calamum ſcriptorium ſuffletur verſus candelam ardentem, ſe accendit. Huic pulveri ſi aliquid addatur de Thur. Maſtich. ſuccin. & benzoë pulv. & per flammam ſuffletur, non ſolum fulgur edit, ſed & *odorem ſuaviſſimum* excitat inſtar pulveris pro ſuffumigio, quod tanquam minus notum ſe recenſere teſtatur *Elsholz. l. a.*

Muſci odorati quoque meminit *Idem Elsholz. ib. l.* 6. *c.* 4. *p.* 301. naſci nempe circa Berlinum verſus domum Venatoriam Grunvvald *Muſcum elevatum foliis cupreſſi*, unde *Cypreſſen Mooſi*, ſelaginis primam ſpeciem, qui odorem exhibeat moſcho æmulum, & quem ſicca etiam planta conſervet. Solent ſanè *res* variæ *naturales*, *moſchi odorem præ ſe ferre.* Ut nihil dicam de variis herbis, floribuſque quibus *per artem* conciliatur talis *moſchatus odor*, & peragitur Seminum medicatione, odoraminum in radices immiſſione, inſitione, florum humatione, fœtidarum rerum additione, uti hæc latius explicat *Ioannes Baptiſta Ferrarius in Flora Italic. l.* 4. *c.* 7. *p.* 503. ipſius *naturæ opera odoramur*, Geranium moſchatum, Ivam moſchatam, flores bulbi vomitorii, & Dipcadi, Muſcari & moſchio Græco Italis dicti moſchum ſpirare. Sic Dn. *de Monconny* anno 1664. Mediolani apud *Exc. Settalam* Canonicum, ab omnibus Chriſtianis Principibus honoratum, & ab omnibus Curioſis & ab univerſo mundi magni æſtimatum, in ejus Muſeis tractavit *Lignum* noviſſimè ex India apportatum, quod perfectiſſimè ad *Zibetum odore* accedit, uti teſtatur *in Itiner. Italic. II. Tom. II. p.* 492. Pariter *ex Animalibus* cercopithecos, & quoſdam ſerpentes, & murium quoddam genus, *moſchum odore* referre teſtatur *Faber in Hiſt. Mexican. f.* 564. quod & *Idem l. a.* de Elephantis confirmat ex relatione Fratr. *Gregorii de Bolikar Hiſpani Ord. S. Franciſ. de Obſervant.* qui annos 25. in Indiis vixit: Elephantos etenim præcipuè in umbra de gentes ſuaviſſimum ſpirare ex ſudore odorem, quem Indi conchyliorum teſtis detergant, in vaſcula corrivant ſuaveolentem & moſchi odorem referentem. Ex *Moſcato* itaque hoc *muſcho* egregiam, & odoratiſſimam mihi medicinam pronuper Chymieus eximius communicavit, ſub nomine AURI HORIZONTALIS VEGETABILIS, quam hîc non piget aſſcribere: Colliguntur nempe, *Antheræ ex Muſci terreſtris ſcandentis ſpecie* ab *Elsholz.* l. a. & *in Flora Marchica* deſcriptâ, quæ tenuiſſimæ & leviſſimæ ſunt ſubſtantiæ, coloris aureo-ſulphurei, inflammabiles ad ignem candelæ, & per ſe quoque, ut & *flores Lycopodii* Dod. in calculo, Epilepſia, & pulmonum affectibus cum butyro maiali utiliter manè ſumuntur: hæ Antheræ ſi cum ſpiritu vini Tartariſato aliquandiu macerentur, & poſtea diſtillentur, oleum præbent rubicundiſſimum & odoratiſſimum, quod omnium Sulphurum vegetabilium apex dici meretur.

[*D. Philip. Jac. Sachs à Levvenheimb.*]

OBSERVATIO XCVIII. PATHOLOG.

D. PHILIPPI JACOBI SACHS à Levvenheimb.

MIRA IN BARONE ALVI STIPTICITAS.

VIxit paucis ab hinc annis *in Superiore* SILESIA Generoſus quidam *Baro*, (ex cujus Liberis relictis minor natu in Eccleſiaſticis Dignitatibus conſtitutus, ſummo in Honorum culmine verſatur, & Patronus meus inſignis eſt.) *Ille* tam inſignis fuit roboris, ut ferreas Equorum ſoleas, & ſolidos Imperiales ſolâ manu rumperet, tres homines una vice detineret, binos ſub brachiis, & tertium dentibus ipſius veſtibus infixis: Idem in venatione equo excuſſus, dum in terra proſtratus jaceret, Aprum ingentis magnitudinis irruentem una manu pilis ſub mento arreptis in curſu retinuit, altera manu vero cum gladio pectori violenter intruſo confodit: qui jam ſeptuagenarius, cum à militibus invaderetur, duos ex illis ita unico pugno excepit, ut mortuos in terram proſterneret & ſe liberaret, & quæ ſunt alia ipſius roboris inuſitati exempla plurimis nota. *Is* cum in Senio aliquando *per plurimos dies maximam* ſentiret *alvi ſtipticitatem* nullis remediis levioribus cedentem (quæ fortè ex Erroribus diætæ contracta, cum & integrum vini cadum *einen Ohmen*, aut *Rymer* uno in prandio potuerit exhaurire) à Medico petiit, ut ipſi fortiſſimam & ſuæ Naturæ convenientem præſcriberet Medicinam. Annuit quidem Medicus & in largâ doſi remedium præſcribit, irrito tamen effectu: rurſus inſtat ut Medicus fortiſſimum offerat vel ipſis jumentis grandioribus conveniens. Exhibet Medicus robuſtiſſimum, ſed præcluſo arctè inferiore gutture, omnia vano cum ſucceſſu, regurgitant cuncta verſus ſuperiora, & nil niſi certiſſimum inſtat mortis periculum. Unde Baro in his anguſtiis conſtitutus, conſilio tamen promptus exclamat, Hem!

cum Ars me deſtituit, & mors approximat, ipſemet ultimum tentabo remedium. Unde advocato quodam è famulis, jubet apportare *Cochlear ligneum majuſculum*, hoc inverſum & acutum redditum, ut is ano fortiter intrudat, ſerio injungit.

Paret ille, *novum* hoc *ligneum ſuppoſitorium* fortiſſimè intrudit, tantâ quidem violentia, ut ſanguis ſtillaret; nihilominus ut ſtrenuè pergat, & ſecurè, hortatus dominus, tandem cum obſtaculum quoddam in Inteſtino inveniretur, tamdiu *cochlear* hinc inde agitat, donec ſæpius concuſſa materia tandem ſuccederet & exiret, ſpithamæ longitudine, compacta, & adeo tenaciter cohærens, ut nec acuta ſecuri potuerit in particulas dividi. Sic *rudi* hoc *novoque inſtrumento*, non ubivis tamen imitabili, æger à morte liberatus fuit. Hanc novam & inconſuetam curam Illuſtr. quidam Comes aliquoties mihi retulit, ex ipſius Baronis ægri ore hauſtam, & nuper Medicus Oppolienſ. confirmavit, qui priores Medicinas exhibuerat.

Solet ſane interdum *materia excernenda* ita *indurari*, ut exitum reliquis fæcibus præcludat, quale exemplum habet DOMINUS PANAROLUS *Pentecoſt*. 3. *obſ*. 28. *p*. 85. de Juvene quodam *contumaci alvi ſtypticitate* laborante; is maximum impedimentum ſenſit in ano, quod fæcum expulſionem retardaret, immiſſo tamen in anum digito, obſtaculum illud aliquo modo amovens, aliquam fæcibus patentem fecit viam. Tandem cum res quaſi deſperata eſſet, & totus cadaveroſus factus, quâdam die cum inſigni cruciatu expulit, primo *pilam ſtercoraceam ingentis magnitudinis & duritiei*, tanquam feſtucis & paleis farctam, quâ ejecta incredibilis ſubſecuta eſt fœcum quantitas, & æger evaſit.

OBSERVATIO XCIX. MEDICO-ANATOM.

D. JOHAN. FERDINANDI HERTODII à Totenfeld.

CANCROSUM ULCUS PANCREATIS.

CHirurgus quidam Brunenſis *Joannes Vvegman*, annorum 42. & aliquot liberorum Pater, cum ab annis tribus ſæviſſimis renum & dorſi doloribus ſæpè recurrentibus pertentaretur, arenulas quoque rubras copioſiſſimè cum urinâ excerneret, comitante vomitu graviſſimo (qui facilè vas quoddam rumpere potuiſſet) Calculoſus ab omnibus judicatus eſt; Cùm verò tres ante ſeptimanas, hoc ipſo 1670. anno, iidem dolores repeterent, ſummeque excruciarent, ego cum *Excell. D. D. Hettmer* Ordinario ſuo, circa primam noctis vocatus ſum.

Ubi ad urgentiſſimum ſymptoma, dolorem ſcilicet ſedandum clyſteres ex laxantibus & anodynis injecti, non neglectis fomentationibus ex lacte, in quo flores verbaſci, malv. & parietar. ebullierint, atque inunctionibus cum ol. hyoſcyami expreſſ. ſcorpion ſ. & axungiâ cuniculi factis. Manè ægrum viſitantes dolores ſupradictos paululum mitigatos deprehendimus, verum ſuperveniente quadam reſpirandi difficultate, atque materiæ alicujus vel pituitæ purulentæ, aut ſanguinis excretione; concluſimus hujus cauſam flatus exiſtere: ordinato itaque & ſumpto ſpiritu Croci compos. ad XX. guttas in juſculo carnium macro, melius ſeſe habere credidit Patiens: elapſis tamen horis tribus, nullo evidente mortis indicio, nec ullis concomitantibus convulſionibus, vel ſudore frigido, derepentè clamans, ſuaviter ac vix advertentibus, placidè animam Creatori reddidit.

De *repentinâ* hujus *mortis cauſa*, magna inter nos Medicos interceſſit diſſertatio, dum unus vomicam pulmonis ruptam, in cordis ventriculos ruentem, accuſaſſet; alter lympham copioſam flatibus imprægnatam, cordis motum impedientem adduxiſſet; alii apoplexiam morbo ſupervenientem putaſſent, quam litem tamen exenteratio cadaveris ſtatim compoſuit.

Et cum pulmones vel cor, ipſoſque renes pro partibus affectis ſtatuiſſemus, à medio ventre exenterationem inſtituimus: Ubi in ſiniſtro pulmonum lobo copioſiſſimum etiam ad menſuras duas vel tres *concretum ſanguinem extravaſatum conſpeximus*: Cor verò ſine labe, nec pulmones adeo morbidos: ſed *diaphragma in eodem* ſiniſtro *latere perforatum* deprehendimus, quod *pertranſiit caro* quædam putrida, nigricans & corrupta.

Ad infimum ventrem deveniendo, carnem illam diaphagma perforantem *pancreas* eſſe vidimus, quod *ad duas ſpithamas longum & duarum manuum transverſarum latum* erat, *putridum*, *corruptum*, quod non ſolùm corroſivo ſuo acido diaphragma perforavit, ſed & *ſpinam dorſi* ita *eroſit*, ut *ulcus cancro ſimile* pugnum capere, & levi ictu tota ſpina dorſi frangi facilè potuerit: ultimo denique ipſam etiam *venam cavam*, quâ ſpinam decurrit, *corroſit*, à quâ ſanguis per Diaphragma perforatum, pulmonum motum impediendo, mortem intulit. *Cancer hic Pancreatis* ulterius ſerpendo, ambos quoque *renes corrupit*, eoſdem nigerrimos ac putridos effecit, nec in illis ullæ arenulæ, aut calculus (quemadmodum opinio erat) inventus eſt. Cætera ſaniſſima, exceptis inteſtinis, quæ ſuperabundanti bile conſperſa viſa ſunt.

Hîc *mirari contigit*, quod *corruptis renibus*, nihilominus *generarit*: quod hîc vaſis præparantibus non ab emulgentibus, ſed à venâ cavâ & arteriâ aortâ principium habentibus adſcribendum eſſe videtur.

Secundo quod perforato in tantùm *diaphragmate vixerit*, cum vulnera Diaphragmatis lethalia eſſe omnes Medici aſſerant: niſi dicamus vulnera in nervosâ, non verò carnosâ ejuſdem ſubſtantiâ (quale præſens erat) neceſſariò eſſe mortifera.

Tertiò Cur renum & pancreatis vaſorum ramis eroſis *purulenta non fuerit excreta* vel conſpecta materia: niſi fortè ex aliquâ oſculorum obduratione id evenerit, prohibente quo minus ſanguis ad hæc viſcera circulari potuerit: reliquus verò ſanguis in venis renum & pancreatis exiſtens ab acido ad inſtar ſpiritus Vitrioli ipſi ſanguini affuſi, corroſus & mutatus fuerit. Cauſam enim omnium ſupradictorum accidentium acidum corroſivum fuiſſe ſtatuo à ſtagnatione ſuâ nimiâ productum.

[*D. Hertod. è Bruna Morav. Litt. ad D. Sachſium.*]

OBSERVATIO C. PHYSICA.

D. VALENTINI ANDREÆ MOLLEMBROCCI.

PRÆDICTIO FUTURORUM EX DENTIBUS.

Rem raram & memoratu dignam narrabo. Matrona quædam Lipſiæ primaria toto matrimonii ſui tempore tres tantum filios enixa eſt, & quoties unum peperit, toties cum eo *dentem* ſapientiæ, uti vocant, ſimul accepit, qui quoque dentes, morientibus hiſce filiis exciderunt, ita ut mater, fœmina honeſtiſſima, vacillante dente uno, filium illum cum quo ille vacillans dens prognatus eſſet, morbo aliquo laboraturum, excidente vero eo, ipſum planè moriturum eſſe, certò prædixerit.

[*D. Mœllembrocc. è Halis Saxon. ad D. Sachſium Uratiſl.*

SCHOLION.

Præter iſta *Signa* generalia ab *Excretis* deſumpta, *Urinâ*, *Alvi fæcibus*, *Sputis*, *Sudore*, non rarò etiam ex ipſis Hominis partibus depromere ſolent Medici judicia ſalutis vel interitus. Sic *Prothus Caſulanus* ex Lingua, *Camillus Baldus* ex Unguium inſpectione, quomodo *Judicia medica* formanda ſint, ſingularibus docuerunt tractatibus. Huic in preſente Obſervatione notato exemplo, analoga eſt Hiſtoria à *Panarolo Pentecoſt.* 3. *obſ.* 24. *p.* 81. notata, de fœmina pulcherrima, cui *cum morbus immineret*, paulo ante eumdem, ſemper *vena in medio frontis tumere* viſa eſt, quod *Panarolus* multoties ſe obſervaſſe teſtatur. Ipſemet nunc ſub cura habeo Virginem melancholia hypochondriacâ laborantem, *cui* quoties ſævior inſtat paroxyſmus & anxietas, ſemper *arteriæ & venæ in temporibus intumeſcentes* morbum prænunciant, cujus cauſa tamen reddi poteſt, propter bullientem tum temporis majorē æſtu ſanguinem.

[*D. Phil. Jac. Sachs à Levvenh.*]

* * *

OBSER-

OBSERVATIO CI. ANATOMICA.

D. THOMÆ BARTHOLINI.

MORS SUBITANEA.

SUbitanea morte concidentes anno 1669. nudius tertius aperti à Chirurgo Regio *Philippo Hacquinet* variam detexerunt fati præcipitis cauſam. *In altero* enim pinguedo nimiâ pulmones compreſſerat, Polypo cordis ventriculi ſiniſtri tranſitum ſanguinis retardante: *in altero* fodiendi labore fatigato, vena cava prope cor diſrupta, ſanguine inundavit viſcera.

D. Th. Bartholin. e Hafnia ad D. Sachſium in Litteris.

OBSERVATIO CII. BOTONICA.

D. JOANNIS JÆNISCH.

BVGLOSSVM SILVESTRE MONSTROSVM.

Vid. Tab. VI.

CIrcumſpectam & indefeſſam rerum omnium Parentem *Naturam* nonnunquam *in Regno Vegetabili* ſuam pati Eclipſin, quotidiana conteſtatur experientia, non autem ſuâ ſponte monſtra formando illam errores committere credamus, ut potè quæ à ſapientiſſimo rerum Conditore innatam ſibi prudentiam ſemper ad perfectiora dirigat, præter intentionem verò & voluntatem tam propter heterogenei admixtionem quàm externorum & ab arte dependentibus impedimentis aliam viam, otii neſcia, eligere cogatur. *Monſtra* itaque Plantarum conſideranda veniunt *vel naturaliter* talia, *vel per artem* parata. *Hæc* variis modis redduntur *monſtroſa*; *vel per inſitionem*, cùm una arbor duplex, triplex imò multiplex florum aut fructuum genus producit; *vel per depreſſionem* aut deligationem fructuum ſeu tenellæ plantæ, ut propria figura mutetur. E. g. quando fructum alicujus plantæ creſcentem ad formam alicujus vaſis reducimus, ut cucumeres creſcentes vinculorum anguſtiis ad formam anguium producimus; Sic *Roſa Mundi* dicta ſive bicolor per artem nunc Oxonii provenit copioſè teſte, oculato *Borrichio in epiſt.* 92. *ad Barthol. cent.* 4. *p.* 525. Eadem *Roſa* ſponte abſque ullâ arte præterito ananno 1669. excrevit in hortulo ſuburbano Collegæ noſtri *D. Philipp. Iac. Sachſii*, quæ dimidia ex parte alba, dimidia parte rubra eſt, quam delineatam npn minus quàm ſiccatam ſervat & nobis monſtravit vividam. Omnes ejuſmodi modos recenſere non eſt hujus loci, ſed artificioſis hortorum cultoribus relinquendum negotium, qui etiam hac de re conſulere poſſunt *Ferrarium in Flora*.

Naturalia Monſtra diſtingui poſſunt *in prodigioſa* & *ſimpliciter monſtroſa.* *Illorum* recenſet nonnulla *Ullyſſes Aldrovandus in Monſtrorum hiſtoria f.* 664. ex *Plinio*, *Lycoſthene Philoſtrato* aliiſque deſumpta, ubi fruges ſeu frumentum in arboribus natum, ſiliginis culmum quindecim ſpicarum viderunt, & hinc vel hoſtium irruptiones, annonæ caritates vel alia portentoſa ſubſecuta obſervarunt.

Simpliciter monſtroſa varia ſunt, quæ ſcilicet in radicibus, ramis, & aliis plantæ partibus Naturam agnoſcunt Sculptorem aut Pictorem. Sic in Muſeo Illuſtriſſimi Senatus Bononienſis ſervatur *Radix Serpentiformis*; Clariſſimo Aldrovando olim donarunt *ramum ophiphyton ſeu ophixylon.* Juxta varias autem partes abſque certâ figurâ per ſe monſtrificæ conſpiciuntur *Parietaria* & *Anchuſa* in Muſeo Imperati, quæ ſimiles ſunt cornucopiæ: In *Calendulâ* vidit decem flores ſupra elevatos, in *ſcabioſa* & *& primula veris* florem ſupra alterum, in *Datura Contareni* calicem florum triplicem; unum in altero *Franciſcus Imperatus in diſcurſ. nat. diſc.* 14. Altemburgi *Roſa triplex à D. Urſino Collegâ* quodam noſtro *Curioſo* delineata & æri inciſa tum temporis exhibita.

Ocymaſtri radicem monſtrificum cum tumore circa faſtigium Aldrovandus; *amygdali folia* monſtrifica Idem, *Hieracium monſtrificum*, *geniſta* monſtrifica, *intubum ſilveſtre* caule monſtroſo, nempe lato, compreſſo & contorto, *tragopogon* caule latiſſimo, *tithymalus* cupreſſinus monſtroſus, *medium* Matthioli caule lato & monſtroſo, *anchuſa* purpuraſcens figurâ ventilabri, *Lycopſis* caule itidem latiſſimo, *roſa monſtroſa*, *martagon* monſtrificum quinquaginta florum; & quæ aliæ quàm plurimæ à laudato Aldrovando l. c. recenſentur & delineata videntur.

Præter jam enumerata & à nemine adhuc Authorum, quod ego ſciam, hic *Uratiſlaviæ* præterito menſe Junio anni currentis M. DC. LXX. ſeſe in foro publico vendibile præbuit BUGLOSSUM SILVESTRE MONSTRIFICUM, quod tam ob Spectatorum curioſitatem, quàm Vulgi varias & ſuperſtitioſas ſpeculationes non ſolùm monſtroſum ſed & prodigioſum fuit habitum, quaſi natura tam copioſis, quibus gaudebat, foliolis, depravatas & ad ſuperbiam unicè pronas hominum, præprimis ſexûs ſequioris, mentes adumbrare taciteque eas corrigere intendiſſet; verùm ut rei veritatem cuilibet patefaciamus, brevibus eam deſcribere & ex vivo (quamvis proportione geometricâ diminutum) æri incidi curavimus. *Bugloſſum* hoc *ſilveſtre monſtrificum*, erat magnitudine digitorum majorum ſeu unciarum geometricarum viginti quinque longum & paululum flexuoſum, latum verò palmi minoris, imò quatuor unciarum, caule monſtroſo & latiſſimo, fibrarum ordine in directum æquè diſtante diſtinctum, floribuſque copioſiſſimis & unicâ ſaltem radice præditum; uno verbo *Intubum ſilveſtre* caule lato & compreſſo, vel potius *Lycopſin* caule latiſſimo ab Aldrovando in ſuâ monſtrorum hiſtoria deſcriptam & depictam ferè æmulans, uti ex Iconiſmo adjecto, ſi cum Aldrovandi conferatur, curioſus Lector deprehendet.

Cauſam monſtroſæ hujus conformationis ſi quis à me ex igeret, in prægreſſi hiemis frigus tam gradu quàm temporis duratione intenſiſſimum, nec non nives copioſiſſimas certè conjicerem, ſi quidem à pluribus hortorum cultoribus obſervatum eſt, hoc & ſimilis temperamenti annis, plures Tulipas non ſolùm binos ſed ternos & quaternos ex eodem caule protruſiſſiſſe flores, credoque eandem luxuriem in permultis aliis plantis tam hortenſibus quàm campeſtribus deprehendi potuiſſe, modò obſervatorum curioſitas huic negotio diligentius incubuiſſet.

Nam frigus adeò intenſum & durabile prohibuit, quò minus plantæ hujuſmodi ſenſim progerminarent, ſed potius deinde frigore remittente radices uno quaſi impetu & unitâ virtute (quæ ſemper fortiſſima) germina aliàs diviſim aut ſingulatim proditura, conjunctim emiſiſſe & inter ſe quaſi conglutinaſſe; Deinde nives copioſiſſimas nitroſâ ſuâ ſubſtantiâ ſic plantas quaſdam fœcundaſſe, ut ſic multiplicatæ prodierint; quod fortè confirmari poſſet artificio illo, quo quidam menſtruo quodam ſecreto, cujus inventor *Glauberus* creditur, & quod *D. D. Joan. Ferdinandus Hertodius* Collega noſter in Crocologiâ ſuâ mox ſub prælo jam lucem adſpirante communicavit, in quo ſemina nonnihil macerata ita fœcundari dicuntur, ut plantas multò latiores & multiplicatiores promittant. Et hæc mea de monſtroſæ hujus plantæ cauſâ conjectura ſufficiat, aliis me oculatioribus exactiorem hujus cauſæ inquiſitionem placidè permittens.

OBSERVATIO CIII. ANATOM.

D. HENRICI VOLLGNADI.

ANATOME ANCILLÆ ALTEMBURGENSIS, QUÆ bufones vomuerat.

ANno 1662. Menſe Februario in Xenodochio Altemburgenſi mortua eſt *Catharina* illa *Geileria*, quæ annis retro quaſi viginti *Bufones* non paucos, ſimiliſque his Saburræ plurimam colluviem vomitu rejecerat, quemadmodum pluribus videre eſt in ſtupenda Hiſtoria, quam vix comparandus noſtræ ætatis Medicus & Anatomiſta. Dn. *D. Bartholinus Centuriis* ſuis Hiſtoriarum Rariorum Anatomicarum inſeruit.

Cum vero allegata hiſtoria, quæ dictæ Catharinæ ab anno 1647. uſque ad annum 1658. contigerunt, tantum referat, hîc reliquum Vitæ ſuæ ſtatum morboſum, fatum & Anatomiam enarrare operæ prætium exiſtimamus.

Permanſerat Ancilla, ab illo tempore quaſi ſemper in eodem ſtatu, ſcilicet, affligebatur continuo Pedum inſigni tumore, unde non raro cutis findebatur ac ſerum exſtillabat, macie reliquum corpus occupante. Subinde atrociſſimos dolores circa ſtomachi regionem perpetiebatur, ut crederet ſe ibi loci à vivo animali veluti acutiſſimis unguibus lancinari, nullum tamen hactenus unquam ſive animal ſive vermem aut particulam horum vel vomitu vel ſeceſſu rejecit.

Vinum aliquandiu bibebat cum juramento, nam iuſſu Sereniſſimæ Principis Altemburgicæ id ipſi certâ menſurâ porrigebatur, tandem idem averſabatur, quemadmodum & jam pridem omnem cereviſiam, &, ex cibis, carnes, melius potum cereviſiæ ſecundariæ, optimè lactis & aquæ ferebat. De doloribus, duritie & pondere dextri lateris ferè ſemper conquerebatur; quoties noctu ſupina dormiret, toties largiſſimas eruptiones Sanguinis è faucibus experiebatur, aliquando citra ſenſum, ut hinc periculum ſuffocationis immineret. (Habeo hæc ex ore ipſius ægræ quam curioſitatis cauſa ad 1659. menſe Julio inviſebam; atque hiſce præcipuè ærumnis vexabatur donec tandem ſupervenientibus vomitibus, quæ cum fœtore moleſtiſſimo nonnullas fæces inteſtinales explodebant, diem ſuum miſerrimè obiret.

Accidit ut eo ipſo tempore apud Exc. Dn. D. Chriſtophorum Ausfeld, Archiatrum & Phyſicum Altemburgenſem, Medicum & Chymicum, ipsâ teſte Invidiâ, ob exquiſitum ingenium ac judicium raræ Prudentiæ, Præceptorem paulò ante meum & deinde Fautorem dum vivam venerandum, diverterem; Cum itaque Ancillæ mors indicaretur eidem prælaudato Dn. Hoſpiti, Auctor is mihi fuit, ut cadaver ſecarem, ejuſque viſcera, quoad liceret, ſcrutarer, quanquam ipſe, propter alia negotia apud Sereniſſimam tunc ſine morâ obeunda, ſectioni intereſſe minimè poſſet. Equidem lubentiſſimè negotium in me ſuſcipiens. ad ſectionem propero, dies enim jam agebatur tertia, ex quo vitam finierat ancilla, &, ne ſecio deſtituerer, adſciſco Sereniſſimæ Principis Chirurgum, Joan. Hilſcher, virum induſtrium ac curioſum, nec artis ſuæ vulgariter gnarum. Uterque mox in Xenodochium recepti, ad ſectionem, quantum loci commoditas non ſatis commoda permittebat, diſponimus cadaver, immò vero ſceleton ſola cute indutum, ubi protinus duo apparent Tumores mediocrem nucem juglandem vix æquantes, quorum alter in ſiniſtro latere in infimis lumbis, alter pube tenus eruperat, hic vero paulo ante obitum ſponte ſua crepans in ulcus degeneraverat. Aperto jam Abdomine ventriculus & inteſtina primo luſtrabantur: Ille quaſi omnino vacuus erat, ac ſaltem duo circiter cochlearia liquoris limpidi continebat; Hæc, dum à Meſenterio omni pinguedine deſtituto ſepararentur, in Ileo ipſo tres *Nodos* ſingulos dimidii digiti longitudinem æquantes, & nonnulla intercapedine à ſe diſtantes, exhibebant, qui accuratiùs perluſtrati, erant *Duplicaturæ inteſtini in ſe retracti*, quæ licet levi tractu tenſæ, non difficulter ex ſe recedebant, nihilominus, quantum fieri potuit, diligenter cavebatur, ne duplicaturæ illæ in ſeparatione à Meſenterio diſſolverentur, ſed potius in ſuo poſitu conſervarentur, donec experiri liceret, an aliquid per haſce ſtricturas tranſire poſſet. Infuſa ergo deinceps eſt Aqua, & deprehenſum illam quidem non penitus præcludi, veruntamen veluti guttatim ſaltem tranſmitti. Poſt hæc hi Nodi evaginabantur, & inteſtina omnia aquâ eluebantur, cum qua perpauca parva & dura excrementa, & quatuor Lumbrici perexiles exturbabantur. Jam Hepati manus injiciebantur, quod ſolito nonnihil grandius maximam partem ventriculi premebat; in ejus media ſima parte conſpiciebatur macula alba, circumferentiâ Thalerum æquans, adſpectu adipi, Cordi adnaſci ſolitæ, tactu cartilagini molliori ſimilis, quæ totum parenchyma penetrabat, & in cava parte amplius ſpatium occupabat. Hanc ſtipabant plures aliæ minores maculæ in utraque ſuperficie, quarum internæ crebriores & latiores externis exiſtebant. Diſſectum per medium Viſcus, intrinſecus quaſi totum, per ſui latitudinem, album & durum apparebat, vaſa cuncta hiabant, ſed veluti in crucis formam conformata, preſſa manu liquorem album, craſſum & veluti ſanioſum reddebant; Albedo vero illa verſus utramvis extremitatem ſenſim remittebat, rubore naturali ibi conſervato. Ipſum Parenchyma ad minimum 4. libras civiles (nam juſtum pondus ad manus non erat, quo exactè trutinari poſſet) pendebat. Cætera accuratiùs perquirere incommoditas loci & temporis, immò & fœtor cadaveris minimè permiſit.

SCHOLION.

Sub initium hujus anni 1670. *Epiſtolarum* Medico-Philologicarum *D. Thom. Reineſii*, farrago poſthuma, ſemicenturiam non valde excedens, edita eſt, in quarum 30. p. 20. ſupra nominatæ *Catharinæ hiſtoriam* laudatus modo Medicus Criticus, recenſet, ſed paulo aliter quam illa olim Excell. Dn. D. Bartholino communicata fuit. Minime ergo tædioſum fore L. B. puto, ſi inde quædam carptim, h. e. quoad hæc ab illâ relatione diſcrepare videtur, vel hæc illius defectum ſupplere poteſt, huc tranſcripſero, ſedulo præcavendo animum ullius fidem quoquo modo ſubleſtam reddere volentem.

Apud Bartholin. c. 6. obſ. 19. p. 255. refertur, Ancillam fuiſſe Temperamento Cholerico & ſanguineo. B. p. 256. Menſes interea ſuppreſſi:

Reineſius p. 70. Corpulentam, Ægram & Colore florido dicit.

R. p. 71. Feras ſe enixas eſſe ferebat, ſed deluſam arguit hoc quod ſemper (ad 12. Julii anni 1647.) juſta muliebria proceſſerint, id quod ex ipſa, primo ad eam ingreſſu, quæſiveram, &c. & p. 72. ex abſentia ſymptomatum ſignorumque malè affecti (uteri) & menſtruis ſemper (uſque ad 11. April. anni 1648.) ritè fluentibus, uti ad me fatebatur, progreſſis colligere potui, &c.

B. p. 256. poſt biennium. R. p. 70. Poſtquam Vere anni præteriti varios in abdomine dolores lancinatorios, inſolentes in eodem motus & inflationes ſenſiſſet, (eadem ſymptomata, uti & faſtidium quorumcunque potulentorum, inſanum verò appetitum aquarum & lactis à *quinquennio* Vernis Menſibus ſe experiri & vomitibus vehementiſſimis affligi, refert ipſa) &c.

B. p. 256. 25. Jun. ſuaſu Chirurgi ad

R. p. 70. 23. Junii anni 1647. neſcio

ſudorem ſe compoſitura in Aqua Fumariæ parum Mithridatii ſumpſit, unde poſt bihorium graviſſimas anxietates, &c. Bufonem magnum duoſque parvos, cum duobus lacertis viridibus per os rejecit, &c.

cujus conſilio adſumpta Theriacâ balneum ingreſſa, nocte in ſequente ingraveſcentibus doloribus poſt jactationem multam, ſudores frigidos, amputationem vocis, & alia ſuffocatis ex Utero, vel alioqui Ventriculo graviter laborantibus familiaria, evomuit 26. Jun. buſones duos majores (*die grohte hat ein und ein halb Wentlein gevvogen.*) quator minimos magnitudine, fuci majoris, & lacertas duas exiguas, auricularis digiti longitudine, craſſitudine ſcriptorii calami, vivas omnes, *&c.* Præmiſſo Clyſtere exhibui Pilulas (ibi deſcriptas,) dici vix poteſt quanta ſordium viſu & odore peregrinarum, viridium, luridarum, maculoſarum, viſcidarum copia ex intervallo ſeceſſerit. Ægrota interim ad omnia bene habere, reverti appetitus, &c. &c.

B. p. 257. die 12. Julii unus prægrandis, & duo parvi bufones mortui expulſi eſſent.

R. p. 70. die 12. Julii ſentire ſe in hypochondrio pondus quaſi quoddam aiebat, accedebant tormina & motiones impetuoſæ cum ſumma anxietate & inquietudine, donec ad mictum urgeretur, quo conatu ſeceſſit bufo minor & poſt bihorium major, comite minimo quodam, mortuus. Haſce feras ipſa è pudendis prodiiſſe & enixam ſe eſſe ferebat. (*die groſite hat 3. Loth Vveniger 1. Duentl. gervogen*) ſed deluſam, *&c.*

B. p. 257. D. Thomas Reineſius cum Claudero tentavit neceſſaria remediorum genera, ſed tota iſta æſtate nullum amplius inſectum obſervarunt, &c.

R. ibid. ex præſcripto juſſi pergere uti cœperat. XVIII. Julii ingruere vomitus aquarum lutulentarum, craſſarum, lentarum, citrinarum, ſummè fætentium; urinæ etiam ſimiles mingebantur cum ſedimento farinaceo copioſiſſimo, ipſâ viribus admodum dejectis; nihilominus perrexi, adhibitis etiam ſubinde analepticis ægram refeci.

XXVIII. Julii poſt noctem prægreſſam graviſſimam, cum conſuetis ſordibus (quæ interea ad menſuras 30. ſeceſſerant) maſſam albam è luteo, fibroſam, corruptam, fœtidam, puncticulis lucentibus, velut oculis, interſtinctam dejecit; ſimilemqne ad uſum extracti Alhand. & Theriac. per quatriduum (exhibiti) IX. Auguſti. Ab eo tempore paulatim convaluit, conſuetos cibos potuſque adpetiit, lacte tamen & aquis ſemper delectata eſt, & nonnunquam uſa, autumnum hiememque ſine notabili offenſa peregit.

B. p. 258. Anno 1648. menſe Martio denuo quaſi ſurſum repentia animalia ſenſit, &c.

R. die 24. Martii (Anni putà 1648.) proximè de familiaribus in abdomine roſionibus & turbis, ventris duritie, & inflatione, adpetitu dejecto, corporis inuſitata gravedine pigritie & ad motum citatiorem ineptitudine, cum inſomniis turbulentis & diſpnœâ moleſtâ ad me ventitans querebatur: ſuſpicatus quod erat, ſine cunctatione exhibui ei mane ſumendam maſſam Pilularum è Marocoſtin. Mindereri ſucco abſinthii impræg. extr. Panchymag. & tr. alhand. veſpere vero bolum è pulv. Dictamn. Cret. Contrayervâ excepto theriaca formatum: Dejicit ſordes inſtar gelatinæ conſiſtentes, virides, viſcidas, cum aquis viridibus fœtidiſſimis, & cum uſum horum per quatriduum continuaſſet, 29. Martii poſt tormina atrocia excrevit ranam muco plurimo involutam, cum tribus lacertulis & quarto dimidiato, vivam, ſubinde in aquis ſuis coaxantem & effuſis aquis in tinâ ſaltantem: ea in ſextum diem in aquis ſuis vixit. Die Jovis ægrota ſatis hilaris erat: juſſi igitur pergere. Die Mercurii, 4. Aprilis, evomuit ranas virides majores duas, vivas, & 11. Aprilis bufonem grandem, turgidum, cum acutiſſimis unguiculis, mortuum, alvo excluſit. Referebat ſoror per horas ſex enixu conatam fuiſſe feram excludere, ſed non valuiſſe, donec ipſa manum admoveret & extraheret. Nihil poſt hanc excretionem, vivorum animalium, cum copioſiſſimæ per dies plurimos, prioribus ſimiles, contingerent evacuationes, ſeceſſit præterea, etſi per menſis ferè ſpatium aloëticis cùm ſumma εὐφορία uteretur, & biberet aquam Salviæ aceto ſcillitico temperatam. Vivit autem hodie valetque, ne minimum quidem morboſi indicium præ ſe ferens, *&c.*

Hactenus Dn. D. Reineſius curæ ſolum præfuiſſe videtur, quæ vero deinceps ab anno 1649. ad annum uſque 1655. ægrotæ acciderint, ex ſupra toties laudatiſſimi Dn. D. Bartholini Relatione petere licet.

Denique de generatione horum animalium in corpore hujus ancillæ pauca habet *Reineſius*, quæ his abſolvit verbis: Ego non dubitem adſerere proximo ab hauſtu ſeminibus animalium fœtæ aquæ verè per vomitum, quem ſingulis annis vernis menſibus pati ſolebat, excluſas fuiſſe feras: Sed aquas nec ipſam quidem, utpote, quæ vel in cloacas, vel in fimeta evomere conſueverat, obſervaſſe; Senſiſſe interim multa craſſa & corpulenta ore ſuo extrudi paroxyſmis vomitum creberrimorum. [*D. Henric. Vollgnad.*]

OBSERVATIO CIV. PATHOLOG.

L. CHRISTIANI FRIDERICI GARMANNI.

HORROR à VERMIBVS.

QUidam Civis noſter Chemnicenſis dies noctesque *intolerabili* cruciabatur *Horrore*, nullis operimentis tantiſper cedente. Balneo etiam calidiſſimo illatus nihil levaminis ſentiebat, & *in ſomno horrore* percuſſus tremebat. Ab hoc pro febricitante, ab alio pro Scorbutico habebatur. Me tandem conſulit, & quamvis eumdem à Scorbuto non penitus abſolvendum putarem, tamen *vermium præſentiam* ſtatim ſuſpicabar. Firmarunt hanc ſuſ-

ſuſpicionem varia quæ à Practicis allegantur Signa, quæ propria ægri relatio confirmavit. Propinavi per aliquot dies vermibus ſpecificè contraria medicamenta, parum tamen ſenſit levaminis. Purgante tandem appropriato uſus globulos duos vermium, magnitudine ovi gallinæ per alvum excrevit cum materia fœtidâ & purulentâ. Ceſſavit eodem momento *Horror*, & eodem die conſuetos & per tot menſes intermiſſos adiit labores.

[*L. Garmann. e Chemnitio ad D. Sachſium.*]

OBSERV. CV. PATHOLOGICA.

Dn. GODOFREDI THILESII.

CALCVLI EX ABSCESSV CIRCA HEPAR.

PAuci elapſi ſunt anni, quod hìc *Uratislaviæ*, vixerit, *Ioannes Greſchius*, *Oeconomus Xenodochii ad Spiritum Sanctum*, Vir robuſtus ac validæ conſtitutionis, temperamenti Sanguineo-cholerici. Hunc quondam menſe Junio, anno ætatis 60. deſubito Rigor vehemens invaſit, cui poſtliminiò dolores in Hypochondrio dextro ad regionem Hepatis unà cum Tumore, nucem juglandem æquante, acceſſerunt. Tumoris doloribus perſiſtentibus, intra ſemeſtre ſpatium adeò increvit, ut tandem panem ſiligineum Uratislavienſem quantitate tantum non ſuperaret, ſicque induruit, ut ſcirrhum referret. Quanquam vero Affectui huic cura diligentior adhibenda fuiſſet, ægrotus tamen nec Medico nec Chirurgo uſus, ſed ſui ipſe curam ſuſcipere auſus eſt; internè quidem Balſamum Sulphuris, aliquandiu ſingulis diebus, deinceps bis terve in Septimana, ut & nonnunquam pulverem cardui benedicti adhibuit, & pro evacuatione quandoque, velut pro libitu, Rhabarbarum; Externè vero ab initio ad finem morbi nil niſi Emplaſtrum Jenſigneri Norimbergenſe Tumori applicuit. Tandem aliquando contigit, ut circa Feſtum Nativitatis Chriſti, dum noctu ægrotus dormiret, ſe haud ſentiente, Tumor rumperetur, unde magna quantitas materiæ pultis inſtar craſſæ, cinericei coloris, integris 4. ſeptimanis profluxit, donec tumor quaſi omnino deſideret.

Poſthæc *ex vulnere*, quod interea in fiſtulam degeneraverat, atque in nonum uſque annum, indito in id inſtrumento argento, apertum ſervabatur, juxta cum humore ichoroſo, ſucceſſivè *plurimi lapilli* provenerunt, diverſæ magnitudinis, formæ & figuræ, ſic ut alii triangulares, aliii quadrangulares, alii ſexangulares, deprehenſi ſint, inter quos majores, glandibus faginis, minores vero, granis Ericæ ſimiles erant.

Iidem Coloris ſunt extrinſecus ſub-punicei, inſtar Caſtanearum nondum omninò maturarum, inducti tenui quodam cortice, intrinſecus lutei inſtar Rhabarbari, quo ægrotus ſæpius utebatur. De cætero *lapilli* dicti ſunt friabiles, pondere admodum leves, ac numerum eorum novem annorum ſpatio

tio excretorum, *quingentenarium* aut *ſexcentenarium* æquare, hæredes ægroti affirmant: Eorumdem etiam lapillorum nonnullorum numerum ad 80. apud me aſſervo. Quamdiu vulnus apertum conſervatum eſt, & lapilli excreti ſunt, cætera vir ille bene valuit, & ad quævis ſua munia obeunda, ſupra morem ætatis, expeditus & alacer; quam primum vero vulnus ſua ſponte coaluit, in alios Morbos incidit, præcipuè vero interdum in Aſthema, interdum in Icterum, ſæpius in Diarrhœam, quorum morborum unus tandem quoque ipſi vitam exſtinxit, poſtquam 72. ætatis annum acceſſiſſet.

OBSERVATIO CVI. PATHOLOG.

D. GODOFREDI THILESII.

CALCULUS VESICÆ CUM INSIGNI UTERI OBSTRUCTIONE.

Vid. Tab. VI.

NObilis quædam *fœmina* hujus *Provinciæ Sileſiæ* formæ corporiſque conſtitutione ac temperamento ſatis laudabilis, annorum 41. ante annos tres cum dimidio filiam enixa eſt, ab illo tempore per viciſſitudines *dolores* ſenſit *nephriticos*, qui tamen adhibitis quibuſdam medicamentis nephriticis remiſerunt. Anno dein elapſo, febri malignâ petechiali laboravit lethaliter, divinâ a. benedictione feliciter curata. Brevi poſt tempore non ſolùm priores dolores nephriticos magis magiſque recrudeſcere, ſed etiam deſcendentes quaſi gravaticos & lancinantes in inguine animadvertit. Quoniam verò illi erant adhuc tolerabiles, patiens Nobilis eos floccipendit, nec ad illos exſtirpandos efflagitavit conſilium, donec circiter ante ſeſquiannum, malo indies creſcente, gravitatem circa pubem aſſiduam, ſæpiuſque involuntariam mictionem, urinas ardentes & purulentas, tumorem à pudendo ad exitum veſicæ, deſidendique deſiderium, & alia ſymptomata atrociora doloribus præteritis ſentiens, Obſtetrici ſatis prudenti & expertæ ſe commendavit, quæ affectum hunc pro uteri prolapſu recognovit, hâc præprimis de causâ, quia vaginam uteri adeò impletam & farctam deprehendit, ut ne digiti quidem immiſſio, multo minus mariti congreſſus amplius admitti poterat, menſibus nihilominus ſemper ſtato tempore etiam ſolita qualitate fluentibus. Propterea Obſtetrix variis huic affectui neceſſariis & convenientibus remediis, præprimis beneficio annuli, uterum in ſuum locum reponere tentavit. Nobilis Patiens nullum hinc optatum videns effectum, ſed dolores & omnia reliqua ſymptomata magis magiſque ingraveſcere magnamque partibus genitalibus accidere inflammationem ſollicita, tandem & me (qui aliàs nobiliſſimæ iſtius Familiæ ſum Medicus Ordinarius) in conſilium vocavit. Ubi omnibus circumſtantiis probè conſideratis, hoc malum principaliter pro *calculo veſicæ* judicavi, & incurabile æſtimavi, propterea, quoniam calculus præmiſsâ per cathetrem exploratione, tantæ magnitudinis obſervatus ſuit, ut etiam ad hunc actum vocatus Lithotomus *Joannes Georgius Pezoldus* ſine ſummo vitæ periculo eum extrahere non auderet. Idem judicarunt mecum alii in conſilium poſtulati Medici & Doctores hujus Urbis, Excellentiſſimi & celeberrimi, nempe Dominus *Philippus Jacobus Sacs à Levv.* Dominus *Gottfridus Neumannus*, & Dominus *Fridericus Ortloh.* exitus acta quoque ſic probavit. Licet enim communi conſilio multa eaque generoſa tam interna quàm externa, præſcripta & adhibita fuerint medicamenta, nullum tamen horum tantæ fuit efficaciæ, ut ex cymbâ Charontis Ægram extrahere potuerit, ſed creſcentibus indies doloribus & decreſcentibus viribus, ſupervenientibuſque creberrimis vomitibus die 1. Februarii anni 1670. ſecundum præſagia mare mortuum pernavigare coacta fuit. Exenteratione factâ, quam me præſente *Ioannes Franz* Chirurgorum Uratiſlavienſium Senior perfecit, viſcera principaliora ferè omnia bene & naturaliter conſtituta deprehendebantur; *ventriculus* autem planè vacuus & tabefactus; *inteſtina* contra, præſertim jejunum, flatibus diſtenſa, & partim flava, partim & planè ſuggillata & quaſi inflammata. *Renes* cum *ureteribus* uſque ad veſicam putredine erant corrupti, humore glauco fœtidiſſimo, ſabuloque albo infarcti, dextrorſum tamen magis quàm ſiniſtrorſum. In *Veſica* nulla urina, ſed tantùm paucus albus mucor; in hujus autem collo magnus & durus *lapis duas Medicinales pendens uncias* inveniebatur, quem ad amuſſim delineatum *præſens Tabula* exhibet ſignatum ab utraque facie conſpicuum. *Uterus*, ſolito grandior, tamquam pugnus benè magnus, & ſat durus, quod anſam dedit, ut illum aperiremus. Illum totum quantum albâ, compactâ, durâ & viſcidiſſimâ materiâ impletum reperimus, ut planè nulla cavitas amplius videri liceret, quæ ſubſtantia non ſolùm nterum occupabat totum. ſed & majorem partem vaginæ uteri, cujus lateribus adeo firmiter adhærebat, ut citra lacerationem vix ſeparati poterat. Hinc Obſtetrici vitio non eſt vertendum, quod hunc affectum pro procidentiâ uteri habuerit. Reliquæ pudendi partes ferè omnes erant penitus inflammatæ & exulceratæ.

* * *

OBSERVATIO CVII. THERAPEUT.

D. JOACHIMI GEORGII ELSNERI.

VERONICÆ USUS IN CALCULO.

Vid. Tabul. VII.

Ut gutta cavat lapidem non vi ſed ſæpè cadendo;

ITa non rarò medicamenta ſimplicia & viliora ſubinde aſſumpta effectum relinquunt planè mirandum. Cujus Schema oculis meis exhibuit ante aliquot Septimanas, *Urſula*, Sutoris cujuſdam Vidua, quæ calculum per 16. annos in rene aluit Siniſtro, qui tot cruciatibus illam afflixit, ut viribus omnibus abſumptis, nil niſi Sceleton vivum repræſentaret, & ob ſummum cruris ſtuporem, & renis dolorem in iſto latere, per totum illud tempus numquam dormire potuerit. Tandem conſulenti aſſentiens, quotidiè *decoctum Veronicæ* & quidem in ſatis magna doſi per tractum aliquem temporis aſſumpſit, quo effecit, ut *Calculus* priorem relinquendo nidum, alium quærens ad Ureteres protruſus fuerit, ubi nimias anxietates excitans, ipſam inter Mortis & Vitæ diſcrimen conſtituit, tandem tamen aſſumpto largiori *decocto Veronicæ*, Veſica receptaculo fuit, ubi miſeram ſtillicidio & difficultate Urînæ diu vexavit, donec ab aſſumpto ſuperiori nominato decocto, & ejus fomentatione, Natura hactenus dormiens, expergefacta, maximis & iis conatibus, quibus alias à fœtu ſe liberare conatur, excitatis, Hoſpitem peregrinam cuſpide expulit, qui tandem vi ab ipſa ægra per collum veſicæ extractus fuit, & quidem non abſque ſumma illius læſione & copioſa hæmorrhagia. Iſtius lapidis cum cuſpide, ſchema in præſenti exhibemus Tabula.

OBSERVATIO CVIII. PHYSICO-PATHOL.

L. JUSTINI ORTOLPHI MAROLDI.

ABORTUS PER VOMITUM REJECTUS.

IN pago *Reuſt*, haud procul à civitate *Ronneburgo*, vixit ruſtici cujuſdam, *Andreæ Staſelbarths* filia, corpore gracili; & vixit virgo ſine inſigni aliquâ moleſtia aut morbo ad annum vigeſimum ſeptimum, aut octavum uſque. Quæ excernenda erant, juſto tempore depoſuit, etiam per conſuetum fluxere locum menſtrua. Poſtea nupta anno circiter 1664. conſenſu Parentum Ruſtico ejus loci incolæ, Chriſtophoro *Strubern*, cui muliebrem hortum irrorandum ex conjugali affectu expoſuit. Percepit quoque illico roris fœcunditatem, dum ſuppreſſis menſibus aliqualem uteri tumorem, nauſeam, vomitum, & quæ gravidarum aliàs ſolent eſſe pediſſequæ, mox ſenſerat. Paulò tamen graviora viſa ſunt ſymptomata, ita ut eo tempore, quo prægnans, rebus ruſticis non adeo navare operam potuerit. Illud quoque mirabantur maximè Agnati, quod ſanguinem quaſi menſtruum ſimul cum ſputo crebrius ejiceret. Sed quid fit? *Menſe ſecundo* ab ingravidatione, ſymptomata magis magiſque incrementum capiunt; ſentit tormina ſæviſſima in utero, qualia parturienti ſolent oriri. Oboriuntur lipothymiæ, & poſt ſummos dolores, vomitus. *Cum vomitu* autem, quod ſanè mirandum, ejecit *partum bimeſtrem, obvolutum ſecundinis*, ovi gallinacei figuram & ſpeciem referentem, quo facto melius habuit. Anno ſubſequente iterum ingravidatur, & cum ſummo Parentum mœrore, eadem patitur ſymptomata, iterumque *ejuſmodi ovum* cum δευτέροις *evomuit.* Tertio anno meliora quidem ſperans permittit tertiâ vice ſe imprægnari, ſed deteriora ſecuta ſunt. Spes ſiquidem fuit, dum uſque ad tertium menſem uterum geſſit; ſed & tunc temporis vanâ ſpe deluſam eadem ſymptomata ipſam invaſere, ut evomuerit quoque non ſicut antea ovum, ſed integra *oſſicula*, *carniumque fruſta, caput membraque reliqua*, exigua quidem, magnitudine tamen bene diſtinctâ, & membratim omnia, ſubſecutæ quoque *ſecundinæ* & conſueta aliàs mulieribus *lochia*, ita ut exactiſſime abortum omnia repræſentarent. Sic tandem Medicorum ope & auxilio fruſtra implorato moleſtiſſima hujus affectus falce propè lancinata, petiit à Deo beatam ἀνάλυσιν quâ etiam ſexageſimo ſeptimo, menſe Octobri potita, Pleuritica in Domino vitam cum morte commutavit. Et ſic videmus quàm plurima in noſtris fiant regionibus, præſertim in pagis, quæ curioſis non innoteſcunt Medicis, quemadmodum & hæc ipſa facilè ſupprimi potuiſſet obſervatio. Hiſtoriam, Deum teſtor, meis auribus ex ipſius Uxoris marito, parentibus & cognatis cum ſummâ admiratione hauſi. Nolui fidem adhibere, niſi ipſe audiviſſem. Teſtem ſimul adduco virum integerrimum, *Dominum Chriſtophorum Zehen, Pharmacopœum apud Crimmizenſes*, prope Cygnæam dexterrimum, qui non ſolùm audivit, ſed abortum quoque vidit. Scripſit Idem *Dn. L. Maroldus* integram diſſertationem de hoc abortu, quam in celeberrimâ *Altorfinâ*, cùm inſignia & privilegia Doctoralia ambiret, d. 16. Decembr. anni 1669. publicè examinandam propoſuit. Eandem per *D. Michael. Etmullerum*, *Med. D. & Pract. Lipſienſem* feliciſſimum *Academic. Curioſum* Uratiſlav. ad *L. Sachſium* tranſmiſit *Dn. D. Maroldus*, ut *Ephemeridibus* hiſce *Naturæ Curioſorum* inſereretur hiſtoria tam rara & curioſa. Unde ex eâ diſſertatione potiſſima, quæ ſequuntur, excerpere placuit.

In Proœmio Auctor innuit Naturam non ſemper eodem ordine in ſuis operibus procedere, ſed interdum *inverſo*, interdum *luxuriante*, interdum *miraculoſo*, adeoque commonſtrante, nil ſibi, ut nec Deo, ἀδύνατον. Confirmat id exemplo Lanæ incombuſtibilis ex amiantho, (Vid. Paul. Venet. lib. 1. Regn. orient. P. Athanaſ. Kircher. & ex his Eraſmum Franciſcum.

Hort. O. & Occid. Indiar.) Gallinæ viviparæ Lyſeri, obſervat. med. VI. Lapidis aliquot drachmarum in teſticulis Caſtoris in officinâ Pharmaceuticâ Vittebergenſi reperti & aſſervati, denique inſolitarum partus viarum, videlicet per anum, umbilicum, palatum: de quibus *Th. Bartolinus in de Partus in ſolitis viis.*

In Capite I. recenſetur *hiſtoria* ipſa.

In Capite II. Hiſtoria adducta *confirmatur Experientiâ* etiam aliorum; ſcilicet I. *Bernhardini Montanæ*, aſſerentis uxorem cujuſdam ſervi quodam morbo graviter laborantem, denique à mortis limite revocatam maximam oſſium carniumque molem, univerſæ humani generis conformationi exactè reſpondentem, per os depoſuiſſe; & concludentis, fœtum hunc procul dubio fuiſſe in utero genitum, cum ipſa vel ante morbum ingravidata, conceptum neque per conſuetos pudendorum meatus neque viam aliam excluſerit. Vid. & Gaſpar. à Rejes quæſt. XC. Elyſ. Camp. §. 16. *II. Salmuthii* divulgatâ obſervatione, fœtus digiti longitudine per os rejecti. *Vid. Barthol. Annat. Reform. p.m.* 168.

III. Thomæ Bartholini illuſtri muliere Magdalenâ neſciâ ſe utero gerere, vomitu laborioſiſſimo infantis oſſa omnia rejiciente: *Barth. d. inſolit. P. V. c. 8. p.* 58.

IV. Eraſmi Bartholini fele gravidâ, per os parere viſa. *Th. Barth. cent.* 5. *obſ.* 98.

In Capite III. Abortus Onomatologia.

In Capite IV. Definitio realis traditur, ut porrò etiam *Ratione* confirmatur memorata hiſtoria.

Capite V. Autor definit *Subjectum* hujus conceptus eſſe *Vterum*, non obſobſtante illum progreſſu temporis tandem per os ejaculatum eſſe: ob rationem.

1. Quod in maritum hujus mulieris nullum ſimilis nefandæ nequitiæ, cujus Salmuthii Sutor inſimulatus eſt, ceciderit ſuſpicio.
2. Quod per naturæ ordinem, præter ſingularem divinæ omnipotentiæ directionem, detecturæ & vindicaturæ tam enorme & pluſquam belluinum facinus, quale illud Sutoris erat, nec in ventriculo, nec alio quovis corporis conceptaculo conceptio ullo modo fieri poſſit; aſſentiente *Simbaldo in Geneanthropiâ l. 4. part. 1. c. 4.*

Quod verò ſpeciatim ventriculus ſit inidoneus ad conceptum fovendum, obſtare dicit

1. Incongruum *viſceris calorem*, qui modo augetur, modò imminuitur, pro modo & ratione aſſumptorum.
2. *Fermentum* quod ut ſemen in chylum reſolveret verendum.
3. *Conformationem*, ob quam nec dextrorſum nec ſiniſtrorſum per unicum diem clauſum permanet.
4. *Motum* continuum.
5. *Ductuum* defectus, per quos ſanguis ad generandum & nutriendum

fœtum advehi poſſit, quales ἀυτοψία anatomica naturaliter non monſtrat.

Deinde *Cap.VI.* evolvit *Cauſas immediatas*, videlicet *Facultatem Expultricem* depravatam; *Uteri conformationem* vitioſam, qua orificium naturale nimis coarctatum, & quâ orificium p.n. nimis lubricum & laxum; *Expultricem ventriculi*, per conſenſum expellentis Uteri ſtimulatam; & *irritationem* Facultatis à fœtu mortuo.

Vias denique imprimis demonſtrandas cenſet, quas naturaliter nullas eſſe dicit, ut *Alphonſus d. Fondecha in I · m. 2. f.* 244. putet per venas uteri ad venam cavam fœtus oſſa adſcendiſſe & inde in ventriculum deſcendiſſe; idemque confirmare nitatur *Gaſp. de Rejes* per modum fieri quo globuli, cultelli, & alia per incognitas vias excludantur, quam ſententiam ſex argumentis oppugnat. Nimirum

1. Quia Teſte *Highmoro Diſq. A. l.* 1. *p.* 4. *c.* 4. *p.* 100. *&* *Laurentio, lib.* 7. *An.c.* 11. venæ uteri non è cavâ, ſed è ſpermaticis & hypogaſtricis oriuntur.
2. Dato illas è cavâ oriri, per ramulos ſaltem in uterum inſeruntur, & hi in utero rurſum in exiliores diſperguntur.
3. Dato etiam in gravidis, *teſte Barthol. An.ref.p.* 166. venas uteri ſic turgere, ut vel cavæ amplitudinem induant, non tamen orificia earum æquè turgent, aliàs effuſio ſanguinis & ſuffocatio Embryonis metuenda, ad hæc venarum orificia Cotyledones conſtituere quibuſdam dicuntur:
4. Obſtant anaſtomoſes & divaricationes.
5. Sic etiam valvula V. C. &
6. Oſſiculorum inæqualitas, ob quam facilè in venulis hærere eaſque perrumpere poſſent.

Pariter tribus rationibus refellit *Bartholini* conjecturam (*d.irſ.P.V.p.* 57.) exiſtimantis, ex ulcerato Utero Ventriculum quoque dum in prægnantibus viſcera hæc ſe mutuo contingunt exulcerari, & ſic ex illo in hunc fœtum deferri poſſe, quia compertum *I.* In bimeſtri aut trimeſtri abortu uterum nondum poſſe ventriculum attingere:

2. Foramina rotunda & hiantia ex ulceribus difficillimè in unum coire poſſe, immo ob id nec ventriculum ſuo officio fungi, nec uterum generationi denuò aptum reddi poſſe.

3. Communiter vulnera ventriculi haberi pro lethalibus, &c.

In Capite VII, Autor *Cauſas mediatas* ſcrutatur, adeoque. I. *Supernaturales* allegat DEUM, *dein* Ipſius juſto ac occulto permiſſu diabolum. Hujus ut præſtigiis ſæpè acus, clavi, &c. vomitu rejici viſa ſunt, ita circa abortum per os illum technis ſuis uſum eſſe quis putare poſſet; Sed hujuſmodi faſcinationem removet ob rationem, quia 1. extra ingravidationem mulier nunquam ſimile quid perpeſſa eſt; 2. Symptomatibus non niſi conſuetis in prægnatione afflicta fuit; 3. Legitima tempora & juſtam proportionem abortus tenuit, 4. in excretione nihil alienum ut acus, &c. rejecit; r. Cruciatus ſine dubio Diabolus diutius protraxiſſet; 6. Dum ceſſavit imprægnari, libera à doloribus & vomitu permanſit.

II. *Cauſas Non-Naturales*, quatenus abortum concitare poſſunt, enumerat.

III. *In Præternaturalibus* jam totum hærere rei cardinem tradit, accuſando *malam Uteri conformationem*, qua I. *bina orificia nactus eſt*, unum Naturale, alterum præternaturale; quod incipere dicit à fundo uteri, & dehiſcere in ventriculum, veluti canalis dilatabilis, propè uterum laxior, propè ventriculum ſtrictior, & per hunc potuiſſe conceptum ex utero in ventriculum ejici. Conjecturam hanc confirmatum it exemplo 1. Ranarum, à Borrichio obſervato, in quibus, ſi inflentur, deprehendi ſolet canalis, variè intortus, adſcendens ad fauces uſque 2. πικροχόλη ἄνω, ubi ductus biliarius duplex, alter in Inteſtinum, alter in ventriculum inſeritur, teſte Lindano in Phyſiol. l. 2. c. 5. art. 6. §. 152. 3. Aliorum naturæ ludentis errorum, ut quando ventriculum in thoracem tranſponit, vaſa præparantia multifariam diſponit, aut cervicem uteri nimium coarctat, ut fœtui exitus planè præcludatur.

II. *Quâ uterus nimium parvus*, ut extendi ſe non patiatur. Ex præmiſſis itaque tandem *modum* hujus abortus Autor ſic declare nititur: Conceptio ritè facta exiſtimetur, ſed poſtquam uterus nimis parvus & coarctatus fuit, aliæque cauſæ adfuerunt, quæ alias abortui cauſando ſunt, facultas ad expellendum fuit irritata. Itaque cùm canalis ad ventriculum patuerit, per primam portam eoque facilius potuit abigere in ventriculum, qui ægrè ferens hoſpitem, vomitu eum è corpore relegavit, & ita abortus per os non planè παράδοξος habendus erit. Id ipſum autem eo magis ſibi perſuadet, certior factus ante annum Vvitterbergæ mulierem δυστοκίᾳ graviter decumbentem, tandem infantem mortuum peperiſſe, cujus abdomine aperto, *uterus & inteſtinum rectum naturali nexu in unum coiviſſe*, ut ex inteſtino in uterum, & ex hoc in illud via ſatis ampla conſpicienda fuerit. Jam quid naturæ repugnet, quò minus interdum talem ex] utero ad ventriculum vergentem canalem formare valeat? Cæteroquin *cap.* 8. Differentiæ & ſignorum ſeries adumbrantur, *cap.* 9. Curatio incipitur *cap.* 10. Curatio ex ſuis fontibus promitur, ſpeciatim chirurgiam exetcendo, cujus beneficio primo per ſpeculum uteri orificium inferius, commode riteque dilatandum; poſt præmiſſis pharmacis præmittendis, in Epigaſtrio ſiniſtro, rectâ lineâ inciſio, ac mox canalis ſupra dicti amputatio celebranda, adhibito cauterio actuali ligaturis ſupernè & infernè factis, & quæ cætera huc pertinere poſſunt. *Capite* denique 11. triplex diæta præſcribitur, adeoque ſic cura & tota diſſertatio abſolvitur.

* * *

OBSERVATIO CIX. PHYSICA.

D. VALENTINI ANDREÆ MOLLEMBROCCI.

CATI EX ORE MVLIERIS NATIVITAS.

CUm anno 1647. Dn. *Joan. Fridericus Bilgerus* tunc temporis Licentiatus, jam Doctor & Phyſicus Campidunenſis, Amicus meus integerrimus, *mecum* Fribergam in Miſniam fodinas luſtrandi cauſa & intima terræ perſcrutandi eſſet profectus, atque Dn. *D. Tobiam Matthæi* p. m. Practicum tum temporis ibidem feliciſſimum viſitaremus, ecce hic nobis oſtendit *ſceleton Cati pronuper ex ore mulieris* cujuſdam pronati, quod non ſolum vidimus, ſed & manibus palpavimus. *Hiſtoriam* autem hujus partus Vir hic fide digniſſimus narrabat nobis hoc modo: Mulier hæc cum felium aliquot clamores audiret, ut felem ſuam ſibi gratiſſimam liberaret, accurrit, ſed accedens ad locum, ubi ejulatus ejuſmodi audiebatur, invenit felem in puteo, quam ut eriperet, urnam demiſit, qua quoque eam extraxit: hoc labore laſſata & ſitiens ex urna aquam bibit, à quo tempore malè ſe habuit, donec cruciatibus inſignibus mota, jam nominatum Medicum conſulere coacta ſit. Is variis remediis convenientibus nihil profecit, donec vomitorium ipſi dederit, quo accepto Mulier ſæpius vomuit, & tandem non ſine ſuffocationis periculo *hunc Catum ex ore projecit*. An mulier hæc unà cum aqua ex Urna potâ, ſemen felium poſt coitum ſuper puteo excretum, relictum ſimul hauſerit, uti jam nominatus Doctor putabat, & ventriculus geſtationi fœtus aptus ſit, imò annon ſpiritus genitalis ſeu potius contagium uterum fœcundans Harveianum in aqua interea temporis evanuerit? aliis judicandum relinquo. Alias Muſtelam ore parere *Ariſtot.* tradidit & *D. Th. Barthol. c.* 9. *de Part. inſol. viis.* Idem *Dn. D. Tobias Matthæi* nobis ſimul narrabat, ſe non ita pridem *anſerculum vivum* habuiſſe *ex utero* mulieris cujuſdam progreſſum, quem Dreſdam Sereniſſimo Elect. Saxoniæ miſerat. *D. Mœllembroc. è Halis Saxon. ad D. Sachſium.*

SCHOLION.

Hiſtoriam hanc *Partus felini ex ore humano*, illuſtrabo *conſimili*, & à nemine Medicorum, quod ſciam, obſervato caſu, quem recenſet *Henr.* MEIBOMIUS *Prof. in Acad. Julia in Chronic. Brunſvvic. Buntingiano* correcto *Magdeb.* 1620. *impreſſo Part.* 3. *f. m.* 548. Anno M. D. LXXX. *inquit*, Hanoveræ rariſſimus & ferè inauditus accidit caſus: Civis illius Urbis Albertus Hencke Sartor, per ſat magnum temporis ſpatium malè ſe habuit,

adeo

adeo ut pallido vultu ſatis latentem teſtaretur morbum. Quodam die ab Uxore petiit, ut ipſi calidum porrigeret Lac, quod vix deglutitum ipſi nauſeam creavit cum maxima anguſtia, donec tandem *evomeret* magnam copiam ſordium, & in his *Duos Catulos albos , vivos ,repentes , & adhuc cœcos*, qui in patinâ figulina in Templo S. Georgii expoſiti fuerunt, ut ab omnibus viderentur. Non diu tamen vixerunt catuli, ſed moriebantur; ipſe vero Vir indies ad integram rediit ſanitatem. Hi ergo *Catuli an & quo modo in ventriculum* hujus Sartoris devenerint, *an* verò à Diabolo inter vomendum ſubſtituti fuerint, aliis divinandum relinquo, *Hactenus Meibomius.* Sic rariſſimum quoque Naturæ oſtentum narrat D. TILINGIUS *in de Tuba Vteri ſect.* 2. *p.* 90. nempe anno M. DC. LXVI. Opificem *in Friſia Orientali* prope *Embdum* in pago *Rieſum*, qui aliquoties in Grœnlandiam ad capiendas Balænas una profectus fuerat, illum nempe in Epigaſtrio dolores & tumores ſenſiſſe, tandem nil valentibus remediis extinctum fuiſſe. Aperto cadavere *Fœtus monſtroſus* figura externa *Cani marino ſimilis* ac pilis refertus, *in ventriculo ejus*, & quidem lateri ipſius fundi firmiter ac nimis arctè adnatus, repertus fuerit, quem ipſe T*ilingini* Prax. in *Embd.* exercens ibidem viderit.

De *fele* aliquot in Locis ex fratris *Alb. Bartholini* relatione recenſet Exc. *D. Th. Bartholin.* præcipuè *cent.* 5. *hiſt.* 98. *cent.* 3. *epiſt.* 8. *p.* 37. quod illa in prædio Arcis Regiæ Fridericiburgi, *ſuos fœtus evomuerit* ſummâ adſtantium admiratione, qui ſanctè affirmarunt, *felem* nihil prius devoraſſe nec alia viâ rejeciſſe. Dubitaverat quidem *D. Eiſenmenger* in *Hiſtor. Fœtus Maſtip.* putans *felem* hanc clam partus aliquot ediiſſe, unum vero cum ſecundina (ut quædam animalia facere ſoleant) deglutiiſſe & ſic rejeciſſe, unde tanquam ſecundum naturam minimè factum, mors *felis* ſubſecuta fuerit; quæ ſententia quidem ex parte probabilis videtur *Bartholin. in de Part. Inſol. viis c.* 9. *p.* 60. ſed veritati non conſona, quia Arcis Fridericiburg. domeſtici aſſeveraſſent nihilomnino à fele devoratum fuiſſe, unde concludit, ſi in *ventriculo concepti* fuerunt *felis fœtus*? qua datâ portâ ei eruperunt? De *Rondeſſa* Animali Americano figurâ *felem griſeam* referente, niſi quod os ſit acutius, narrat *Dn. de Monconnys* in *Itiner. Germ. t.* 2. *p.* 320. quod tale viderit Ulmæ in Muſeo *Dn. Vvejemani*, quod pullos ſuos in venerem toties, quoties placet, reponat rurſus eximat; hâc tamen ratione cum *Fele* Fridericiburgenſi factum fuiſſe, minimè credibile eſt.

Si ſententia *Bartholiniana* eſſet admittenda, quam in pluribus locis recenſet, ut in *de Part. Inſol. viis c.* 11. *p.* 93. *cent.* 3. *Ep.* 8. *cent.* 5. *Hiſt.* 98. & cum eo *D. Matth. Tilingius in Acad. Haſſo-Schaumburg. Prof. P. in Exercit. Anat. de Tuba Vter. ſect.* 2. §. 4. *ſeq. p.* 84. *ſeq. Vterum* ordinariâ quidem lege, ad communem generationis normam eſſe neceſſarium ob commoditatem & ſeminis recipiendi & fœtus nutriendi & excludendi: tamen & illius vices alias partes ſupplere, quæ vel cavitate idoneâ, vel ſufficiente calore præditæ ſint: Semini ineſſe vim formatricem, quæ externo quocunque calore adjuvanda & commodo munienda ſit receptaculo: in quacumque corporis cavitate, ubi vaſorum confluxus, efformari poſſe Embryonem, ſed non ubique excludi; ventriculum cum alienas & ſibi concreditas res cuſtodiat; & vel ſuis tunicis claudat, vel propria cujuſque rei membranâ involvat, *ſemen in ventriculo*, ac ſi eſſet *in utero*, ſibi domicilium ſeu ſecundas membranas exſtruere: *hæc*, *inquam*, ſi abſolutè admitterentur, *cauſa veriſimilis* reddi poſſet *cur Animalia* iſta *in ventriculo è ſeminio concepta* & tandem protruſa fuerint; Sic etenim abſque *utero* potuiſſe concipi, non aliter ac *excluſio pullorum* fiat abſque gallinæ incubatus naturali calore, *in furnis Ægypti*, de quibus egregia vide apud *Furerum Norib. Patrit. in Itiner. Terr. Sanct. p. m. 92. Petr. de la* VALLE *in Itiner. Turc. Epiſt. 12. p. 394. Dn. de Monconnys in Itiner. Turcic. tom. 1. p.* 253. *Veſling. in Epiſt. med. 1. & 2. da.* & quos hodie imitantur Europæi, in Italia *Florentiæ, in Dania* Fridericiburgi. *Barthol. cent. 6. hiſt.* 11. & in *Anglia* Joh. Heydonus Rei tormentariæ præfectus. *Digbæus in de corpor. Nat. t. 1. c. 24. p.* 280.

Licet Ventriculus continuo motu aſſumptorum abluatur, & ejuſdem fermentum aſſumpta alteret, *exempla* tamen plurima habemus plurium rerum, *quæ ex deglutitis ſeminiis calore ventriculi* & ejus ſingulari diſpoſitione *fuerunt animata*, aut alio modo in ventriculo producta. Non attingo *Calculos in Ventriculo* productos, *non Apoſtemata* & tumores inibi coacervatos ſuiſque pelliculis incluſos, quale ſingulare exemplum apud *Dominic. Panarolum* de *Mola ventriculi* in Juvene, ſive carne informi, ſpongioſa, duarum unciarum pondere cum durâ ſuperficie poſt vomitorium rejecta *inſtar Molæ* à Galeno deſcriptæ. *Panarol. Pentecoſt.* 5. *obſ.* 11. *p.* 147. Cui non nota eſt Hiſtoria de Ancilla Altemburgenſi, quæ per plurimos annos *in ventriculo* ex imprudenter Aqua turbida hauſta *Ranas & Bufones* per vomitum ejecit, de quâ *Barthol. cent.* 4. *hiſt.* 49. & ſupra *obſ.* 103. Facilè, *inquit Melch.* SEBIZIUS *in tract. de Puero à ſerpente interf. p.* 47. interiori rugoſæ ventriculi tunicæ ova horum animalium glutinis inſtar viſcida & lenta adhærent, & cum à ventriculo non concoquantur, à nativo illius inteſtinorumque calore actuantur, facultate nimirum plaſticâ, quæ in iis velut ſopita jacebat, exſuſcitata. *Piſcem vivum* in Domini de Paraſols Nobilis Aquitani Uxore poſt diuturnos dolores, ſex digitis longum, *vomitu e ventriculo* rejectum vidit *Borell. cent.* 1. *obſ.* 9. quem parvum deglutitum fuiſſe opinatur, in ventriculo incrementum ſuſcepiſſe. Ab ancilla *animalcula duo ſalamandras* referentia *vomitu* excreta, *Id Borell. cent.* 1. *obſ.* 23. A ruſtico ſub ditione Bremenſi anno 1669. *ſerpentes & alia animalcula* ſcorpionibus non abſimilia ſummo cum præcordiorum cruciatu continuo vomitu rejecta, *Tiling. de Tubâ uteri ſect.* 2. *p.* 90. Quin & hiſce diebus Nobilis quidam ob negotia publica itineribus occupatus monſtravit mihi *tres ranunculas* longitudine articuli digiti, quas ante paucas ſeptimanas, vivas, in Ducatu Teſchnenſi hærens, per vomitum reiecerat, antea inſigni ventriculi dolore infeſtatus: & cum omni cereviſia abſtineat, ſolâ aqua contentus, recordatur ſe ante triennium cum ex fonte quodam ſitibundus aquam hauſiſſet, ſimiles Ranulas in eo ſe obſervaſſe.

Imprimis notabilis *Hiſtoria* & à plurimis citata, quam *Salmuth. cent. 3. obſ.* 94. de igne expiando congreſſu fœminæ adducit, quæ exinde *in ventriculo conceptum Infantem per os* enixa eſt, ſed quia diu in ventriculo moram trahere non potuerit, vix digiti longitudine; quam hiſtoriam à multis & præcipuè *à Ludov. Kepplero* in dubium vocatam, *Bartholin.* teſtimonio *Joan. Komeleri* Conſulis illius Civitatis, ubi hæc geſta ſint, tanquam oculati teſtis comprobat; niſi *hoc ſupranaturale* factum fuerit ad revelandum à Deo & ſeverè puniendum à Magiſtratu tantum ſcelus.

Porro quod *in ventriculo*, dum digeſtiones fiunt, *non omnia confundantur* invicem, quotidiana docet Experientia. Videmus ſæpe ægros aliquid ciborum aſſumere; poſt parvum intervallum, interdum etiam repetitis vicibus excitantur vomitus, nec mica minima de cibis ſumptis ſimul expellitur, ſed purum phlegma. De *Italo* quodam miram recenſet Naturæ providentiam *Bartholin. cent.* 1. *hiſt. 65. p.* 114. cui cum Natura denegaſſet podicis peniſque notam (unde *Anna* primum dictus, ſed 24. æt. anno erumpente barba pro viro habitus) duriores alvi fæces certis periodis, finitaque ventriculi concoctione, per cornu ori appoſito, non admiſtis cibis evomuit. Meminit hujus *Itali Idem in Anat. Ref. l.* 1. *c.* 11. *f.* & de *Genuenſi* ſimilia *Henr. ab Heer Obſ.* 29. & *Sennert. Paralip.* 4. *ad l.* 3. *Prax. p.* 2. *ſ.* 2. 2. *c.* 7. *p.* 129. Huc quadrat obſervatio. *D. Theod. Kerckringi in cent. Rar. obſ.* 6. narras. X. *Uvas* poſtquam ultra tres menſes *in ventriculo* hæſiſſent, *integras*, & ſucco plenas fuiſſe rejectas, nulla ex parte ab aliis rebus *in ventriculo* detentis alteratas. Ubi hæc enarravit, exclamat: Hæc aſtruerent fidem aliquam *Obſ Bartholin.* de fele in ventriculo felis concepto, ubi aliorum fide narrat, etiam Infantes concipi poſſe in ventriculo & formari, qui poſtea ore pariantur. Adſtruerent, *inquam*, fidem aliquam, *quoad moram in ventriculo*, niſi alia hîc retinerent Auditoris aſſenſum, quare hic oportet ſi non ἀπιϛεύειν ſaltem ἐπέχειν.

An itaque in ventriculo naturaliter ex ſeminio Animalia animentur; *an* interdum cauſæ ſupranaturales, *interdum* etiam illuſiones diabolicæ accedant, non exactè erit definiendum, ſed Eruditorum arbitriis melius excutiendum relinquendum.

D. Philip. Iac. Sachs à Levvenh.]

OBSERVATIO CX. PHYSICA.

D. PHILIPPI JACOBI SACHS à Levvenheimb.

FOETVS EXTRA VTERVM AVRELIANENSIS.

NO*vum* & inauditum videres recenſeri Exemplum, niſi noſtrum hoc ſeculum præprimis aliquot ſimilibus hiſtoriis fidem adſtrueret. Non meam hîc obſtringo fidem, ſed alienam, nimirum Curioſiſſimi Europæ, Aſiæ & Africæ Perluſtratoris *Dn. de Monconnys*, qui *tom. 2. Itiner. Ital. 2 p.* 450. hanc recenſet Hiſtoriam.

Cum in Gallias redux factus fuiſſem, *inquit*, *Domini Color & Raiſin* anno 1665. retulerunt mihi, quod menſe Aprili M. DC. LXII. *Dn. de la Foreſt* Chirurgus egregius *Aurelianenſis*, cum Dn. *D. Balduino* Medico iſtius Urbis in Hoſpitali ibidem fœminam Anatomiæ ſubjeciſſent, quæ cum diu dolores & tormina partus fruſtranea ſenſiſſet, & exinde obiiſſet, *in ejus ventre* inveniſſent *puellum* egregium optimè formatum *extra uterum*, nempe *in ſpatio intra uterum & inteſtinum rectum*, *& utero quidem illæſo*, nec ullo modo rupto aut pervio verſus inteſtinum; fœtum vixiſſe primùm, mortuâ tamen matre, ſimul quoque mortuum eumdem.

Notiſſima Hiſtoria Fœtus Muſſipontani eſt, & tot Eruditorum Virorum calamis pertractata, quorum cenſuras *D. Laurent. Strauſſius* Archiater Haſſiacus, *D. Bartholin.* Epiſtolâ ad *D. Joan. Dan. Horſtium* & *Anton. Deuſingius* Prof. Grœningan. collegerunt; quando ſcilicet anno 1659. in fœminâ *Muſſiponti*, in abdomine extra uterum, infans lapideſcens inventus fuit. *Notum* eſt *oſtentum Dolanum*, quando anno 1661. 28. Junii *Dolæ* in Burgundia cum gravidæ abdomen incideretur, omnia integumenta cartilaginoſa & gypſea inventa fuerunt, quibus reſectis, quaſi ex dolio erupit ſeroſus humor cum fœmineo fœtu, *nullo apparente uteri veſtigio*, uti Dn. *Stephanus Vvillet* Prof. Regius Dolanus 20. Aug. ejuſdem anni de hâc materia publicè diſputavit, *& Arnoldus Sangverdius* Diſcurſum hâc de re edidit. *Notiſſimæ* & aliæ plures *Hiſtoriæ*, quod *Fœtus extra uterum inventi* fuerint, ſed hoc potiſſimum factum eſt deliteſcente fœtu, *aut in Tuba uteri*, *aut utero non penitus integro*, *ſed læſo*, *aut male conformato*, fœtu per aliena loca exitum quærente, cum tamen in hoc *Aurelianenſi* notato exemplo, *uterus* dicatur *penitus fuiſſe illæſus*.

In Tuba uteri Fœtum Muſſipontanum forte *hæſiſſe*, niſi tota Hiſtoria in dubium ſit vocanda, uti ad *D. Bvrtholin.* fuit perſcriptum (vid. Cent. IV. epiſt. 58. p. 368.) opinatur *D. Barthol. in Epiſt. ad D. Hoſtium*, adducens ex *Joan. Riolan. l. 2. Anthropol. c.* 35. Exempla IV. *Fœtuum ex tubis uteri effectorum*, non minus quam ex *Marquard. Pract. cap. de Mola p.* 390. de *duabus Molis extra* *matricem* inventis, quarum *una* ſupra matricem inſtar fruſti carnis, *altera* in latere ſiniſtro circa vaſa ſeminaria capitis magnitudine. Propriam adducit Authoritatem Exercitatiſſimus *Harveius*, quando de *Generat. Animal ex* 65. ita ait: *Tubæ Uteri* Cornubus cæterorum Animalium reſpondent, uti patet ex ſitu, connexione, amplitudine, perforatione, ſimilitudine & officio: ſicut enim Animalia ſemper in cornibus concipiunt, ita *mulier* reperta eſt, quæ *fœtum in cornu ſeu Tuba gereret*, ut doctiſſ. *Riolanus* ab aliis obſervatum meminit, *& nos propriis conſpeximus oculis*. Imprimis ſi ſemen *in Tubas Uteri* uſque attractum, propter Obſtructiones in Uterum redire nequeat, in *Tuba fœtum extra Uterum* concipi poſſe, integra Diſſertatione, hoc ipſo anno 1670. *Rintelii* edita, probare conatur *D. Matth. Tilingius in Acad. Haſſo Schaumburg. Prof. P.* quam *Exercitationem* vocat, *de Tuba Vteri & Fœtu nuper in Gallia Pariſiis extra uteri cavitatem in Tuba concepto. Hiſtoria* autem *Gallica* curioſa & notatu digniſſima *ſequens eſt*: Cum anno 1669. Dn. D. *Huxholzius* cum Sereniſſ. Aula Haſſiaca Beroſinum profectus fuiſſet, monſtravit *D. Elsholzio Archiatro Brandemburg.* Litteras, Menſe Nov. 1669. exaratas, ab Amico Lutetiæ Pariſior. degente perſcriptas: additum iis Programma Gallicum cum Icone æri inciſa, cum lemmate: *Demonſtration d'une double matrice.* BENEDICTUS nempe VASSALIUS Chirurgus Pariſ. aperuit VI. Jan. 1669. cadaver Mulieris 32. annos natæ, temperamento ſanguineo & habitu corporis ſatis maſculo præditæ. Repertæ fuere *duæ matrices* ſingulari connexione, à Natura tam benè diſpoſitæ, ut vera undecies jam concepiſſet, ſeptem nimirum filios & quatuor filias; juſto omnes tempore & debitâ compoſitione: atqui habebant fraterculum Embryonem conceptum *Adjutorio ſive adminiculo* genuini Uteri, & quidem in loco ad diſtenſionem tam inepto, ut fœtus grandeſcens 7. Septimanis matrem funeſtis ſymptomatis exagitaret: tandem 3. menſium fœtus factus, carcere effracto, tumulum ſibi ipſum in ipſa matre paravit, excitando ingens ſanguinis profluvium in univerſam abdominis cavitatem, id quod tribus ultimis diebus vehementiſſimi motus convulſivi & denique Mors ſubſecuta fuit.

Quod itaque *Vaſſalius* & cum eo *D. Elsholz.* putaverant Gravidam hanc fœminam Pariſienſ. *gemino* præditam fuiſſe *Vtero*, non aſſentiri vult *Tilingius*, ſed *inquit*: qui Embryonis hujus domicilium ex icone æri inciſâ appictam attentius intueatur, *dextram uteri genuini Tubam dilatatam*, veram & genuinam hujus conceptionis ſive fœtus ſedem, non autem propriè loquendo uterum verum fuiſſe confitebitur. *Tiling. ſect.* 2. §. 13. *p.* 99. Idem *Tiling.* ſuam ſententiam confirmare vult, ex eo quod nullibi, licet omnia perſcrutentur Anatomicorum Libri, *Duplicis Vteri* ſiat mentio, licet naſum duplicem *Borell. c.* 2. *obſ.* 76. veſicam Urinariam duplicem *Iſac. Cattier obſ.* 20. *Riv. comm.* duplicem ventriculum *Riolan.* Lienem duplicatum *Panarol.* duplicem Penem *Barthol. Anat. Ref. l.* 1. *c.* 24. duplicem vaginam uteri *Barthol. Cent. III. obſ. Med.* 2. commemorent: legere tamen eſt *Hiſtoriam Duplicis Vteri* apud *Joan.* FABRUM *Lynceum in Hiſt. Mexic. Not. f.* 547. Is namque in Noſocomio S. Spiritus Romæ (tam amplo, ut *idem Faber f.* 594. teſtetur, quod Anno 1600. ultra 12000. ægrorum in illud fuerint ſuſcepta, & neceſſariis alimentis & medicamentis ſuſtentata) cum D. *Angelio Colo Senenſi* Infantem projectitium pro Hermaphrodito habitum, ſecuit, qui in inguine tumores habuit, nulla in eo maſculina vaſa ſeminaria reperta, ſed quod mirabile dictu, *duos intra ventrem offendit Vteros*, cum annexis ubique teſticulis, ſed unico tantum teſticulo, unico ſuo Utero adhærente, ac vaſis deferentibus ſemen, uti & præparantibus. Harum *una matrix* intus penitus abſcondita, nec cervicem ad externa porrexit, altera in dextero latere exterius collum ſuum produxit, & vulvam dictam conſtituit, quæ viſa quidem, ſed haud penetrans judicata, quod ductus ille adeo anguſtus, ut vix aciculæ caput admiſerit, & ſic infans *duplex fœmina* inventa fuerit. Licet itaque in hoc infante Romano, aliquot ſaltem dierum, *duplex Vterus* inventus, nihilominus in Pariſ. fœmina potuit *in Tuba fœtus* hæſiſſe, atque *Tilingii* ſententia firmo ſtare talo.

Præter *Tubam Vteri*, *fœtus non raro extra Vterum fuit* repertus, ſed malam conformationem aut ſolutionem continui paſſo Utero. *Per Os*, *Infantis Oſſa* projecta fuiſſe, ſupra *obſ.* 108. ex *Gaſp. à Rejes Quæſt.* 91. *Elyſ. Camp.* §. 16. notatum. *Bartholin. in de Part. inſol. viis c. 9. p.* 57. ubi alia quoque ex *Marcell. Donat. l.* 4. *Hiſt. mirab. c.* 22. adduxiſſet, cauſam rejicit, quod diſtentus & *exulceratus Vterus*, perforatis Inteſtinis in illorum cavitatem oſſa iſta depoſuerit, ad ventriculum uſque inde eructando: niſi plauſibilior ſententia, mala uteri conformatio & hiatus in Inteſtina. Per *Anum* quoque *Oſſa* fœtus mortui fuiſſe rejecta, fuſius Authoritatibus comprobat *Barthol. l. a. cap. XIV. utero* ſcilicet *exulcerato in Inteſtina connivente*: nam hâc de cauſa, ob communem exulcerationem, interdum *fæces Alvi per vulvam* prodiiſſe exempla proſtant, & recenſentur *à Dodon. in not. ad Benivent. de abd. Morb. c.* 9. *Mercurial.* 1. *de Morb. puer. c.* 9. *Barthol. cap.* 9. *Barthol. cap.* 11. *Hiſt.* 63. *Bened. Sylvatic. Cent. III. conſ.* 17. & *Rhodio Cent. II. Obſ.* 91. qui narrat *D. Aldrigettum* Prof. Patav. aliquoties vidiſſe *fæces alvi per muliebria egeſtas* fœminis, quibus à fluxu albo venereo, inteſtinum rectum cum Utero eroſum.

Per Vmbilicum eadem ratione, *Vtero ſauciato*, *fœtus* excludi, Exempla apud *Barthol. de Part. Inſolit. Vus cap.* 1. *&* *cap. X. plurima.*

Per Hypochondria, in fœminâ exortâ ibi fiſtulâ, ex eâ primum Infantis Calvariam, dein & Oſſa fuiſſe extracta, ex *Alex. Benedicto* recenſet *idem Barthol. c.* 12.

Tandem ex *Iliorum* abſceſſu, Utero perrupto, corruptam infantium putrilaginem exiviſſe, ex *Matth. Cornace* aliiſque, Hiſtorias recenſet *Barth. l. a. c.* 13. *p.* 100.

Cum verò in *Aurelianenſi fœtu*, *Vterus non* fuerit *perruptus* inventus, imò nec cicatrix oſtenſa, quin imo fœtus adhuc incorruptus, & poſt matrem demortuus; cum quoque nullæ aliæ adductæ circumſtantiæ, cum quibus partibus præter Inteſtinum rectum connexionem infantis ſitus habuerit, ob harum circumſtantiarum defectum, *dubii hæremus*, quomodo hic *Infans Aurelianenſis* in hunc locum devenerit.

Concludo hanc *Obſervationem*, non minus alia Curioſâ, & ferè hactenus à pauciſſimis obſervata Hiſtoria, quæ verior tamen, quam Dioniſii ſeu Bacchi nativitas ex femore Jovis, quæque in SILESIA, præterito ſæculo, accidit.

Nicol. POLIUS, Vir alioquin probatæ fidei, in *Hemerolog. Sileſiac. Vratiſlav. f. m.* 455. *ad* 9. *Decembr.* ſequentem enarrat Hiſtoriam *ex Chronic. Sileſ.* excerptam. Anno M.D.XXXI. *inquit*, fœmina quædam *Niſſæ* paupercula, quæ cum marito in Conjugio 15. Annor. ſpatio novem liberos genuerat, *in Iliis*, verſus ſiniſtrum hypochondrium, velut *in Tumore aut veſicâ* quâdam, protuberantem geſtavit fœtum; adveniente legitimo tempore partus, *veſica* illa ſupra femora, ad genu uſque propendens ex conſilio Experim. Medicorum, Chirurgor. & Matronarum, hoc ipſo IX. Dec. die, aperta fuit, *ex quâ*, Infans boni habitus extractus, qui baptizatus fuit, impoſito *Thomæ* nomine, & annum cum dimidio ſupervixit, mater vero, ſummis in doloribus, tertio die obiit.

RARIORA NATURÆ
IN
SACRÆ CÆSAREÆ
MAJESTATIS
AUGUSTISSIMI ET INVICTISSIMI
LEOPOLDI
CIMELIARCHO
MAGNIFICENTISSIMO ADSERVATA
Suæque Cæſar. Majeſt.
JUSSU AC SINGULARI MUNIFICENTIA
ÆRI INCISA
EX
AUGUSTISSIMA CLEMENTIA
INCLYTO NATURÆ CURIOSORUM
Collegio
COMMUNICATA
PER
D. GEORGIUM SEBASTIANUM JUNG,
AB EODEM
DESCRIPTIO ET SCHOLIIS ILLUSTRATA.

OBSER.

OBSERVATIO CXI. PHYSICA.

CRUCIFIXUS EX RADICE CRAMBES ENATUS.

Vid. Tab. VII.

STupendum Naturæ miraculum! quæ omnipotentem Jehovæ digitum in admiranda plantæ hujus facie ad oculum demonſtrat, dum *Authoris* ſui pro genere bumano *crucifixi* effigiem in hoc *Crambes Caule* vivo quaſi exprimit charactere. Surgit hæc *planta mirabilis* in caulem lignoſum ac corticoſum ferè altitudinis cubiti, coloris ob vetuſtatem ex viridi ſubnigricantis, cujus *pars anterior, corpus humanum, artubus, facie, oculis, naſo, ore, barba, capillis* ex tenuiſſimis filamentis, pilis maximè analogis, conſtantibus, eleganter diſtinctum, brachiiſque extenſis cruci aut palo clavis affixum, repræſentat: ſimili planè modo, quo Salvatoris noſtri in cruce mortis genus, pictorum ſculptorumque induſtriâ exprimi ſolet, brachiis tamen minus proportionatè à Natura efformatis: cujus quoque veſtigia, neglectis exactioris artis regulis, iconica hæc tabula graphicè imitata, Caulis hujus Crucifixum æmulantis, adjunctâ totius hiſtoriæ ex Germanico in Latinum tranſlatæ deſcriptione, exponit Ectypum.

HISTORIA.

Sub ditione *Cœnobii* cujuſdam Virginalis (nomine *Herbſteude*) medio circiter ab *Hamburgo* milliari, in pago *Ebbendorff* quondam exiſtentis, duæ ſorores villicæ olerum Crambiumque culturâ panem quærentes, degebant, quarum alterutri ob *Crambium* jàm copiâ quàm magnitudine excellentium abundantiam res ampla domi, alteri vero anguſta nimis fuerat. Cum itaque hæc tantæ *Crambium* luxuriei (dum nec ipſa aliàs laboribus ac Culturæ parceret) rationem ac cauſam à ſorore ſciſcitaretur, reſpondit illa; hanc eſſe benedictionem divinam, rebus ſuis ita benedicentem. Verum reſponſioni huic minimè acquieſcenti ulteriuſque inſtanti, ſequens tandem dedit conſilium; Ut nimirum ſumptâ poſt confeſſionem ſacratiſſimâ Cœnâ Dominicâ, conſecratam hoſtiam rurſus ex ore acciperet, eandemque in horto ſuo ſub *Crambes* caule terræ infoderet, inde ſe experturam omnes Crambes & olera ſuis æqualia futura. Secuta quam primum conſilium ſoror, effectumque re ipſâ expertâ, ſummopere gaviſa eſt. Interim vero vicini ſingulis noctibus luminis cujuſdam ſplendorem in illius horto obſervantes, eandem interrogarunt, quidnam noctu in horto ſuo ageret ac operaretur, quæ ſe conſtanter excuſans, de nullo illius loci lumine ſe ſibi conſciam ſanctè affirmabat.

Vicini itaque diligentius rei huic attendentes ac ſolummodo ſupra unicam *Crambem* immobiles quoſdam lucis radios animadvertentes, *Crambe* illâ notatâ rem ad Monaſterii illius Spirituales detulerunt, qui magnâ ſolemnitate hortum illum accedentes, effoſſâ *Crambe*, in illius Caule ſupra terram prominente *Crucifixi imaginem* enatam invenerunt, quam deinde ſingulari cum reverentiâ anno M. CCCC. LXXXII. in præfatum Monaſterium delatam ac religioſè cuſtoditam populo ſpectandam ac colendam exhibuerunt.

Reformato verò illo Cœnobio, ejus loco Monialibus *Clauſtrum S. Joannis* intra civitatem *Hamburgenſem* aſſignatum fuerat, quò una *Crucifixus* hic tranſlatus longo tempore ibidem aſſervabatur; donec ſacratiſſimus Romanorum Imperator RUDOLPHUS II. effigiem hanc *Hamburgi* adſervari reſciens, eamdem à Senatu per Generoſiſſimum Baronem *Ehrenfridum à Munckelvvitz*, tunc temporis legatum ſuum, ardentiſſimè petierit, qui & eamdem à Senatu Hamburgenſi (invito licet Monialium conſenſu) die Febr. anno 1602. ſibi traditam Sac. Cæſ. Majeſtati *Pragam* tulit. Inde vero *Viennam* tranſlata in Auguſtiſſimo Cimeliarchio Cæſareo argenteæ thecæ incluſa adſervatur.

SCHOLION.

Solet nonnunquam cauſa prima DEUS, cauſarum ſecundarum concurſu prodigioſis in Naturâ rerum effectibus occultiora quædam, vel præſentia vel futura manifeſtare: unde quoque judicandum Divinam providentiam rariori hoc naturæ miraculo muliercularum impietatem propalare voluiſſe. Similes quoque figuras in lapidibus ac marmoribus, particulis ſalinis in varias figuras facilè concreſcentibus copioſè imprægnatis, exſculpſit Natura. Sic *Ticini in Cœnobio Carthuſianorum* (*teſte Ambroſino*) in marmore quodam Chriſti Salvatoris noſtri in cruce pendentis, nec non ſpineâ coronâ redimiti ſimulacrum à Natura eleganter depictum cernitur.

Venetiis quoque (cujus & *nos* oculati teſtes ſumus) in marmorea altaris cujuſdam columna, *templi S. Georgii Majoris*, Chriſti crucifixi imago apparet.

⁂

OBSERVATIO CXII. PHYSICA.

NOMEN CHRISTI ACHATI NATURALITER INSCRIPTUM.

Vid. Tab. VIII.

PRæ cæteris magnificis ac ſplendidiſſimis Auguſtiſſimi Gazophylacii Cæſarei Rarioribus, facilè ſibi palmam vendicat *Gemma* hæc ſolo CÆSARE digna, nec non ab IPSA SAC. CÆS. MAJESTATE inſtar theſauri maximi æſtimata. Hujus artificialis figura *Pateram ex unico*, rariſſimæ & nunquam antehac ſpectatæ magnitudinis, *orientali Achate* artificioſiſſimè fabrefactam exhibet, cujus circumferentia duas ulnas Vienneſes cum tertia ejuſdem parte, diameter vero inter duarum anſarum extremitates, unam integram ulnam, minus duobus digitis, adæquat: In cavitate verò politiſſimæ hujus Pateræ, non minus adorandum quam admirandum *Chriſti Redemptoris Nomen*, Naturæ penicillo ex nativo nigricantium macularum concurſu ad vivum hunc in modum, B. XRISTOR. S. XXX. delineatum ſpectatur: adeò ut ipſa Natura hanc ſtupendæ magnitudinis Gemmam Authori ſuo Chriſto Regum Regi, in primis lapidis hujus incunabilis conſecraſſe videatur. Pateræ hujus tam artificialem, quam naturalem faciem unâ cum variis venarum colorumque lenociniis præſens figura fideliter curioſorum ſubjicit oculis.

Arcanum Naturæ ſenſum ſtupendis hiſce ἀχειροποιήτοις characteribus expreſſum Clariſſ. Conſultiſſ. raræque eruditionis Vir, Dominus *Petrus Lambecius* S. C. M. *Conſiliarius*, *Hiſtoriographus ac Bibliothecarius*, *&c.* in Commentario ſuo *de Bibliotheca Cæſar. lib.* 1. *fol.* 25. §. 27. doctiſſimè interpretatur, hoc modo: BEATORI ORBIS, vel, BEATORI GENERIS HUMANI CHRISTO REGI SEMPITERNO TRI-UNO CRUCIFIXO. Ubi quoque naturalis Pateræ hujus alioquin vix credibilis magnitudo in plena forma S. C. Majeſtatis juſſu æri inciſa ſpectatoribus curioſis exhibetur.

SCHOLION.

Mirandam obſervationem citat ſingularis Naturæ Scrutator R. P. *Kircherus* in ſuo Mundo ſubterraneo *tom.* 2. *l.* 8. *S.* 1. *f.* 41. de lapide in Tyburtino agro reperto, in quo quatuor harum litterarum I. N. R. I. Chriſti Crucifixi titulum referentium ſimulacra à Naturâ depicta cernebantur. Hujus admirandi Naturæ operis rationem ex ſenſatæ Philoſophiæ fontibus inquirens, eamdem fuiſſe putat quandam Crucifixi imaginem ibidem à foſſoribus relictam coopertamque ſaxorum terreſtriumque quiſquiliarum ramentis, unde facilè contingere potuit, ut diſcuſſus à Cruce titulus, aptæ & ad recipiendam formam diſpoſitæ materiæ in lapideam molem à ſpiritu lapidifico converſa ibidem ſuum in lapide ectypon reliquerit. Nec aliter judicat de annulo Achatino Regis Pyrrhi, de quo tradit Plinius, novem in eo Muſas, proprio quamlibet inſtructam inſtrumento una cum Apolline citharam tenente, depictas exſtitiſſe. Lapides quoque mirabiles Alphabeti latini litteris ſignati, in agro Tolfenſi creſcentes videri poſſunt, in laudato ſupra *Authore*, *l. c. f.* 23.

OBSERVATIO CXIII. PHYSICA.

IMAGO B. MARIÆ VIRGINIS CUM FILIO IN MINERA FERRI EXPRESSA.

Vid. Tabul. IX.

ELapſo anni M.DC.LXIX. curriculo, *Metalli foſſor* quidam ferrifodinarum *Innerbergenſium*, *Simon Beiſenpacher* dictus, 33. anniorum, edixerat, ſe octavo menſ. Octob. hora 10. matutina in foſſa ſua, *S. Dorotheæ* nomine indigitata, *in hintern Sarth* hujus montis *Innembergs* quoddam *mineræ ferreæ fruſtum*, duarum circiter librarum pondere, in profunditate unius & mediæ orgyiæ ex improviſo reperiiſſe, quod more ſolito malleo foſſore percuſſum in duas proſiliit partes, quarum major, parte avulsâ ſuperius eminente, rari quid alere videbatur; unde advocato vicino ſocio, nomine *Balthaſare Millaver*, eidem inquit: En *mineræ* hujus facies B. V. refert. Inſpecta itaque & altera parte, eidem quoque ſimulacrum hoc impreſſum invenit, id quod minimè obſervaſſet, ſi & major pars uti minor figurâ illâ inſcriptâ terram ſpectaſſet. Verum una cum aliis intactam cùm reliquiſſet hanc mineram, *binæ* illius partes 11. Octobris inter horam 10. & 11. antemeridianam S. C. Majeſtatis Fodinarum Commiſſariis per *D. Matthæum Veiſemberger Rahſerl. Bergrichtern* & *D. Joannem Bernhardum Diſchoff*, *der Zeit Ober-Borgehern in Eiſen drut* oblatæ ſunt. Extractum ex Actis ferrifodinarum 13. Octob. 1669.

SCHOLION.

In Silicibus ac Marmoribus Marianas effigies abſque artificis digito delineatas in mundo ſuo ſubterraneo *tom.* 2. *lib.* 8. *S.* 1. *f.* 31. exhibet R. P. *Kircherus*, inter quas etiam habet illam, quæ Romæ in Templo S. Petri in Sacello B. V. marmori impreſſa cernitur, Lauretanæ Virginis imagini non abſimilis. De earumdem geneſi ſi ſenſatum hunc conſulamus Philoſophum, varios generationum modos reperiemus: vel enim fortuitò & caſu naſcuntur ob fluorem ſalini liquoris, qui ubi in terrenam & appropriatam ſubſtantiam adhuc mollem & ſiccitate jam ingruente in multas rimas & ſinuoſos ductus fatiſcentem ſeſe inſinuaverit, fit, ut ſucceſſu temporis omnia ſimul in duram & ſaxeam molem coaleſcant, ſicque pro rimarum fiſſurarumque conſtitutione varia repræſentantur phantaſmata. Vel ex ſingulari aliquo accidenti in ejuſmodi figuras exurgunt, ut v. g. à ſimulacris & imaginibus caſu in foſſis perditis, aut ventorum impetu eò delatis, ac molli materiæ, ad figuram recipiendum aptæ ſimulacrum ſuum imprimentibus, inde vero ſpiritus gorgonici, ſolis, aëriſque externi acceſſu in ſaxeam duritiem coagmentantis. Simile quid cum noſtra hac accidiſſe minera veriſimile videtur: aut enim ob accidentalem ſalinarum ac metallicarum atomorum concurſum ejuſmodi emerſit phantaſma (cujus etiam imperfecta ac obſcura forma non leve argumentum addit) aut contigiſſe potuit, ut imago quædam ſimilis, foſſorum pietate allata, eorumdemque incuriâ intra labyrintheas foſſarum abyſſos deperdita, minerali huic glebæ, in primis incunabulis adhuc molliori exiſtenti, primoque illo ac tenaci humido adhuc perfuſæ, involuta fuerit, ſuique veſtigium ſymbolizans reliquerit, quæ deinde ſpiritu gorgonico ac martiali, una cum igne ſubterraneo ſoliſque radiis accedentibus in mineram hanc ferruminata fuit.

OBSERVATIO CXIV. PHYSICA.

INSIGNIA GENTILITIA AUGUSTISSIMÆ DOMUS AUSTRIACÆ, NATURÆ DIGITO DEPICTA.

Vid. Tab. X.

A*quila* hæc ex auro licet artificioſiſſimè fabricata, plus tamen Naturæ debet quam Arti: dum *Gentilitia Auguſtiſſimæ Domus Auſtriacæ*, fœcundiſſimæ Imperialium Aquilarum Parentis, *Inſignia*, *Naturæ dexteritate* exſculpta ſub ſinu ſuo aliſque fovet. Nullibi enim feliciores ac fœcundiores Aquilæ, niſi in ſolo Auſtriaco. His Bonis Avibus ſemper floruit, florebitque impoſterum Auſtria. Conſpicuus *hic* imprimis eſt politiſſimis *diverſorum colorum circulis à* Natura ſignatus *Globus* ſeu *Ovum* Auſtriacum, è Meditullio Caracteris M. ex perlarum matre ſplendidiſſimè exciſi prodiens; cujus inferiorem, ex viridi nigricantem circulum, alius rubicundus ſatiſque latus cum naturali, non abſque ſingulari Naturæ Myſterio, Litteræ L. *inſtar minii* reſplendentis inſcriptione excipit: hunc deinde interpoſito nigricante ſubtili valde rurſus *ruber* alius, poſt illum *ſubcæruleus* eximii nitoris, hunc vero *lacteus* ac albicans inſignis latitudinis, duabus ſtriis purpureis, ex tenuiſſima rubicundâ lineolâ ſuperius circumductâ, deſcendentibus, notatus ſequitur;

ultimo tandem ſplendidiſſimæ huic Gemmæ *incarnati* quaſi coloris circulus coronidem imponit.

Ovo huic inſiſtit *Aquila*, dextrâ gladium, lævâ Sceptrum cum vigilantiſſimo oculo Naturæ, conſilio ac induſtria ex lapillo exiguo, figura, coloribus, pupillæque inſcriptione, verum æmulante oculum exactiſſimè efformato tenens. In pectore hujus Aquilæ ex unica gemma naturaliter emicat ac reſplendet *Scutum Gentilitium Auſtriacum* ſanguinei coloris, ducta per medium ad artis invidiam albicante Equeſtri Zona. Sub Alarum umbra *à dextris Hungariæ inſignia*, albis ac rubicundis alternatim lineis diſtincta; *à ſiniſtris Regni Bohemiæ* candidus Leo vivaciſſimis coloribus à rerum omnium Magiſtra adumbratus fovetur. In ſuperiori tandem parte infra Coronam ac bina Aquilæ Capita, rotundus quidam lapillus, rurſus Littera L. abſque artificis manu ſignatus, ſingulare Naturæ myſterium hieroglyphica hacce inſcriptione deſignatum claudit.

Incipiente ab ovo anno,
Ovo quidem Auſtriaco;
Naturæ indita arcana
His Litteris indicant.
LeopoLDo eX MargarIta fi LIUS
DIVI pro VIDentIa aLter LeopoLDUS

Adeo ut & ipſa Natura Aquilas non velit alias, niſi Auſtriacas ex LEOPOLDO & MARGARITA perennaturas.

OBSERVATIO CXV. PHYSICA.

LAPIS BEZOAR MONSTROSUS.

Vid. Tab. X.

INter numeroſos, tam magnitudinis quàm elegantiæ raritate admirandos *Lapides Bezoardicos*, Theſaurum Cæſareum exornantes, Curioſorum oculis maximè ſeſe commendat præſens hic delineatus, in capra ſive hirco Bezoardico, ab aliis ob mixtam capræ cum cervo ſimilitudinem, Capricerva dicta, repertus, ac *ſinu ſuo ſagittam ferream fovens*, eandemque ſuperiore ſolummodo parte, mucroneque ex altero latere excepto, circumcirca inveſtiens cinericii coloris. *Pondus* illius una cum ſagitta infixa, eſt Uun. j. dragm. vj. longitudo cum eminente ſuperiore teli particula, ſeptem; eâdem exceptâ quinque digitorum tranſverſorum, cum duorum latitudine. *Locum natalem* quod attinet, nulla ejuſdem exſtat mentio; cum nec de naturali inter ſe conveniant Authores.

Monardus enim *l.* 18. *c.* 9. in angulis oculorum: *Garzius* & *Acoſta*, in ventriculo & internis partibus: *Bohinus* potius in proventriculo; *Camera-*

rius in Receptaculo quodam, faſciæ modo formato, & ventriculo parte interiore adhærente: *Fragoſus* ex *Alvari Mandez* relatione, in Renibus: *Rabbi Moyſes* in Veſicula fellea eumdem naturaliter generari contendunt. De *monſtroſi Lapidis* hujus *natalitiis*, ſi conjecturæ locus, eumdem vel in ventriculo ſauciato, ex ſalinis & terreſtribus Chyli portionibus telo accreſcentibus, aut in parte aliqua carnoſa & muſculoſa ex Salino-Tartareis ſanguinis Bezoardici continua circulatione illuc propulſis atomis ac martialibus Sagittæ particulis ſeſe jungentibus coagmentatum, veriſimile videtur. *Ventriculum* quod ſpectat, ejuſdem vulnera non omnia lethalia eſſe, præcipuè ea, quæ carnoſæ ejus parti infliguntur præter ſummorum virorum authoritates. Teſtatur quoque ruſticus ille Bohemus cultrum deglutitum ac novem menſibus in ventriculo geſtatum, tandemque cuſpide eumdem perforantem, innoxiè extrahens, quem ipſiſſimum cultrum etiamnum in Camera admirabili Cæſarea reſervatum videre licet.

OBSERVATIO CXVI. PHYSICA.

D. PHILIPPI JACOBI SACHS à Levvenheimb.

RADIX MIRANDA CRUCIFIXUM CUM DUABUS Icunculis exhibens.

Vid. Tab. VI.

POſtquam per Patronorum quorundam opem & operam *Epiſtola Collegii Curioſorum Invitatoria in Aulam* CÆSAREAM eſſet delata, eam Fortunam nacta eſt, ut S. CÆS. MAJESTAS clementiſſimè dignata fuerit *Ipſam* perlegere, & poſtea ſuis Archiatris quoque legendam exhibere, unde ſimul herbaceum monſtrum delineatum unà tranſmiſſum (*Rapa* ſcilicet, *Obſ.* 48. ſuperius deſcripta) S. *Cæſ. Majeſtati* valde placuiſſe, Litteris mihi relatum fuit. Quin iiſdem Litteris nunciatum, *S. Cæſ. Majeſtatem* pronuntiaſſe, ſe non recordari Herbas, vel ſimilia Naturæ miracula Radicum aut Herbarum tenere, præter Radicem unam, in quâ *D. Chriſti Crucifixi effigies* quaſi *ſculpta excreverit*, quod tamen miraculo magis ſupranaturali, quam Naturali aſcribendum videri. Quod ſi tamen *hæc Radix Naturæ Curioſorum Collegio* ſerviret, curaret S. *Cæſ. Majeſt.* eam æræ incidi, illiſque tranſmittere. Quin imò ad declarandum amplius clementiſſimum Favorem, clementiſſimè *S. Cæſ. Maj.* optionem obtulit, ut ſi ipſemet Viennam excurrere vellem ad perluſtrandum Theſaurum Cæſareum, & indicare, quæ ex ditiſſimo hoc Cimeliarchio pro exornatione *Ephemeridum Germanicarum Curioſarum* ſervirent, clementiſſimè concederetur facultas, aut ut ex Medicis Viennenſibus notum aliquem ſubordinarem, qui Theſaurum perveſtigando, quæ ex Naturalibus maximè rara viderentur annotaret; velle *S. Cæſ. Maj.* per Cæſareum ſculptorem curare ut ea ære incidantur, & offerantur. Cum itaque propter Praxin Medicam mihimet denegatum fuerit Viennam proficiſci, & iſtam *clementiſſimam Gratiam* exoſculari ſubmiſſiſſimè, *Dn. D. Georg. Sebaſtianus Jung* Collega *Curioſus* diligentiſſimus, hoc onus in ſe ſuſcepit & ſtrenuam navavit operam, impetratâque Cæſareâ licentiâ *quinque antegreſſas Obſervationes* ex innumeris aliis Raritatibus ibidem aſſervatis collegit & eruditis Scholiis illuſtravit: *Tabulæ* verò ipſæ S. Cæſ. Maj. ſumptibus Viennæ excuſæ, clementiſſimè Collegio donatæ fuerunt.

Sicuti vero CRAMBE iſta *obſ.* cxj. enarrata *cum Crucifixo*, ad ſimplicia *Naturæ* Opera vix ac ne vix quidem recenſeri poterit, ſic dubito an *Radix hæc Miranda*, quam præſens Tabula ænea exhibet, ad *ſculptricis Naturæ* diligentiam ſolum ſit recenſenda. *Hæc Radix non amplius integra* aſſervatur in Theſauro *in Templo ad S. Crucem Vratiſlaviæ in Inſula S. Ioannis*, & illam videndam mihi procuravit *Reverendiſſ. Dn. Ignatius Leopoldus LASSEL à Climan*, *Canonicus* S. *Ioann.* & *Archidiaconus Lignicenſis*, *Patronus meus inſignis. De ejus inventione* narravit ſequentia: (cum propter deperditos Authenticos Libros in direptione iſtius Inſulæ præterito tricennali bello, ſcripta teſtimonia videre non potuerim.) *Radicem* hanc anno 1288. in Inſula hâc inventam fuiſſe, cum *Henricus Probus Dux Sileſiæ* fundamenta quæreret pro exſtruendo Templo *S. Bartholomæo* ſacrando, itaque ob inventam hanc *radicem* permotus Dux iſte, aliud Templum ſuperius inferiori huic ſuperædificavit, in honorem Crucis. *Superiorem Radicis partem* ferunt repræſentaſſe *Crucifixum*, ſed quod argento hæc pars eſſet circumdata, in direptionibus detruncata eſt, niſi quod aliqua pedum ſuperſint quaſi veſtigia. *Ex media Trunci radicis parte* ab utroque Latere *binæ Icunculæ* exſurgunt, ea in figura, quam ære delineare curavi: à dextra quidem quaſi ſexus fœminini cum mammis, *à ſiniſtrâ* parte quaſi maſculini, ubi aliquot parvæ & prætenues radices Barbæ ſpeciem exhibent; quales tenues Radices in ſuperiore parte in capite quaſi capillorum quorumdam ſparſorum figuram, non minus quoque ſimiles aliæ Ciliorum pilos, alioſque in partibus inferioribus monſtrant. *Inferior trunci pars* in radicum olim corpus unita, pariter in iſtis deprædationibus reſecta fuit & nunc mntilam exhibet *Radicem*: ipſa vero *tota Radix* hinc inde carioſa eſt & à vermibus exeſa, mollis tamen, ut certo videri poſſit, non Lignum eſſe ſed radicem, illamque mihi cum *Dn. D. Henrico Vollgnadio Collega Curioſo* aliquoties probè perluſtrare conceſſum fuit. Ruditer quidem omnia figuram exhibent, ita tamen ut membra ad eum modum, quo delineata ſunt, diſtingui potuerint.

De *Lapide notabili* & noſtræ Obſervationi analogo narrat *Exc. D. Ioann. Ionſtonus* Medicus & Polyhiſtor incomparabilis *in Thaumatrograph. Nat. ſect.* 4. *cap.* 17. quod tempore Joann. Friderici Elect. Saxoniæ *Lapides* inventi fuerint, qui *Chriſtum crucifixum*, *Mariam* & *Ioannem* repræſentarint lineamentis. Non aliter ac ex puro puto *Argento* à Natura in viſceribus terræ for-

matum

matum repertum fuiſſe *Chriſtum Crucifixum cum Virgine Matre*, teſtatur *Oſvvald. Grembs in Arbor. Homin. l. 1. c. 7. ſ. 5.* §. 18. *Trajecti ad Moſam* in Monaſterio *des Dames Blanches* Ordinis S. Mariæ Magdalenæ Pœnitentiariæ *Crucifixum* monſtrari *ex Arbore Iuglande* enatum, cum vi tempeſtatis rupta fuiſſet Arbor, teſtis oculatus eſt *D. Ioachim. Georg. Elſnerus Collega Curioſus.*

Referuntur & alia Naturæ ſtupenda Exempla, *Crucifixi ſimulachra referentia*, quorum pars facilius ad Naturæ penicillum referri poteſt, quam ante memorata. *Ludovic. Moſcardi Academicus Philarmonicus* Veronenſ. *in Muſeo ſuo Patav.* 1656. edito *l. 2. c. 15. f.* 134. mentionem facit *Lapidis* in Muſeo ſuo aſſervati, qui, *La Pietra della Croce*, dicitur, & invenitur in monte S. Petri di Rubia in Gallicia & Aſturia Hiſpaniæ Provincia, coloris cinerei, *in cujus medio Crux nigra ſignata*, cujus uſus Medicus quamvis nondum ſit cognitus, non contemnendus tamen *ob* mirandam *Crucis ſignaturam.* Cum *Dn. de Monconnys* in Luſitaniam iter ſuſciperet, Gubernator Navis Luſitanus ipſi retulit, quod oculatus teſtis fuiſſet in Inſula *Madera*, quando illam gubernaſſet, & obſervaſſet, fructum quendam nomine *Pacovas* in forma cucumeris, longitudine unius digiti, qui quando in rotunda fruſta diſſecetur, exhibeat *formam crucifixi*, Arborem hanc eſſe quaſi de Bananie, niſi quod folia magis parva ſint. *V. Dn. de Monconn. Itiner. Luſit. T. 1. p. 75.* Idem *Dn. de Monconnys. Tom. II. Itin. Germ. p.* 247. narrat *Dreſdæ* ſe vidiſſe inter Sereniſſ. Elect. Saxoniæ theſauros *Crucem* pedis altitudine *à Natura* optimè elaboratam *ex argento* & in minera inventam. Sic *in Achate* purum *crucifixum* obſervavit *Kircher. l.* 10. *Art. Magn. de Luc. p. 2. c. 2. f.* 806. Quod *in Scholio obſ.* 3. recenſitum *de Figura Crucifixi Venetiis* videnda, id ſimul *Iacob. Gaffarell.* in Provincia Theol. & Jur. Canon. D. *in curioſitat. inauditis* (qui liber 1630. Pariſiis editus, intra 6. menſes ter raro exemplo recuſus fuit, teſte *Leon. Allatio de Apibus Urbanis*,) approbat *cap. 5. p.* 72. *Dn. de Brevé* non ſolum in marmore vidiſſe iſtam *Crucifixi effigiem*, ſed etiam tam rarum eſſe artificium, ut vulnera & guttæ ſanguinis potuerint exactè diſcerni, & in ejuſdem Templi Altari *Caput mortis* eſſe perfectiſſimè à Natura elaboratum. *D. de Monconnys tom. 2. Itinerar. Italic. 2. p.* 414. ambo hæc recenſet Exempla, videri ſcilicet per venas Marmoris *in Templo S. Marci*, *Chriſtum* cum manibus extenſis & pedibus junctis *inſtar Crucifixi*, & in eodem Altari effigiem quoque *Capitis mortui*, ſed huic per Artem oculos & naſum effictum fuiſſe, & ſe dubitare annon quoque *Crucifixo* artificium quoddam adhibitum fuerit.

Stupendum quod de *Papilione* in Horto ſuo deprehenſo narrat *Kircher. in Arte Magn. de Luce f.* 808. *& in Mund. ſubter. lib. 12. ſect. 2. cap.* 3. in ejus alis Naturam *vultum Salvatoris* quaſi expreſſiſſe, uti illum in Tab. æneâ l. a. depingit.

Quod *de Crucifixo repræſentato* dictum, illud de *B. Mariæ Virginis* effigie quoque (de qua *obſ.* 113.) Exemplis aliis confirmari poterit. Ex *Theveto* narrat *Gaffarell. l. a.* in Archipelagi Inſulis *Lapides* inveniri, in quibus ſit *figura fœminæ filium tenentis.* Sic in inæſtimabili theſauro *Lauretano* Matremperlarum eſſe, quæ exactè repræſentat *fœminam brachiis geſtantem filium, teſtatur Monconnys tom. 2. Itiner. p.* 434. qualis figura quoque *Virginis filium tenentis* videnda *in Hiſpania* in Magno Templo *Toletano* in ſummo Altari, ubi Infans quaſi ſubridere videtur, Matrem aſpiciens. *Monconnys tom.* 3. *Itiner. Hiſpan. p.* 32.

Nec ſilventio involendæ aliæ *Naturæ* ludentis & pingentis *Hominem figuræ.* In *Bryoniæ albæ* radice inventa fuit *effigies humana*, quæ adhuc in publico Muſeo Bonon. aſſervatur, teſte *Ambroſino in Aldrovandinâ Monſtror. hiſt. f.* 308. *& Kircher. in Art. Magn. f.* 806. *De mandragora* ſupra *obſ.* 48. dictum fuit, ut & *de Satyrio*: de quo adhuc notandum, quod *Kircher* in una *Satyrii* ſpecie obſervaverit *Uteri mulieris fœtu gravidi rudimentum* naturali prorſus ſimile, *& in alia* Apiformi *Orchide*, reſciſsâ Apis formâ, *virgunculæ effigiem ambabus manibus ſcutellam portantis*, adeo affabrè expreſſam, ut omnes in admirationem rapuerit. *Kircher. lib.* 12. *Mund. ſubter. ſ.* 1. *c.* 9. *f.* 348. Vidit *Dn. de* Monconnys *in Itin. Turc. tom.* 1. *p.* 314. in Bethlehem in Marmore *Figuram Monachi* extenſi ſuper dorſum, cum longâ barba & capite cilicio involuto, tam exactè operâ venarum factam, ut ſit res omnium maximè curioſa.

Præter has enumeratas & aliæ *Naturales ſculpturæ* notantur. In *Filicis radice* certâ lege ſecta (quomodo autem thyrſus cylindraceus filicis graſſioris ſit ſecandus, ut Aquilam repræſentet v. *Kircher. l.* 2. *Art.* Magn.*p.*2.*c*.1.*f.* 170.) Natura *Aquilam Imperialem* depinxit. *Kircher. Arte* Magn. *f.* 806. *In Salicis* ſectione *ſerpentis* in ſpiram contorti eſt imago: & *in Pinu* ſectâ *Cranium hominis* adumbratum. *Kircher. f.* 170. In *Pyri ramo imago hominis* pectoralis artificioſa. *Id. ib. f.* 806. refert in trunco *Arboris Guajaci* duas figuras depictas Lineamentis quaſi penicillo ductis, quæ inventæ in trunco inferiore quò terram reſpicit ſibi invicem oppoſitæ, in cujus altera parte figura avis aquatilis, *Ardeæ Marinæ*, in altera parte forma *fungi*, qui Galletto dicitur. *Aldrovandus in monſtror. hiſt. f.* 673. De *Lapide* quodam *ſc. Petra Alba* in Muſeo ſervata recenſet *Ludov.* Moſ*cardi l.* 2. *c.* 111. *f.* 188. in cujus medio alterius coloris macula, quæ exactè referat *veram urſi effigiem* non ſine admiratione omnium qui ipſam viderint. Alia exempla plura videri poterunt apud *Gaffarell. l. a.* & quædam de Lapidum figuris impreſſis recenſui *in Gammarolog. p.* 150. *& ſeq.*

Unicum addo, *quando obſ.* 114. notatum *Inſignia Auſtriaca in marmore* inventa fuiſſe, ſic ſæpe citatus *Dn. de* Monconnys annotavit *tom.* 1. *Itiner. p.*22. iu Galliis in Terra Ducis de Rohan Lapides, Piſces, & Arbores habere maculas, quæ maculæ quoque inſignia ſint Domus Rohanenſis.

OBSERVATIO CXVII. PHYSICO-PATHOL.

D. JOANNIS GUILLELMI RIVÆ

DE RESTITVTIONE HVMORVM OCULI.

NOn potui quin Tibi dem partem *Experimenti* nuper facti *Romæ circa regenerationem humorum oculi.* Fama per totam Romam portabat ſecretum reſtituendi *omnes humores oculi* perditos, cujus poſſibilitatem cum ego negarem, effeci ut Poſſeſſor periculum hujus experimenti tentaret in ædibus meis, quod in præſentia multorum amicorum ita ſucceſſit. Aperiebat in Anſere corneam oculi dextri cum lancetta, digitoque omnes exprimebat humores, vacuo ab illis oculo ipſi inſtillabat certam aquam (quæ mihi videbatur aqua ſtillatitia chelidonii) à qua ſtatim oculus impletus reſtabat tamen turbidus, à reiterata autem infuſione Oculus omni ex parte manebat plenus atque clarus.

Quo facto promittebam me par præſtiturum cum aqua fontis mei, non minorem ſperans eventum, qui quinque diebus elapſis ſucceſſit cum eandem facerem operationem, & ſic omni viſu privavimus miſerum anſerem, dum cura aciem reſtituendi ſolliciti fuimus. Interim tamen ſervo anſerem, ipſiuſque ut cura habeatur procuro, ut poſſim cum tempore experiri, uter oculorum citius corrumpetur, præſupponens plenum illum aquæ fontanæ, citius ad interitum ruiturum.

Quod vero Oculus ab omnibus humoribus vacuus poſſit facilè redimpleri, extra omnem dubitationis aleam poſitum habui, quia tunicæ ſua natura duræ compreſſionem admittunt facilem, mox tamen redeunt in propriam figuram, quæ liquores infuſos in loca vacua inſinuat. An vero in iſto inſtanti vel tractu temporis ab illa humor criſtallinus cum vitreo regeneretur, maximè dubius adhuc ſum.

[*Ex litteris ad Dn. Ioann. Georg. Elſnerum Româ Vratiſlaviam miſſis.*]

SCHOLION.

De artificio iſto mentionem feci in *obſ.* 12. ubi citavi *Epiſtolam Burrhi*, quam de *reſtitutione humorum* expreſsè ſcripſit, in qua circa hanc materiam curioſa multa invenies. Alia ſi deſideras de hac materia, videſis in *Th. Kerchringis Spicilegio anatomico obſ.* 100. ſub titulo, *Oculus cryſtallino*, cæteriſque humoribus ſpoliatus, viſum recuperare poteſt. Et cum Burrhus divulgavit ſe illud aqua chelidoniæ præſtare, *Kerchringius* in iſta obſervatione negat illud artificium poſſe perfici neque aqua Simplici chelidoniæ, neque eadem aqua tam myſterioſè cum fimo ejuſdem præparata, quam Burrhus deſcribit in *ſua Epiſ-*

tola fol. 43. *Dn. de Monconnys* in *Itinerario* ſuo accuratiſſimo inter multa alia curioſa, mentionem facit de iſta operatione *in Part. II. Itineris Ital. p.* 492.

Ubi inter alia, quæ de iſta eadem operatione ex diſcurſu Incomparabilis *Septalæ* hauſit, annotavit his verbis ex gallico in Latinum verſis. Dixit mihi *Dn. Septala* ſecretum *Burrhi*, quo viſus reſtituitur animali poſt protruſum foras oculum, inciſione facta in eodem, ut effluat humor aqueus hac cautione, ut non nervus opticus nec cæteri humores lædantur, conſiſtere in eo, ut vulneri infundatur ſuccus chelidonii majoris, & oblinatur poſtea medullari pinguedine quadam, ſed neceſſe eſt, ut operatio fiat in marmore, & impediatur animal ne fricando aperiat vulnus, id quod appetet, ſi non cura adhibeatur, ob pruritum quem ex vulnere ſentiet.

[*D. Joach. Georg. Elſnerus.*]

OBSERVATIO CXVIII. PHYSICA.

D. JOACHIMI GEORGII ELSNERI.

NVM LIEN CERTA VENERIS SEDES.

Veneris ſedem, vel ſi malis nidum, *in Liene* eſſe *Helmontius Autor eſt Tr. de aſth. & tuſſ.* §. 58. Id quod Veteres hoc ſimili illuſtravere, ut conjicit citatus, dum Saturno Deaſtrorum primo Splenem, & primam aſcripſere paternitatem, & inde Faunos & Satyros (genus ſalaciſſimum atque ſcurrile) figura Saturni depinxere. Quam ſententiam multis firmare rationibus nititur *in Tract. Jur. Duumvirat.* ubi tandem §. 42. ita concludit. Uti Sanguificatio in venis meſenterii tanquam Jecoris ſtomacho; ſic *Spermatis coctio* fit in teſtibus *à Splene*. Huic Opinioni magnam lucem affundere videtur *Experimentum Domini Frederici Deckers Med. Doct. in notis & obſervationibus* nuper *editis ad Praxin Barbettianam p.* 221. *litt. b.* annotatum.

Diſſecuimus quoque ſubinde canes lienem eximendi gratia. Notatu dignum obſervavimus *in cane* fœmella *liene* jam deſtituta atque curata; nempè quod poſt annum circiter à diſſectione catulire incipiens, cumque aliis canibus bis terve congreſſa, numquam conceperit nec catulos produxerit; quare nonnulli lieni vim Sanguinem & prolem generandi aptam adſcripſere.

Verum enim vero, de ſingulis circa Naturam præprimis verſantibus dubitare, magna pars eſt ſapientiæ, vel ad minimum via ad indagandam veritatem. Sic dubio mihi cum *Dn. Regnero de Graeff* amico meo integerrimo anno 64. Leidæ decretum fuit ſimile experimentum. Canem fœminam ipſe in ædibus paternis Schonoviæ alebat, ut melius cura ipſius haberetur, *cui exſciſſus lien* erat. Quæ Canis poſtea *imprægnata duos vivaces* genuit *catulos*, & quod mirandum, canis alias vegeta duos ſolum produxit. Ex quo experimento liquet, licet Lien habeat vim ſpermaticam, tamen non ſufficere, ut illo ſublato tota quoque tollatur animalis fœcunditas, licet imminuatur. Niſi quis hic inſtare vellet fœcundum quidem habuiſſe ſemen iſtam canem, ſed antea paratum & reconditum, antequam liene privata fuerat. Ex altera parte in dubio manet an lieni paucitas prolis annumeranda, an potius maſſæ ſanguineæ, ex qua ſpiritus genitales extrahuntur, quæ non ita diſpoſita fuit quemadmodum in aliis, nam licet Lien abſque canis interitu exſcindi poſſit, & canes iſti, vivaces æque ac alteri videntur, tamen dubito quod functiones naturales in iis æque peragantur, quemadmodum in aliis, Lien enim non eſt viſcus inutile, uti cenſuere nonnulli Anatomiæ ignari, mirabilis enim & copioſa arteriarum & nervorum textura longè aliud docet, & licet Lien non ad eſſe, tamen neceſſarius erit ad bene eſſe Animalis.

Quæ experimenta jam cum mihi ipſi non ſufficiant ut vel in dubiam, vel vanam proclamem Helmontii ſententiam, hic Tibi autor ſum B. L. ſi majorem certitudinem deſideras, ut varia experimenta tentes, caneſque fœminas & maſculos quibus Lien ſectus, jungas, ex quorum reiterata conjunctione certo certius Sententiæ veritatem invenies.

SCHOLION.

Notum eſt, à multis & primæ notæ Anatomicis ſæpius operationem per quam exſcinditur lien fuiſſe tentatam & levi quoque diligentia illam peragi poſſe, & ut plurimum feliciter ſuccedere. Hinc miror nonnullos eſſe ſummos Medicos, & inter illos aliquot Anatomicos, qui negent illam ſectionem abſque interitu animalis poſſibilem eſſe, quia ipſimet experimentum tentarunt, ſed cum morte canis. Quorum in gratiam, & illorum qui adhuc illud tentare volunt addo, quod cauti ſint in ligatura vaſorum abſciſſorum, nam multi unica ligatura omnia vaſa conſtringunt, quæ vix ſufficit: Sanguis enim copioſus movetur ad vaſa abſciſſa, qui impetu ſuo ſæpius vaſa à ligatura liberat, per quæ Sanguis & cum ipſo Vita exitum quærit animalis.

Et hinc mors non dependet ex defectu lienis, ſed potius ex operatione non ritè peracta. Si itaque ſucceſſus in hac operatione ſperandus, ſingulis vaſis ſingularis & quidem artificioſa injicienda ligatura, vel potius bifida, ſi poſſibile eſt. Plura curioſa de Liene addere poſſem, ſed illa tibi B. L. promitto invenienda in anno ſecundo Miſcellaneorum. Unicam addo quod dubioſam meam mentem tenet de Liene, qui ſi ſedes eſſet veneris fermentumque præpararet, quod ſemen reddit fœcundum, cur non ſecundum leges Circulationis ſanguinis via adſit manifeſta per quam Natura illud duceret ad teſticulos? Poſito enim in liene præparari fermentum aliquod, Lien tamen nulli parti illud communicare poteſt, quam Hepati, niſi quis ſtatuere vellet lienis fermentum prius admixtum toti maſſæ ſanguineæ, tandem cum ſanguine devenire ad teſticulos, quod aſſertum tamen an ſubtilitati an potius veritati ſit annumerandum, neſcio.

[*D. Joach. Georg. Elſnerus.*]

OBSERVATIO CXIX. PHYSICA.

D. JOACH. GEORGII ELSNERI,

ANGUILLÆ VIVIPARÆ.

AUthores, qui hactenus de Piſcibus ſcripſere, planè differunt de *Ortu Anguillarum*. Ex qua diſcrepantia *Matron. Paradus* Anguillarum ortum incertum eſſe innuens, ex Jove natas eſſe dicebat, referente *Athenæo*, quomodo & fungos & tubera Deorum filios dixere. *Ariſtoteles* vero & *Plinius* in eâ fuere ſententia, neque marem neque fœminam eſſe, neque prolem ex ſe generare anguillas, ſed illas oriundas eſſe ex luto humeſcenteque humo per putredinem, vermium more. Et hoc ſuum aſſertum probant, eo quod in omnibus fæculentis ſtagnis aqua omni exhauſta, & limo detracto, *anguillæ* denuo generentur, ubi aqua acceſſerit pluvia. Imo *anguillas* generari poſſe ex equo mortuo paludi injecto, ſunt qui aſſerant. Aſt quemadmodum interdum Bonus dormitat Homerus, ſic quoque Bonus Ariſtoteles non rarò in rebus naturalibus vigilans dormivit. Regio noſtra paludes fæculentas in copia habet, aſt nunquam audivi ante vel poſt illarum exſiccationem in illis inventas fuiſſe anguillas; & quod magis, illis non rarò injiciuntur cadavera equina & alia, ut ita ipſis non deeſſet materia, ſi ex putredine & corruptione originem traherent, niſi Sol forſan accuſaretur non ita calefacere fimum noſtrum quemadmodum in regionibus Ariſtotelis. Inſuper tamen miror, ſi *anguillæ* pronatæ eſſent ex putredine cur ament aquam puram, in turbida enim & lutoſa ſtatim moriuntur. *Athænæus* & cum illo *Oppianus*, quia non obſervarunt in illis *Ova* in hac fuere opinione, illas coire complexas, deinde emittere ſtrigmentitium quid; ex quo cum in limo fuerit, animal generetur. Quæ videre licet ex Oppiani verſibus interprete Lippio,

Anguillæ ſpiris, multoque volumine nexæ
Qui ſpuma ſimilis bubula celatur arena
Concipit, accepto naſcuntur lubrica terga
Concumbunt, lentor diſtillat corpore toto
Accipit hunc cænum, quid enim fæcundius illo?
Flexibus innumeris anguillæ in litore repunt.

Id quod Ariſtotelis ſententia probabilius videtur, aſt vix unquam ſimilis procreatio in animalibus obſervata fuit, omnia enim ſi non ovipara, tamen *vivipara* ſunt, inter quæ & *anguillæ* forſan numerandæ. Unde forſan commotus *Rondeletius*, qui ab aliorum opinione diſcedens putat ex genere oviparorum eſſe, & licet ova ſenſum ſubterfugiant noſtrum, illa tamen ſub pinguedine latere. Quam ſententiam omni ex parte negare non audeo, ſunt enim ſerpentes oviparæ, ſunt quoque viviparæ, cur non etiam anguillæ ? Hoc tamen additum volo, quod ova iſta ita debeant eſſe minutiſſima, ut omnem ſubterfugiant viſum, quod non videmus in aliis : imo ſi quis in pinguedine aliquid inveniret ovorum inſtar, nec ſtatim ova revera eſſe credat, glandulæ enim formam illorum habere poſſunt. *Anguillas* autem eſſe *viviparas* viperarum inſtar, obſervatio una atque altera in Hollandia me docuit, ubi in copia capiuntur & mactantur, unde cum fœminam præterirem, quæ illas aſſaret, illam vidi extrahere neſcio quid tumidi ex anguilla, ex qua dum quærerem quidnam eſſet, illa annuebat eſſe Uterum, quo aperto variæ in diverſis membranulis involutæ hærebant anguillæ, ex quibus cognovi illa eſſe annumeranda animalibus viviparis, illaſque coire invicem circumvoluta viperarum & ſerpentum in morem, quod ex Oppiano & Rondeletio concludere licet.

OBSERVATIO CXX. PHYSICA.

L. CHRISTIANI FRIDERICI GARMANNI.

ARANEÆ AERE MVTRIVNTVR.

AErem *Araneis* & aliis Inſectis *in nutrimentum* cedere ſæpius obſervavi: *Araneas* vitro incluſi, clauſoque exactè foramine, omnem ſere *aëris* uſuram iiſdem abſtuli. Decreverunt de die in diem adeo, ut grandiores quamvis antea, vix Piſum æquarent minimum. Ad incitas cum eaſdem putarem redactas, acu foramina quædam operculo induxi, & illico tanquam famelicæ foraminibus iſtis ſe applicabant, & poſt unum & alterum diem notabile ſumebant incrementum, ut etiam, modo locus fuiſſet commodus, à textura non abſtinuiſſent. Illuſtrant hæc, quæ de viperillarum nutritione habet *Strauſſius Epiſt. ad Comit. Digbæi Theatr. Sympath. & Antiph. p.* 131.

Concludebam exinde eamdem materiam eſſe *filorum meteoricorum*, ſive B. Virginis, ut vocant, & *filorum* quæ texturæ *Aranearum* operantur, utpote quam materiam ex Aëre prius attractam, poſtmodum evomunt.

[*L. Chriſt. Fr. Garmannus in Litt. e Chemnitio Miſn. ad D. Sachs.*]

OBSERVATIO CXXI. PHYSICA.

L. CHRISTIANI FRIDERICI GARMANNI.

ARANEÆ CVM BOMBYCE ANTIPATHIA.

NOn eſt ſilentio prætereunda *Araneæ cum Bombyce Antipathia*, à nullo, quod ſciam, annotata. Cum anno 1661. & 1662. circa *Bombycum* Naturam, Educationem & tranſmutationem varias colligerem obſervationes, quoſdam adultos ex improviſo ægrotare & poſtmodum emori deprehendebam. Nulla ratione coloris apparebat mutatio, guttula ſolum unica aut altera albicans in dorſo vulnus punctim inflictum intimabat. Muſæolum aliquando ingreſſus *Araneam* dorſo *Bombycis* inhærentem vidi, mortiſque repentinæ cauſam oppidò intellexi. Invidia turgens *aranea* ob cognatam Artem hoc modo inſidiari optimo artifici *Bombyci* in conjecturis eſt. *Sie die Spinnen haſſen die Seiden. Burmer, vvie die Pfuſcher die volltommene* Meiſter.

[*L. Garman. Litt. ad D.* Sachſium.]

OBSERVATIO CXXII. PHYSICA.

L. CHRISTIANI FRIDERICI GARMANNI.

BOMBYCUM NUTRIMENTUM.

De *cibo Bombycum* varia recitantur. *Ulmi* foliis, ſi *Mori* ſoliorum non ſit copia, eos paſci poſſe *Hieron.* VIDALI. *de Bombyc.* docuit: *fiuum* foliis *Bellonius L. II. Exot. obſ. c.* 105. *Lactuca Voſſius L. IV. Idol. c.* 69. *p.* 1542. *A Lactuca* comeſta Dyſſenteriam incurrerunt, evaſerunt pauci. *Ficuum* folia, aut abhorruerunt penitus, aut iis deglutitis minus firma poſtmodum duxerunt fila, Erucarum aut Aranearum filis non abſimilia. Mutarunt forſan cum cœlo genium Ficus. Quod vero *Morus* lautus pariter & utilis ſit *Bombyci cibus*, ſucco ejus glutinoſo aſſcribendum, qui in ventriculo & inteſtinis exactè coctus & præparatus Gummi modo albicans, modo citrinum mentitur, ex quo fila poſtmodum quaſi vomentes texere ſolent, prout id Anatome ad oculum demonſtrat.

[*L. Garman. Litt. ad D.* Sachſium.]

SCHOLION.

De *Bombycum Natura* & Ingenio elegans carmen compoſuit *Marc. Hieron.* VIDA quod ipſius Poëmatibus inſertum eſt. Cum anno M. DC. III. HENRICUS IV. *Gall. Rex*, reſtitutâ Regno Pace, ex Regiâ Providentia de Oeconomicâ quoque felicitate vellet proſpicere, & novam *Bombycinum fabricam* introducere, copiam *Mororum albarum & ſemen Bombycinum* in IV. Franciæ metropoles, Lutetiam, Aureliam, Turonium, & Lugdunum mittere conſtituit, quæ ſeminaria illa Calendis Aprilibus in ſuperſtites Regni partes diſtribuerent, unà cum præceptis, quæ cultum in Arborum ſatione, quæ cura in alendis Bombycibus, in excludendis eorum ovis, in ducendis filis ſericis opus ſit. *Singularis* itaque *Liber* Lutetiæ per Jametrum & Petrum Metayerum excuſus fuit, conſcriptus *ſub titulo, de Sationis Mororum diſciplina atque vermium ſericorum cultura*, & hic Liber juſſu Regio ad ſingulas diœceſes miſſus fuit, uti hæc narrat *Petr. Matthæus tom.* 2. *Hiſt.*

Gall.

Gall. part. 2. l. VI. narrat. l. §. 5. p. 112. 113. ita concludens, cur non ſumma hujus miraculi admiratio nos teneat, quod Dei omnipotentis diſpoſitione *beſtiolæ illæ ſanguine, carne, oſſibus, venis, nervis, arteriis, viſceribus, dentibus, ungulis, pelle, oculis, auribus carentes* intra 40. dies conficiant, quod induſtriæ humanæ intra totidem annorum ſpatium negatum eſt? Quod tamen prædictus Hiſtoricus Gallicus *de fabricâ Partium Phyſica & Anatomica* Bombycum non obſervârat, id oculatiſſimus & Ingenioſiſſimus Dn. MARCELLUS MALPIGNIUS *Philoſ. & Med. Bononienſ. & in Meſſanenſi Cathedra Medicinæ Prof. Primarius* beneficio microſcopii detexit, in *Diſſertatione de Bombyce*, quam *Illuſtriß. Societati* REGIÆ *Londini ad ſcientiam Naturalem promovendam inſtitutæ* dicavit, & ab *Eadem Londini* Anno 1669. unà cum figuris pluſquam 54. in Tabul. XII. æneis excuſa fuit in 4. Opuſculum egregia doctrinâ & curâ elaboratum, ita cenſente *Ampliſſimo Henr.* OLDEMBURGIO *Soc. Regiæ Secretario.* In ea *Diſſertatione* à ſe obſervatos præter alias partes recenſet *pag.* 25. Bombycis *Muſculos*; *p.* 26. varias vaſorum propagines, *p.* 17. binos *pulmones*, *p.* 33. *Cor* ſubobſcurè pulſans, *p.* 37. *ventriculum*, *p.* 43. in ventris lateribus hinc inde circa ventriculum oblongum *vaſorum progreſſum*, pro ſerico efformando ſtamine ſuccum continentem, *pag.* 48. *Cranium*, *p.* 50. *dentes* binos, &c. *Idem p.* 52. obſervavit, flante Auſtro Bombyces non parum labefactari, & æſtuante aëre de facili in quandam cachexiam ſive hydropem incidere; & quæ ſunt alia in ea *Diſſertatione* notatu digniſſima.

Unicum adhuc excerpendum, quod laudatus *D. Malpighius de Nutrimento Bombycum pag.* 6. ſcribit: *Bombycum Alimentum Morum* fuiſſe, longa temporum traditione conſtat. Duplex autem eſt: *Nigra & Alba* : *illa* rotundis foliis & in acumen deſinentibus conſtat, quæ ſolidâ pollent ſubſtantia, *hæc Alba* delicatior eſt, & citius adoleſcit, folia anguſtiora & oblonga magis habet, hæcque teneriora. In noſtris (ſcilicet circa Bononiam) finitimiſque regionibus *Alba Morus* pro *Bombycum alimento* uſurpatur, (nec niſi in ſumma inopia *Nigræ* offeruntur folia, adulto etiam Bombyci) unde ex teneritudine ſericum molle ſtamen gignitur: in Sicilia & in noſtris quibuſdam montibus *Nigra Morus* ex uſu eſt, indeque ſolidius filum eruitur. Ut diverſis rebus alimoniam compararem, mollia *Lauri* folia, *Vitis*, quin *Ulmi* & *Ruſci* pluries exhibui, tranſacto autem altero die convulſi interierunt. Scio *Lactucæ* folia primis diebus exhibita, alimentum tenellis adhuc Bombycibus apud quoſdam extitiſſe, ſicut & tenera *Ruſci* folia.

[*D. Phil. Jac. Sachs à Levvenh.*]

OBSERVATIO CXXIII. PHYSICA.

D. THOMÆ BARTHOLINI.

PILI DEMORTVORVM.

IN *Pilis Demortuorum* neſcio an vobis obſervatum, quanquam nigri vel cani fuerint in viventibus, ſæpe tamen in apertis buſtis *ad flavum colorem* immutatos cerni, ut à ſuis agnoſci agnoſci vix poſſint, ſine dubio Cadaveris vaporibus calidis incluſis illuſtrati.

[*Th. Barthol. Litt. ad D. Sachſium.*

SCHOLION.

Vapores calidos ſine dubio *Flavam* Tincturam poſt mortem *capillis* dare poſſe hoc quoque probat, quod in quibuſdam *Hominibus viventibus* dum pectine *capillos* dividerent, *ſcintillæ* quaſi *igneæ* evolantes ex pilis viſæ ſint, quod ex *Cardan. l.* 8. *de Rer. Var. c.* 43. de Monacho Carmelitani Ordinis, ex *Scalig. Exerc.* 174. de Hervina Caumontia, & de Chriſtiano V. Hærede Regni Daniæ adducit *Bartholin. cent.* 3. *hiſt.* 37. Hoc ipſum in ſe quoque expertus eſt *Petr. Joan. Faber*, uti teſtatur *in Pallad. Spagyr. c.* 14. & de puella egregiæ formæ, quæ dum *capillos* pectine implicatos diſſolveret, flammas, velut cadentes è capite ſtellas, in ſinum excuſſit, recenſente *Joan. Euſebio Nicremberg. l.* 1. *c.* 7. *Hiſt. Nat. Plura Exempla* videri poterunt apud *Exc. Bartholin. in de Luc. Animal. Petr. à Caſtro in de Igne Lambente*, & quædam notavi *in Ampelograph. Curioſ. l.* 22. *ſ.* 7. *c.* 2. *pag.* 492.

Pilos demortuis creſcere ſunt qui affirment. Sic ex *Paræo* recenſet *Camerar. in memorab. Medic. cent.* 1. §. 47. quod cadaver ſuſpendio necati habuerit, quod pluſquam 25. annis incolume perſtiterit, imo *retinuerit barbam, & capillos*, ungues vero, qui ab ipſo aliquoties fuerant reſecti, increviſſe & ad priorem magnitudinem rediiſſe: alii *contra* pugnant *mortuis. Pilos verè non augeri*, ita ut illis additamentum aliquod fiat, ſed marceſcente carne & cute omnes *Pilorum* partes, uſque ad ultimam radicem palam fieri, ſeſeque oſtendere, unde longiores videantur.

Permanent Pili in cadaveribus Demortuorum Balſamatione conditis. Sic cum cadaver Tulliolæ filiæ Ciceronis, Paulo III. Pont in via Appia poſt annos ultra 1500. inveniretur, viſum hoc fuit cum *capillis* ad tempora implicitis, irretitiſque aureo retinaculo. *Fortun. Licetus l. I. de Lucern. Antiq. c.* 2. *f* 8. *& l.* 4. *c.* 4. *f.* 267. *Alex. ab Alex. l.* 3. *Gen. D. c.* 2. Et mumia illa celebris, quam anno 1658. *Uratiſlaviæ*, præſente Medicorum Uratiſl. Choro, in Porticu Horti *Dn. Cruſii Pharmacop.* diſſecare vidi, & quam ſummum Sileſiæ noſtræ ornamentum *Dn. Andr.* GRYPHIUS eruditè deſcripſit, *capillos* habuit nigros, cripſos, nardo pingues, haud facilè potis evellendos, breviores tamen & qui non digiti dimidium excederent; uti in *Mumiis Uratiſlav p.* 40. narrat prædictus *Gryphius.*

Hoc quoque *de* Pilis *rarum* recenſet *Barthol. cent.* 1. *hiſt.* 41. quod dum Danus quidam reſectos, propter vulnus capitis, *pilos* cum cutis particulâ in theca aſſervaſſet, cum is creſcente ætate caneſceret, & calveſceret, thecæ incluſi *pili* etiam cani facti fuerint, & cutis illa pars calvitium quoque paſſa ſit.

P*lura de Demortuorum capillis* tractabit *Dn. L. Chriſt. Frider.* GARMANNUS *Acad. Curioſ.* in Eruditâ propediem edenda *Diſſertat. de miraculis mortuor. Tribus decadibus* conſtante, ubi *Decad.* 1. *c.* 2. *de capillorum augmento poſt mortem* commentaturus eſt.

[*D.* P*hilip. Jac.* S*achs à Levvenh.*]

OBSERVATIO CXXIV. CHIRURG. PATH.

D. THOMÆ BARTHOLINI.

NERVORUM SECTIO ET MOTUS LÆSUS.

I*Nquirendum* eſſet an *diſſectus Nervus* coaleſcere non poſſit, & an cum Hippocrate experientia facta ſit? Difficultati enim à *Galeno* propoſitæ, quod vulneris labra à ſe invicem diſtent, non parum occurrunt *Brunus, Lanfranus, Guido,* Nervum diviſum conſuentes, *quando* & nuper P*ariſiis* felici cum ſucceſſu fuerit conglutinatus.

Inquirenda quoque *ratio* ex veris Proſectorum principiis, *cur in* P*aralyſi ſæpe Nervus* motum efficiens obſtruatur, *ſenſu ſuperſtite exquiſito,* quale Exemplum hiſce diebus habuimus in Viro Ampliſſimo *Joanne* MULENIO, quem propter Bibliothecam inſtructiſſimam Academiæ Noſtræ legatam Panegyrica Oratione publicè laudavi. In reſoluto enim brachio ſiniſtro ſenſus adeo fuit acutus, ut ad leviſſimum quemvis attactum doleret, pulſus quoque in carpo ejuſdem brachii affecti tam robuſtus, ut ſuperaret ſanum.

[*D. Th. Bartholin. e Hafnia Litt. ad D. Sachſium.*]

* * *

OBSERVATIO CXXV. PHYSICA.

D. THOMÆ BARTHOLINI.

ASELLUS HERMAPHRODITICUS.

DOctor *Vvilhelmus* VVORM Collega, ex Norvvegia nuper accepit *Aſellum hermaphroditicum*, cui & ova & lactes inſunt. Inſoliti quoque his terris Crocodili ex Africa in Daniam bini advecti venerunt, utriuſque ſexus, ſed vivi littora noſtra attingere non potuerunt.

[*D. Barthol. ad D. Sachs.*]

HISTORIA.

Quoſdam *Piſces* præcipuè *Trochum* & *Rotam* è mannis pro *Hermaphroditis* habitos fuiſſe *in l. 2. de Hermaphrodit. c. 6. recenſet Gaſp. Bauhinus.* Sunt qui ob fœcunditatem *Leporum* ſtatuant *utroque ſexu gaudere*, quos Authores recenſet *Bauhin. l. a. c. 15. p. 551.* rectius tamen hoc *Idem* negat *c.16.* teſtaturque *p. 558.* ſe hâc de cauſa crebris *Leporum Anatomiis* indulſiſſe: aperto ventre Renes eorum cum Emulgentibus venis & arteriis, Ureteribus, ſpermaticis venis & arteriis, veſica, teſticulis, pene ſupra chartram pulchro ſpectaculo extendiſſe; fœmellas quoque cum utero exenteraſſe, *at hermaphroditos* & fœtus in maſculo, ipſi nondum ad manus veniſſe, nec tales à venatoribus, quibus tamen honorarium promiſerat, ipſi apportatos. Pro confirmanda hâc Bauhini ſententia adducam egregium teſtimonium *ex Joan.* FABRO *Lynceo Expoſ. in Hiſt. Mexic. f.* 812. Diu me torſit, *inquit*, de *Leporibus* dubitatio an perſuaſio, *omnes ad unum Hermaphroditos* eſſe: Ideo cum Nobiliſs. *Julio* SINIBALDO venationibus deditiſſimo (qui ultra centum lepores domi ſuæ, hoc eſt in oppido *Montis Leonis Spoletanæ Diœceſeos* cepit uno anno) omnes lepores accurata ſectione perquiſivimus, inter quos centum, vix quatuor maſculos invenit, reliqui omnes fœminæ, & quod mireris, pleræque gravidæ fuerunt; in his omnibus diſtinctiſſimum ſexum invenit & agnovit, & fœminea quidem vaſa genitalia in fœminis, virilia in maſculis, & in his nerveum penem, & teſticulos bene luculentos, extraque corpus propendentes quemadmodum in canibus. Mirandum quam provida Natura in procreandis tot fœminis, quæ ſingulæ ſæpius implentur, in eſculento & ſapido hoc Animali.

[*D. Phil. Jac. Sachs à Levvenh.*]

OBSERVATIO CXXVI. PATHOLOGICA.

D. MATTH. FRANCISCI HERTODII.

ALVI DIFFICULTATIS NOVA CAVSA.

Vid. Tab. X.

QUemadmodum Rhetor ex *Ariſtotele lib.* 1. *Topic.* non ſemper perſuadet, ita nec Medicus ſemper ſanat; ſæpe namque morborum cauſæ in ſecretis naturæ ſic reconditæ ſunt, ut omnem mentis captum fugiant. Si unicam *alvi adſtrictionem*, ſeu difficultatem perpendimus, à quam variis cauſis eandem foveri non videmus? *Ubi* jam bilis in totum corpus diffuſa (quæ aliàs per ductum cholodochum ad inteſtina pro ſtimulanda fæcum excretione vergere deberet) cauſa ſtatuitur: *jam* mucus craſſus, viſcidus inteſtina oblinens, quo minus eadem ipſius bilis acrimoniam ſentire valeant; *ſæpè* intemperies alicujus viſceris calida, ſicuti dum lien calidior aqueam humiditatem, quibus fæces dilui debent, attrahit, *aut* medicamenta calidiora, quæ uti hepar excalefaciunt, ita qualitate ignea humidum ventriculi abſumere poſſunt. *Accedunt* his flatus in hypochondriacis, excrementa exſiccantes, & indurantes: *non rarò* fibrarum obliquè deſcendentium inteſtinorum relaxatio, prout in apoplecticis: *aut* dum humores acidi ſtyptici aliunde eò affluentes eandem ſegnitiem producunt, ob quam non admittitur ſufficiens influxus ſpirituum animalium, quo deficiente deficit & ſenſus tactus: *vel* ubi calculus per tranſverſum ipſis inteſtinorum tunicis adhærens excrementorum tranſitum prohibet.

Recenſitis hiſce *cauſis aliam* à nemine fortè obſervatam adnectimus: Dum nuper ex dentitione difficili convulſa fatis cederet *Prænobil. & Generoſ. D. Cæſ. Majeſt. per Moraviam Quæſtoris* filiola, aliàs ab ortus ſui veſtibulo ſana, præterquam quod in excernendis fæcibus, etſi liquidis, ſummam pateretur difficultatem, & talem quidem, ut ex conatu nimio & reſpiratione retentâ, tota facie nigreſceret. Exenterationi traditum corpuſculum, inventa viſcera omnia ſana, præter inteſtinum *Ileon, in quo tres nodi* unâ ferè ſpithamâ inter ſe diſtincti viſendi erant; in horum quolibet magna portio hujus inteſtini ipſi meſenterio non adhærens abſcondita latitabat. *Difficilis* hujus *excretionis* dubio procul, *unica cauſa*, ob motum nimirum periſtalticum inteſtinorum, ex variâ earumdem fibrarum flexione quodammodo impeditum, qui aliàs ad excretionem neceſſariò requiritur. Nec enim credibile eſt hanc inteſtinorum actionem læſam à convulſione ortam fuiſſe, cùm à meſenterio rupta inteſtina, & à vaſis meſeraicis extravaſatus ſanguis nullatenus appareret, neque ipſa inteſtina unà cum meſenterio, *in nodis illis* vaſis ſeſe abſconderint. Statuendum ergo potius ab ipsâ ſtatim conformatione hoc malum eveniſſe, & fortè id ipſum in alvo difficili frequentius cernere contingeret, ſi in cadavera humana debacchari liceret.

[*D. M. Franc. Hertodius e Brunna Morav. ad D. Sachſium Uratiſlaviam*]

OBSERVATIO CXXVII. ANATOMICA.

D. REGNERI DE GRAAF.

ARTERIÆ CAROTIDES INDURATÆ.

Vid. Tab. X.

ELiſabetha Joppen, habitans in Vico *de Geer* dicto, per 25. annos intolerabili Capitis dolore excruciabatur, qui, dum primo alimenta maſticare inciperet, vel aura tempeſtuoſa adveniret, ita exacerbabatur, præſertim in latere dextro, ut lacrimæ, fontium ad inſtar, ex oculis erumperent, ac ejulatu domeſticos & vicinos defatigaret. Ad inauditi hujus Capitis doloris ablationem plurimorum Medicorum auxilia fruſtra imploravit, & tandem 9. Martii Anni 1669. ex hac lacrimarum valle ad ſuperos demigravit. Aperto ejus Cranio præſente *D. Fockeſtert & Henrico ab Annema* invenimus.

I. Sub Pia Meninge magnam quantitatem aquæ limpidæ;

II. Ventriculos Cerebri ſimili liquore repletos;

III. In Glandula Pineali plurimas arenulas aſperas, quarum aliquæ Calculi nomen propter magnitudinem merebantur.

IV. *Arterias Carotidas*, curioſiſſimo ſpectaculo, ita induratas offendimus, ut *externa facie calculoſas*, ſive in lapideam ſubſtantiam mutatas eas judicaremus, ſed illis apertis obſervavimus earum lateribus materiam calloſo-lapideam accreviſſe, idque non aliis in locis, quam ubi ad latera Sellæ Equinæ aſcendunt, & eo uſque quò in Figura ſequente illas depictas vides.

Per harum Arteriarum medium ſanguini adhuc quodammodo concedebatur via. Quænam hujus doloris cauſa fuerit, ſagaciſſimo tuo judicio relinquam.

[*Ex litteris D. Graaf. ad D. Georgium Ioach. Elſnerum, Delphis Uratiſl. datis.*]

Figuræ Explicatio.

A. Glandula Pituitaria. BB. Nervi Optici.

CC. Arteriæ Carotides eouſque per ablationem Sellæ Equinæ conſpicuæ, quouſque in duritiem lapideam excreverant.

DD. Partes Arteriarum Cranium perforantes.

E E. Partes Arteriarum ad Cerebrum aſcendentes.

FF. Nervi Olfactorii. G. Criſta galli.

OBSERVATIO CXXVIII. ANATOMICO-PATH.

D. REGNERI DE GRAAF.

MONSTROSUS UTERUS.

ANno 1669. *Delphis* Praxin Medicam exercens 25. Martii me rogavit *I. Ametis*, ut charam ſuam Conjugem, morbo graviſſimo detentam inviſerem, quæ tunc temporis de maximo conquerebatur dolore ventris, Lumborum & anxietatibus circa præcordia, quæ omnia ita augebantur, dum capite demiſſiore decumberet, ut ſemi-erecta continuo in lecto quieſcere teneretur, idque propter ventrem, qui in horrendam molem excreverat, cujus primordia jam ante 25. annos perſentire cœperat, cauſam vero omnino ignorabat. quam ego antequam examen, ut fas erat, inſtituiſſem, in Hydrope quærendam & inveniendam opinabar; ſed poſtquam ab ægrâ intellexiſſem, quod nullos in ventre, cum ſeſe verteret fluctuationes unquam perſentiret, atque Ventrem cum inæquali duritie in latere ſiniſtro parum infra umbilicum multò magis quam alibi intumefactum viderem, judicabam potius Tumorem illum, cum nec Hepatis nec Lienis regioni correſponderet, atque à corpore quodam indurato & intumefacto originem duceret, à Meſenterio ejuſque glandulis intumefactis provenire, eoque faciliùs, dum mihi in memoriam revocarem, quod cum Clariſſimo Profeſſore, *D. Diemerbrockio* in Noſocomio Ultrajectino talem ventris tumorem, à Meſenterii Tumore ortum, in demortuo quodam viderim.

Quapropter tali Prognoſi, qualem morbi magnitudo deſiderabat, inſtitutâ, quandoquidem pleraque alia Medicamenta reſpueret, non niſi Enemata in. anum injicienda, ac Mixturam ad corroborandum ac Dolorem ſedandum, cochleatim ſumendam præſcripſi; quibus medicamentis per quatuor circiter menſes doloris ferociam quodammodo lenivi, donec 20. Julii, anno ætatis ſuæ quinquageſimo, miſerrimam vitam cum morte, uti ſperamus, feliciore commutaret. Aperto Cadavere, reliquis Viſceribus bene ſeſe habentibus, in abdominis cavitate quatuor circiter inveni pintas liquoris admodum putridi, & præterea ingentem *Tumorem rotundum*, qui reliquam Abdominis cavitatem adimplebat. Hunc Tumorem ex adhærentibus illi Teſticulis, Tubis, &c. *Uterum* eſſe cognovi, qui meo & adſtantium judicio, ad minimum *quadraginta libras* pendebat, dum Uterus naturaliter conſtitutus, raro duarum Unciarum pondus excedit. *Monſtroſo* hoc *Utero* cruciali inciſione diſſecto, vidi illius ſubſtantiam in anteriore ſua parte ſolummodo pollicis tranſverſi craſſitiem habere, in lateribus vero & poſteriore parte, eâ videlicet quæ Lumbis adjacet, duodecim digitos tranſverſos adæquare, quæ Uteri ſubſtantia partim Scirrhoſa partim quaſi Glanduloſa, ſive ex globulis rotundis, ovi luteis induratis non adeò diſſimilibus compoſita cernebatur. Uteri vero medium ſive Cavitatem internam, materia quædam inſtar pugni majoris craſſa, maximè putrida & nigricans adimplebat, quam ſtatim à Fœtu, Molâ, aut Placentâ, non edita, ſed in Utero putrefactâ originem ſumpſiſſe judicabam; quod ultimum confirmabatur iis, quæ maritus mihi poſtmodum retulit. Scilicet uxorem ſuam ante 25. annos, ſecundo vel tertio ingravidationis menſe veſiculam quandam aquâ repletam, per muliebria abſque placentâ excreviſſe, ſubſequente maximo Lochirum fluxu, per 6. vel 7. Menſes durante, eoque ceſſante uxoris ſuæ ventrem ſenſim magis magiſque intumuiſſe, accedentibus ſymptomatibus ſuperius deſcriptis. Hanc obſervationem praxin Medicam exercentibus maximè utilem & neceſſariam eſſe, poſtmodum abundè cognovi, qui ab illo tempore quartam vel quintam abortionem patientes, per placentarum expulſionem feliciſſimo cum ſucceſſu, duorum vel trium dierum ſpatio priſtinæ ſanitati reſtitui.

[*D. Graaf e Delphis Holland. ad D. Joach. Georg. Elſnerum Uratiſlaviam.*]

OBSERVATIO CXXIX. ANATOMICA.

D. JOANNIS JACOBI DOBRZENSKY DE NIGROPONTE.

CALCULI CYSTIDIS FELLEÆ ET MEATUS HEPATICI.

ANno Domini 1662. Illuſtriſſima Domina *Baroniſſa Przehorzouskiana* hìc in Bohemiâ à longo tempore de tumore & duritie dextri hypochondrii conquerebatur, unde variis adhibitis remediis nihilque proficientibus, tandem *Ictero* correpta, intra aliquot dies fato ceſſit. Aperto cadavere *hepar* ipſius repertum eſt magnitudinis inſolitæ, *pondere* æquantis circiter 12. *libr.* quod diſciſſum, durum, flavum, & hinc inde *calculis flavis* reſperſum oculis pateſcebat. Dum *ad veſiculam fellis* perventum eſſet, eadem humore bilioſo vacua, ſed loco ejus *flavis arenulis onuſta* deprehenſa eſt, inter quas eminebant *calculi duo rotundi, flavi, ſcabroſi, glandem ſclopeti ferè æquantes*: præter hos paulò minoris rotunditatis *calculus* meatum hepaticum ad *veſiculam felleam* tam arctè & ſcabroſè obſidebat, ut diſciſſo meatu difficulter erui poſſet. Ex hâc obſervatione colligitur.

1. Veſiculam felleam eſſe receptaculum humoris bilioſi.
2. Hepar continere materiam aptam pro humore bilioſo deponendo in veſiculam.
3. Si eandem deponere non poteſt ptopter obſtructionem veſiculæ felleæ, eandem collocare in ipſum Parenchyma hepatis tam diu, quàm diu illud eſt capax extenſionis.
4. Ubi non eſt amplius capax, tandem iterum in maſſam ſanguinis remit-

remittere, & in habitum corporis propellere, ut ex hoc caſu patet. Sequitur igitur ex his *bilem* ineſſe prius ſanguini quam in veſiculam felleam deponatur. *Vbi a. illa generetur*; an in hepate aut corde, aut primam ſuam originem accipiat in ventriculo, ubi eadem bilis ex veſiculâ per porum cholodochum ventriculo ſe inſinuans per modum fermenti ſe commiſcet cibis, chylificationemque adjuvat & tandem reliquo corpori communicatur, hoc dubium feliciſſimo aliorum Medicorum ingenio conſecro.

[*D. Dobrzensky è Praga Bohem. ad D. Sachſium.*]

OBSERVATIO CXXX. ANATOMICA.

D. JOANNIS JACOBI DOBRZENSKY

DE NIGROPONTE.

ANATOME CEREBRI BOVIS PETREFACTI.

HAc Hieme anno 1670. Diſcipulus olim meus, jam laureâ Doctorali redimitus Nobilis *D. Ioannes Wenceslaus Hain ab Heimfeld* Paduâ mihi perſcripſerat; habuiſſe Monachos Ordinis S. Benedicti ad S. Juſtinam *bovem*, quem utpote macello deſtinatum ſaginabant, at *Bos* objectam eſcam avidè devorans, nullatenus tamen pinguefieri potuit, unde reſolverunt eumdem occidere & indagare cauſam ejuſdem macilentiæ. Anatomiam ſpectantibus plurimis ſtudioſis exercuit *Præ Nobilis Clariſs. & Excell. Dn. D. Sebaſtianus Scarabiccius Patavinus Profeſſor.* Ubi igitur ventum eſt *ad cerebrum*, illud *totum inſtar ſaxi* repertum eſt. Obſtupeſcentibus omnibus, putarunt primò vi ingentis frigoris congelatum eſſe, unde poſito capite in catinum ad ignem aquâ ſuperfusâ, ſat longo tempore coxerunt, at finitâ cocturâ, ut prius cerebrum duriſſimum repererunt.

Nec extra cranium ullatenus extrahere potuerunt. Hæc eſt Hiſtoria. Naſcitur *dubium* imperceptibile, ſi cerebrum animalium functionum, motûs, & ſensûs eſt principium, & hoc quod petrefactum ſupponitur quomodo tamen influere potuit ad motum Bovi, ſenſum, & inde appetitum ad vorancum impertiendum. 2. Quare ſi his præditus fuit, non tamen impinguebatur? an per hoc verificabitur opinio affirmantium Nervos nutrire? His dubiis cum non ſim par reſpondendo, judicium aliorum ſuper illa expectabo. *Eandem hiſtoriam* mihi *retulit Paduâ Nobilis & Excellentiſſimus D. D. Joannes Baptiſt Moſt. Salisburgenſis* ibidem anno elapſo *Nationis Germanicæ Conſiliarius* & Univerſitatis Artiſtarum Pro-Syndicus, apud me nunc Praxi perdiſcendæ incumbens.

[*D. Dobrzenky è Praga Litt. ad D. Sachſium Uratiſlaviam.*]
Vide ſupra Obſervat. XXVI. de Eodem Bove.

OBSERVATIO CXXXI. PHYSICA.

D. PHILIPPI JACOBI SACHS à Levvenheimb.

AVRVM VEGETABILE.

SUperius *Obſervatione XVII. Aurum Chymicum* beneficio Artis productum, enarratum fuit, nunc *Aurum* extra viſcera Terræ *progerminans*, miro Naturæ conatu, in perfectiſſimo hoc corpore ſolertiam exercente ſingularem, ſubjungendum erit.

Tale *Aurum VEGETABILE, inſtar fili contorti è terra prognatum* aſſervat *Auguſtiſſimum S. Cæſ. Maj. Cimeliarchium* inter alia rariora Naturæ & Artis. Hoc *Aurum* obryrum à ruſtico quodam, in fluvio Tartza, prope pagum Tartza quatuor milliaribus à civitate Eperies in Superiore Hungaria diſtantem, inventum fuiſſe narravit S. Cæſ. Maj. *Theſaurarius Dn. D. Georg. Sebaſtianus Iung*, qui indultu Dn. Theſaurarii pro ſolitâ curioſâ diligentiâ, filum hoc ponderans, invenit pondere Unc. *ß.* dragm. ij. longitudine verò ferè Ulnam æquare. Mira ſane res, interdum *Metalla*, depoſitâ Naturâ metallicâ, *more vegetantium* ex Terræ gremio *exſurgerre*, & plantæ figurâ è terra progerminare. *Ex Ariſtot. de admirand.* refert *FORTVNIVS LICETVS, de ſpontan. Vivent. Oſtu. l. 4. c. 72. Aurum* defoſſum, aut in terram projectum, aliquando *excreviſſe*: necnon ex *Fulgoſio IDEM* narrat apud *Firmium*, Pannorſiæ Urbem, interdum *in vitibus capreolos* eſſe repertos verè *aureos* & monetam ex iis auream cuſam fuiſſe.

His addi poterunt *plura* alia ſequentia *Exempla. Petr. Martyr in Reb. Oceanicis Decad. 3. l. 8. p. m.* 296. narrat in Inſula *Hiſpaniolâ* Americæ Auri feraciſſima, in Montibus quibuſdam eſſe *Arbores* habentes vivam *Auri venam*, quacumque pateat iter, è radice per apertas molleſque ſcatebras ramos ad ſuperna ſupercilia montis emittere, neque unquam quieſcere, donec cæli auram aſſequantur. Formate ibi, viſo Aëris fulgore, bactras & grumos auri pro fructu, animadverterunt. Pariter *in Gallia* cum anno 1602. in *Lugdunenſi* territorio prope *Pagum de S. Martin la Plaine*, in vineâ cujuſdam ruſtici ditiſſimæ Auri mineræ inventæ eſſent, ex erutis particulis una auri hujus virginei, tam artificioſè *palmitem* exhibuit *aureum, gemmas protrudentem*, ut magnum hoc Naturæ miraculum Regi Henrico Magno cum ſtupore oblatum fuerit; uti hoc recenſet *Petr. Matthæus in Hiſtor. Gall. tomo 2. lib. 5. narrat. I. p. m. Edit. Gall.* 209. *Vites* quaſdam intra Danubium *in Mæni & Nicri tractu claviculas* quaſdam & plerumque candicantia folia ex *puro Auro* germinantia habere & ſimul coaleſcere, recenſet *Alex. ab Alexandro l. 4. Gen. Dier. c. 9. Gaudentius Merula in Coſmograph. l. 10. c. 27. Anton. Mi-*

zald. Cent. II. memorab. §. 1. *& Ioan. Bapt. Porta Phytogn. lib.* 2. *cap.* 6. Simile paucos ante annos *in vineis Germaniæ* circa *Dreſdam* ad Albim factum eſt, ubi vinitor ex vineæ cujuſdam fertiliſſimæ terra prominentem videns *funiculum*, illum lentè ad aliquot ulnarum longitudinem extraxit. donec diſrumperetur funiculus. Quod autem extraxerat, *Aurum obryzum* fuiſſe Lapis Lydius comprobavit, quod *Ampelograph. quoque Curioſæ lib.* 1. *c.* 5. *p.* 42. recenſui. In Hungariâ tamen, mineralibus feraciſſimâ terrâ, præprimis accidit. Conſpexit anno 1651. *Matthæus Held.* Princip. *Sigiſmundi Ragozi* Archiater in Arte *Batak* prope *Toccavium*, *in Botris acinos* compactis *auri* atomis ſplendentes Principi oblatos, quod ex *Tranſylvania* redux ore tenus poſtmodum retulit mihi hîc *Uratiſlaviæ.* Vidit *Ioan. Ioachim Becherus* in *Hungaria vitem ſupra auri venam* prognatam, cujus *truncus* non ſolùm totus *aureis* velut *filis* obvolutus fuit, ſed & in quibuſdam granis ſeu *acinis*, *auri obryzi granula* invenerunt, uti notat *in Metallurg. part.* 1. *cap.* 1. *pag.* 2. *D. Martin. Henric. de Franckenſtein Phyſicus Eperienſis*, Amicus dum viveret conjunctiſſimus, *Litteris* 1659. ex *Hungaria* ad me perſcriptis. Non ſolum teſtabatur ſemet poſſidere, non ſolum aliquos *acinos* circa *Toccavium* inventos, *Auri granis* imprægnatos, ſed & ſequentes *binas* euumeravit *Hiſtorias* fide dignas, quæ in Latinum ſermonem tranſlatæ ita ſonant. In *Hungaria* Nobilis quidam nomine *Walpataby* Vinitorem habuit, qui dum aliquando à labore laſſus, in vinea ſederet, forte conſpicit ex terra *exſurgentem materiam quandam flavam*, eandem dum amovere tentat, videt altius in terrâ radices egiſſe, & ſolo firmiſſimè adhærere; itaque cum ligone aliquoties perculit iſtam materiam, quæ tamen immobills permanet; donec tandem multo labore *dentem* quaſi *auream* (*cinen zimlichen Zahn*) extrahit, quam ubi Aurifabro monſtraſſet, audit optimum eſſe Aurum. Locum hunc vinitor probè obſervat, & dum rurſus eo devenit, *alium auri dentem* videt rurſus progerminaſſe, quem rurſus vi detruncat, & hunc laborem toties repetiit, donec ipſi cum *Nobili* & tandem cum Principe ipſo de jure poſſeſſionis hujus vineæ lis mota fuiſſet, quem proceſſum judicialem ibi locorum fuiſſe notiſſimum laudatus *D. Franckenſtein* atteſtatur.

Altera Hiſtoria talis eſt ab *Eodem* in dictis *Litteris* recenſita: Pauci præterierunt anni, ex quo ruſticus aratro terram vertens, aliquot *ulnas aurei fili* (*Soldnen Draht*) ex terrâ ſimul exrraxerit, unde dum Ligna in Urbem *Eperienſem* veheret, jugum Bobus hoc *funiculo* nectere voluit. Itaque dum cum Lignis prope Aurifabri ædes moraretur, & ille Aurum cognoſceret, quærit unde ruſticus hunc *funiculum* acquiſiviſſet? reſpondet ille, inter ſulcandum ex terrâ extractum fuiſſe, quod ſi Aurifabro placeret, non refragari quo filum hoc parvo pretio ſuciperet; quod & Aurifaber præſtitit, rogavitque ut impoſterum ſimilis farinæ fila apportaret, quod ruſticus quidem promiſit, vanâ tamen ſpe, cum enim non reverteretur, Aurifabrum eluſit. *Hactenus D. Franckeinſtein*, qui ſimul teſtatur *D. Procopium Bononum* Cæſ. Cameræ in Fodinis Regiis Hungariæ Archiatrum in edendo Libro *de Admi-*

randis Rebus Hungariæ plus quam ducentis Tabulis æneis aucto, plura talia exempla *Auri vegetabilis* allegaturum; vereor tamen cum poſt tot annos. mortuo etiam *D. Bonano*, nihil editum fuerit, ne rarus hic Liber, immerito ſuo, Poſteritatis maximo detrimento penitus intercidat,

Præter Vitem etiam etiam alias *Arbores metalliferas* enarrat *Ioan. Chryſoſt. MAGNENUS in Democrit. Rediv. pag.* 295. juxta Aurifodinas *in Monomotapa Auri ramentis* inſignes. *In Sileſia noſtra* paucis ab hinc annis, ad fines *Moraviæ*, circa *Oppaviam filum aureum cum propria radice* à ruſtico è terra progerminans inventum fuit non contemnendi ponderis, qui dum agros foderet, inter ſulcandum, ob duritiem quandam in terrâ repertam aratrum vertere coactus fuit, poſtmodum aliquoties ſimilia fila invenit, & Aurifabris divendidit, quale fruſtum ſe vidiſſe, ante aliquot annos narravit *Dn. Henricus Sturmius Medic. Oppotienſis*. Et tale *filum aureum in Sileſia* effoſſum poſſedit quoque *Generoſus Baro Vvenceſlaus de Reiſevviz Dominus in Tvvorckou & Graboffke*, mihique monſtravit, cum me ejuſdem ſanitatis reſtituendæ cauſa Anno 1669. menſe Martio *Uratiſlaviâ Ratiborium* uſque *in ſuperiorem Sileſiam* evocaſſet.

Quod de *Auro* dictum, id de *Argento* quoque alii referunt. Argentum in Mineris ſæpe præ ſe ferre ſpeciem capillorum narrat *Oſvvald. Grembs in Arbor. Homil. lib. 1. c. 7. ſ.* 5. §. 18. In Muſeo *Ferdinandi Imperati* Neapoli monſtratur *naturalis arbuſcula argentea*, quæ in minera argenti fuit effoſſa. *Franciſcus Imperatus in Diſcurſ. Nat. Diſc. 2. p.* 16. & *crux* illa *naturalis argentea*, quæ Dreſdæ monſtratur, *inſtar vegetabilis* ex minera aut rupe enata eſt, & infra eidem cum quibuſdam ramulis quaſi radicibus annexa eſt. *Dn. de Monconnys, tomo 2. Itiner. German. p.* 247.

Cauſam hujus *vegetationis in Metallis* Authores variè explicant. *Quidam* Capreolos iſtos metallicos eodem modo creviſſe putant, ut cornua cervis quibus nulla vita ſit. *Quod* ſi arboribus inſtar convolvuli adhæreat *aurum*, hoc accidere *auro* ob lentorem ac mollitiem facultatemque rigendi extra natale ſolum: *fieri quoque* poſſe ex natali mollicie ab anguſtia loci, materiam vi pulſam è terræ finibus contorquente: *denique* vites & arbores per radices ſuas attraxiſſe humorem metallicum, in quo humore fuerit auri prius geniti aliqua portiuncula, metallorum enim generationis materiam eſſe humorem fluidum, adeoque facilè obſequentem. *Athanaſ. Kircher.* verò *in de Magnete lib. 3. pag. 5. cap. 3. pag.* 631. in ea eſt ſententia, ſi plantæ naturalem inclinationem ad metallica loca habuerint, naturam ejus metalli, ſupra quòd creverint, aſſumere, cum nutrimentum ex vapore metallico expirans, tamquam ſibi conveniens naturali quodam appetitu in corpus ſuum attractum derivent. Tandem *Ioann. FABER Lynceus* cum *in Not. ad Hiſt. Mexican. f.* 573. enarraſſet dari *Zoophyta ſeu Plantanimalia*, quæ inter Bruta perfecta & Plantas ſe interponant, ſic refert *Illuſtriſſ. Principem Cæſium* primum inveniſſe & obſervaſſe *Mediam Naturam inter Plantas & mineralia*, qui ex profeſſo de his acturus ſit in Libris de

METALLOPHYTIS à ſe cognominatis, quorum ſpecimen & ſpecies diverſas ad Illuſtriſſ. Principem Franciſcum Cardinalem BARBERINUM Aquâ Spartâ Romam tranſmiſerit.

OBSERVATIO CXXXII. PATHOLOGICA.

D. CHRISTIANI NITSCHKE.

LAC EX VENA SECTA EDVCTVM.

SUperius Obſ. 28. *Exempla* adducta fuerunt, *&* *Pituitam*, *&* *Chylum*, *&* *Lac ex vena ſecta eductum* fuiſſe: nunc *recens Exemplum* addendum ex *Diſputatione Inaugurali*, quam pro ſummo in Medicina Doctoratus Gradu ſub Præſidio, *Magnif. & Exc. Viri Dn. D. Michaëlis Sennerti p. t. Rectoris Academiæ, & Fac. Med. Decani* habuit *Dn. Chriſtianus Nitſchke Forſtâ Luſatus Vvittembergæ* hoc ipſo 1670. *anno*, menſe Januarii. *Hiſtoria talis eſt:* Uxor Sutoris in Epiſcopatu Vvarmienſi, quæ filiam pepererat, male ſana, & ante partum diu febricitans, cum ſupprimerentur ei Lochia, & febris urgeret, *miſſus eſt Sanguis è pede dextro*, & protinus *exivit Lac ex Venâ ſectâ*. Dubitatum eſt de pituitoſa aut chyloſa materia, ſed *verum lac eſſe* prodidit butyroſa ſubſtantia & hædinum coagulum injectum. Curata quidem à non nullo, poſt aliquot tamen dies mortua eſt.

SCHOLION.

Scopus præfatæ Diſputationis in eo conſiſtit, ut Author demonſtret, *materiam albam* è vena pedis emiſſam, fuiſſe *Lac*, non Chylum nec Pituitam; & ut methodum tradat, quâ Ægra tam ante quam poſt Partum curari vel potuiſſet vel debuiſſet.

Ut obtineat, Liquorem illum fuiſſe *Lac*, ſequentia Author adducit *Argumenta*.

I. Quod veriſimile non ſit Sanguinem Pituitoſum, modo in Hiſtoria dicto, coagulari poſſe.

II. *Quod obſevetur* Sanguinem in valde Pituitoſis, Virginibus puta, & Pueris, ex venis extremarum partium eductum albicantem & crudum, brevi in aqua calente condenſari inſtar Albuminis, qui cum ſponte ſic ſuâ cogatur, indigus haud ſit artificii coaguli.

III. *Sanguinem* Pituitoſum nunquam prodire, quin aliquam Rubedinem (rudimentum caloris & ſpiritus) Sanguini propriam oſtendat, ut paulo poſt diſparituram.

IV. *Quantumvis* verò admittat ſubſtantiam Chyloſam facilè à Ventriculo per venas lacteas, & ductus noviter inventos, poſſe in Venam Cavam ferri, ibidemque cum propter inſignem virium defectum concoqui vix queat, reliquo ſanguini ſupernatare ac per venam ſectam profluere: Attamen dubium obſtare dicit, an ſi Materia illa Alba, è Vena educta, Chylus dicenda eſſet, is appoſito hædino coagulo, more lactis, cogi poſſit? quod ſtatuere perdifficile putat, niſi ἀυτοψία idem confirmet.

V. *Pro Lacte* probabile argumentum petit à ſtatu Ægræ, quæ enixa fuit: quando apud alias ejuſdem conditionis, ſi lac exuberat, non ſemel deprehenſum eſt, ut illud per Seceſſum, Veſicam aut Uterum excernant, teſtantibus id Obſtetricibus & *Laurentio l. 2. Anat.* Q. 10.

VI. Modum & Vias ſic deſcribit: Lac, *inquit*, ex Mammis, propter glandularum imbecillitatem & Retentricis jacturam, poſt Sanguinem rapitur, nec tamen cum ipſo uniri poteſt, ob defectum fermenti ad Lactis perfectionem idonei (h. e. uti paulo ante rem declaraverat, ob defectum medii ſpecifici, quale requiritur ad commixtionem intimam oleoſorum cum aquoſis liquoribus, qualeque ovi vitellum eſt;) & ſic in circulum cum Sanguine actum Lac, facilè è V. S. educi potuit.

VII. Confirmat *Lac* in aliis quoque è Saphæna eductum, & in animalibus in venis repertum, Exemplis *è Bartholino & Highmoro* mutuatis. *Tandem* butyroſam ſubſtantiam liquoris, à ſero & caſeoſa ſubſtantia facilè ſegregabilem, omnem omnino dubitationis rationem dicit evincere. Ut vero tanto magis hoc aſſertum fulciret, non præter rationem eſſe exiſtimat, *de Sanguine ſic ſtatuere.* Vid. procedere ejus generationem per gradus, & ex tenuiore chylo fieri ſemper lac, vel ſaltem recipere illum rudimentum Lactis, etiam extra mammas, in quibuſcumque venis; ex ipſo per ulteriorem caloris gradum, fieri Sanguinem, & ex utriuſque efflorеſcentia, ſive cremore, ſeminale principium, per totum Sanguinem diſperſum: ut ſic in Sanguine, non ſecus ac in Lacte, tres ſubſtantiæ ſegregatæ inveniantur, quamvis purpureâ tincturâ veſtitæ, *Lactea* nimirum, quæ Sero; *Sanguinea* quæ Caſeo; & *Seminalis* quæ Butyro reſpondeat; adeoque ſic in Sanguine per totum corpus diffuſo & in ejus ſpiritu inſito, tanquam in vitali principio, adſit ſemper facultas, *Lac, Sanguinem & Semen* conficiendi per ſolos gradus caloris, continua circulatione excitatos & conſervatos, abſque nova aut Generatione aut Corruptione formarum ſubſtantialium.

His præſuppoſitis non mirum quidem eſſe ſtatuit, *in quacumque vena corporis Lac* inveniri, & ex eâ ſectâ prodire poſſe, quod propter caloris innati & ſpiritus inſiti defectum non potuit tingi: Fieri tamen aptiùs Lac in Mammis, Sanguinem in Corde & ſubclaviis prope Cor ex chylo paulo craſſiore lacteam naturam jam referente, & in iis recipere illum primum rudimentum Tincturæ, donec ſenſim uſque ad ſiniſtrum ventriculum Cordis in purpureum ultro perficiatur: & hinc habere Pulmones multò magis albicantem tincturam, quam reliquæ carnes habeant, quia Sanguine diluto & quaſi lacteſcente nutriantur. Plura, & quæ in primis ad Curationem ſpectant, ex ipſa Diſputatione petantar.

OBSERVATIO CXXXIII. THERAPEUT.

D. DAVIDIS SPILEMBERGERI.

CANTHARIDES INNOXIE SUMPTÆ.

IN *Superiore Hungaria*, ultra fluxium *Tibiſcum* ſæpiſſimè *Hungari* novo laborant morbo: ſubito ipſis intumeſcit collum, poſt ingens ſuccedit calor in capite, tandem in totum corpus tranſiens; ii qui non ſtatim remedium adhibent intra 4. dies pereunt, morbus ipſe ad ſpeciem hydrophobiæ accedit. Curam tali modo inſtituunt: Aſſumunt pro una vice *Antharid.* pulveriſ. n. X. is pulvis epotus ipſis interdum largum ſudorem, interdum copioſum urinæ fluxum excitat, *citra ullum tamen dolorem.* Hoc remedium in Germanis & aliis Nationibus vix eſſet imitandum; Hungari vero Ultra-Tibiſcani duriſſimæ & ſolidæ ſunt naturæ; putant ii *ſi integræ* ſumantur *cantharides*, *abſque noxa* fieri id poſſe, quod *pedes cantharidum* corporis venenoſi antidotum ſint. *D. Spilemberg. Litt. e Leutſchov. ad D. Sachſium.*

SCHOLION.

Cantharides, vulgo Muſcæ Hiſpanicæ dictæ, hactenus apud Practicos male audiverunt, quod *intrà* aſſumptæ facilè urinas cruentas, dolores atrociſſimos ventriculi, ventris, renum & totius corporis excitaverint. *V. Lang. l. 1. epiſt. 47. & Hildan. cent. 6. obſ. 99.* imo ſaltem *externe* copioſè applicatæ eadem attulerint ſymptomata. *Hildan. l. a. obſ. 98.* Ad hydropem tamen eaſdem commendat *Zacut. l. 2. Hiſt. Med. dub. 67.* in Peſſo ad expurgandum album fluxum. *Hippor. de ſuperfœt. Ed. Lind. t. 22. p. 660. c. 23.* ad Iſchuriam cum ol. amygd. d. *Zacut. D. Impr. Adm. obſc. 32. In infuſo* tutius exhiberi, quam in pulvere, cenſet *G. Hier. Vvelſch. ſchol. in obſ. 89. Rumlero p. 53.* In *Gonorrhæa* præprimis *virulenta.* Practicum quendam Lugduni Batavorum, ſolis *cantharidibus* multos feliciter curaſſe, quæ in vino fuerint maceratæ, addendo adhuc aliam infuſionem temperatam, refert *Matth. Jacobus Matthiades apud Barthol. cent. 4. Ep. 53. p. 343.* Sic communicavit mihi ante aliquot annos ex India Orientali redux Chirurgus noſter *Joan. Georg. Hanhke Uratiſlav.* methodum curandæ Gonorrhæ in Provincia Dunquien admodum familiarem: ſumunt flor. hyperic, m. j. ocul. 69. Unic. *ß.* coq. in 2. pint. vini è cado exſtillantis (*troff oder Lectvvein*) poſt ſumunt *Antharid.* dragm. ij. in pinta una ſpiritus vini digerunt, poſt commiſcent cum vino & parum de hac miſtura internè exhibent cum aliquot cochlear. aq. plantag. Pariter *Cantharides* in Lotii ſuppreſſione & *Gonorrhæa* virulenta laudat *D. Jacob. Fr. Kozhæ* Medicus apud *Barthol. cent. 5. hiſt. 82. p. 461.* ſi in ſpiritus vini infuſ. digerantur & per chartam bibulam filtrentur, ne quid de ipſa ſubſtantia ſimul tranſeat. Præprimis obſervanda eſt *cautela de uſu Cantharidum*, quem adducit Exc. *Barthol. cent.* 4. *epiſt.* 54. *p.* 346. Infuſum, *inquit*, *Cantharidum* in gonorrhæa virulenta & iſchuria non ſemel cum felici ſucceſſu expertus ſum. Notandum vero, *ne noceant Cantharides* (*pro interno uſu*) *integras eſſe ſumendas*, quia extrema quæ reſecantur, ſunt alexipharmacum ventris. *Gal. l.* 2. *de Antid. c.* 7. *ſi externè*, & ubi veſicis exulceranda cutis, tunc extrema abjicienda, in quibus benignior facultas latet, & hæ ſervandæ ſunt pro infuſo vias urinæ expurgaturo, quod infuſum legitimo modo miſtum, nunquam vidi vel cruciatum vel veſicæ exulcerationem provocaſſe, ut nec pinguioribus abſtergentibus opus fuerit.

Cum puer per malitiam 12. *cantharides* devoraſſet, curatus fuit & mortem evadere viſus eſt quod integras eas devoraverit, non vero in pulverem reductas. *Hildan. c.* 6. *obſ.* 99. qui quoque *obſ.* 98. eam ponit *cautelam*, ut cantharides nunquam pondere, ſed numero præſcribantur, adeo leves etenim eſſe, ut earum 50. vix dragm. j. ponderent.

Solent alias *cantharides* pulchro colorum lenocinio eſſe ſpectabiles, quales *Lipſiæ* cum *Muſæo* Rariorum Naturalium tranſiens Gallus *Dn. de* FORGES anno M.DC.LII. mihi monſtrabat ex quatuor mundi partibus collectas, ubi recordor Africanas pulchritudine reliquis palmam præripuiſſe. Et laudat *Dn. de Monconnys in Itiner. Germ. t.* 2. *p.* 3. *Cantharides*, quas Uliſſingæ viderit in Muſeo *Dn. Delcorné* ciſtulis aſſervatos unà cum muſcis variis, papilionibus, & aliis inſectis auratis.

[*D. Philip. Iac. Sachs à Levvenh.*]

OBSERVATIO CXXXIV. PHYSICA.

D. JULII GUILLELMI MANNAGETTÆ exhibita à D. Georg. Sebaſtiano JUNG.

MIRA ANTIPATHIA AD MVSICAM.

MAgnif. & Excell. Dn. *Iul. Guil. Mannagetta*, trium Imperatorum Medicus, in cujus convictu per pluſculos annos vixit *D. Georg. Sebaſtian. Iung*, ſæpius recenſuit miram hanc *Antipathiam ad Muſicam*; ſe noviſſe Illuſtrem quendam Dominum, qui ad *Lyræ*, inſtrumenti illius Muſici plebeii *ſonum*, ſtatim *urinam* emittere coactus fuerit, quoties *Lyram* audivit ſonare, nec ulla etiam vi retinere potuiſſe.

[*D. Iungius* Litt. *e Vienn. ad D. Sachſium.*]

SCHOLION.

Ut hic ad *Lyræ* ſonum *incontinentiam Vrinæ* ſenſit, ſic puellam nobilem memorat *Henr. ab Heer obſ.* 29. *p.* 253. Namurci viventem, quæ quties campanæ ſonum audiverit, ſtatim anima linqui viſa fuerit. *Et Scalig. Exerc.* 344. §. 6. narrat ſimilem *jocoſam ſympathiam* de Regulo Vaſcone equite, qui dum viveret, *audito phormingis ſono*, (*phorminx* vero idem inſtrumentum eſt cum teſtudine, *Scalig. ex.* 302. §. 7.) *urinam illico facere* coactus fuerit: unde è turma quidam, quem levis ac civilis joci offenſicula aſperſiſſet, ridiculam illi paravit ultionem: pone diſcumbentem adduxit cœcum quendam cum *phorminge*, cujus, ut ſolebat, ſono permotus, ibi ſub menſam inter clariſſimorum virorum & convivarum pedes quin *meieret* continere ſe non potuit. Dubium vero oritur *an Urinæ incontinentiam* excitaverit Muſica humores movendo, ut fit in Tarentatis quando Muſicæ vi ſanantur; *an vi* imaginationis matri olim impreſſæ, *an* ob recordationem quod antea ob hanc Muſicæ ſpeciem hoc ſymptomate correptus fuerit. Nam novit *Fr.* VALLESIUS *l.* 4. *Controv. c.* 6. *f.* 198. puerum, qui quam primum mictus recordabatur, non ſe potuit continere quin mingeret. *An* quod inſtrumentum ejuſque ſonus ſingulari antipathia ipſius nervis inimica, motum quaſi convulſivum excitaverit, & paralyſim particularem momentaneamque nervos orificii veſicæ relaxantem? Eadem ratione ſolo *aſpectu carnis ſuillæ riſum Sardoum* & quaſi convulſivum in quodam excitatum fuiſſe, ſubſequens teſtabitur Hiſtoria, quam pronuper *Pragâ* communicavit Litteris *Dn. Adamus Rudolphus Franciſcus Franck. J. U. Doctorandus* ſeq. verbis. Dum anno 1666. 5. Nov. *in Lubenſi Ciſtercienſium* cœnobio *in Sileſia* degerem, inter alios cum ejuſdem Monaſterii Profeſſis diſcurſus utrinque miſtos incidit & ſequens. Narravit *P. Franciſcus Rabe* in oppidulo quopiam *Vvielcke* nominato, 8. circiter milliaribus à præfato Monaſterio diſſito, eſſe Curatum nomine *Ioannem Keller*, qui tam mirâ teneatur phantaſia, ut quandocumque *globuli ex farina conglomerati cum carne ſuilla* fumata (qui cibus illis incolis admodum frequens & gratus) menſæ apponerentur, *in tam immodicos ſolvatur cachinnos*, ut ni ſtatim cibus prædictus è menſâ rurſus auferatur, cum riſu unà animam exhalaret. *Hæc ille.*

De ſervo ſuo retulit *Ill. Boyleus D. Borrichio* cum eſſet in Anglia, quod ille quoties cote cultros acuat, ob ingratum illum in aëre ſtridorem cruentare gingivas, & ſanguinem inde profundere ſentiat, narrante *Porrichio* apud *Bartholin. cent.* 4. *ep.* 92. *p.* 523.

[*D. Phil. Iac. Sachs à Levvenh.*]

OBSERVATIO CXXXV. PHYSICA.

D. GEORG. SEBASTIANI JUNGI.

SINGULARIS ANTIPATHIA A NÆVIS maternis.

Mira interdum datur Hominum erga res varias *Antipathia.* Scio eximium quendam Medicum mihi valde notum, qui *Gammaros* coctos in menſâ ſine magna anxietate ac perturbatione ferre ac tolerare nequit. Retulit perſona quædam fide digna de puella quâdam, quæ nec *braſſicam capitatam* integram coctam, nec *caput vitulinum* coctum aſpicere valebat, ita quidem, ut ſi ad id vi cogeretur (coquam enim agebat) in animi deliquium ac ſyncopen incideret. Cujus rei cauſa cum altius inquireretur, puella hæc in hypochondriis *Binos Nævos maternos* oſtendit, quorum dexter *caput vitulinum*, ſiniſter vero *braſſicam capitatam* unà cum foliorum venulis exactè referebat. *D. Iungius Litt. Vienna ad D. Sachſ. datis.*

SCHOLION.

Innumera hîc *Idioſyncraſiæ* mirandæ & *Antipathiæ* recenſeri poſſent exempla, niſi in *Gammarol. Curioſ. l.* 2. *ſ.* 1. *c.* 4. pluribus adduxiſſem *Antipathiam* quorumdam Individuorum *cum* certis *medicamentis. ib. p.* 583. cum *alimentis* circa guſtum & eſum carnis *p.* 584. *circa eſum volatilium, piſcium p.* 585. *circa ova, olera, fructus p.* 586. *circa butyrum & caſeum p.* 587. *circa viſos mures, vitulum, feles. p.* 589. 590. 591. *circa varias res inanimatas. p.* 592. *& ſeq.* His addi poterit præfectus Noſocomii Eslingenſis, qui ex *fragorum* ſolo odore in animi deliquium incidit, & alia virgo quæ ab eorum eſu Epileptica facta eſt, recenſente *Ioh. Ulrico Rumlero Obſ.* 69. ubi *D. G. Hier. Vvelſchius in Schol.* promittit plurima Exempla ſimilis farinæ ſe cumulaturum ad *Indicem Morony-Medicum* propediem recudendum. Rarum recenſet Exemplum *Ioan. FABER Lynceus in Not. ad Hiſt. Mexic. f.* 541. de fœmina Romana, quæ adeo *à caſei* odore abhorruit, ut ſi cultro quo ſectus fuiſſet caſeus, panem inſcia diviſiſſet, in Lipothymiam fermè incidiſſet; ea *gravida tamen ubi facta* bis, terve, adeo caſei odore oblectabatur, ut abſentem etiam, velut præſens, ſemper odoraretur, & quod mirum magis, avidiſſimè ſemel atque iterum eundem comederet.

Mirum etiam *Matris Imaginationem* tantam vim poſſidere, ut *Stigmata*, & *Nævos* tanquam Notas Infantibus imprimat. De hac ita philoſophatur *Kircher. in Art. Magn. de Luc. & Vmbr. l.* 10. *p.* 2. *c.* 2. *f.* 805. *Imaginatio* eſt vis quædam in organo corporeo, unde ad ſpeciem imaginatam mutatur ſpiritus corporeus, in quo vis formativa formatur, quæ operatur in ſemine;

ideo ſubinde mutatio fit in prole propter imaginationem parentis. Tanta certè vis eſt ſpiritus plaſtici, ut ex vehementi imaginatione mirabiles producantur formæ: hinc tot *ſtigmata*, *nævi & characteriſmi* fructuum, vini rubri, carnium, animalium in fœtu impreſſa reſultant. Quædam ſi in faciem vel in ſinum prægnantis, vel ceraſum, vel fragum, vel vinum projiciant, vel infundant, & mulier gravida ægrè id tulerit, tunc rei nota in fœtu impreſſa depictaque ſpectabitur. Idem accidit ſi felis aut mus inopinatò in mulierem gravidam inſilierit, confeſtim namque nota fœtui imprimetur, rei ſpecie radiante per phantaſiam; ſpirituumque ope in locum fœtus tactui correſpondentem devecta, niſi forſan mulier membrum ab animali contactum illicò manu abſtergat, eandemque manum alteri corporis parti abditæ admoverit: Et ut *Idem Kircher. f.* 806. *l. a* ait: Pictrix phantaſia eſt in Nævis producendis, penicillus eſt ſpiritus corporeus; colores, ſpecies ex phantaſia radiantes: tela, corpus infantis tenerum: prototypon corporis infantilis corpus maternum, cujus partes cum partibus infantis ſingularem habent conſenſum.

Quomodo *prægnans Gammarum* attentius aſpiciens *in Sileſia* puellam cum pedibus quaſi chelis cancrinis anno 1665. Lorzendorffi ediderit, *in Gammaroll. l.* 2. *ſ.* 1. *c.* 4. §. 14. recenſui; illamque ære depictam exhibui. Cum *Gravidæ rana* in bubone eſſet appoſita, illa puellam genuit, cujus digitus *ranam* repræſentavit. *Salmuth. c.* 1. *obſ.* 95. & alia à fele perterrefacta habuit filiam, cui loco manus abſentis felis pes anterior viſus fuit. *Id. cent.* 2. *obſ.* 15. Varias figuras fœtibus à Matre impreſſas narrat *Borell. cent.* 3. *obſ.* 49. Sic GAFFARELL. *Rer. Inaudit. part.* 2. *c.* 5. §. 12. *p.* 105. de ſorore ſua refert; quæ *figuram piſcis in Tibia* geſſit tam affabrè effictam, ut pictorem accuratiſſimum Natura præſtiterit: matrem namque geſtationis tempore piſcibus admodum fuiſſe delectatam, gnatam vero, cui hæc effigies impreſſa, nunquam piſcem comedere potuiſſe, niſi ſimul in Tibia acutiſſimum ſenſiſſet dolorem.

Hiſce *Exemplis* adhuc *quatuor* minus trita ſubjungere placet *de miris effectibus Phantaſiæ in gravidis.*

1. *Petr. à Caſtro in obſ. Med.* MSS. §. 62. refert de uxore Luſitani cujuſdam, quæ cum videret fratrem ictu ſauciatum & cruore perfuſum, manum Utero gerens faciei adhibuit, & enixa eſt filiam *maculam ſanguinis in facie gerentem*, curatam tamen ab hac macula cùm puer poſthumus in ipſammet infantem per triduum tempore matutino anhelitum tacens efflaſſet.

2. *Th. Bartholin. cent.* 3. *epiſt.* 40. de duabus fœminis Hafnenſibus narrat, quòd poſt obſidionem Urbis, eo quod crebris tormentorum bombis auditis & globis ignitis volitantibus viſis fuerant perterritæ, *ſtigmatibus* notatos infantes, *cum tuberculis* protuberantibus quaſi globis pepererint.

3. *Theod. Kerckringius in* Spicileg. *Anat. obſ.* 64. *p.* 129. miram hanc notat hiſtoriam de muliere gravida 7. menſe. Illius filia 3. annorum in caput decidit; Chirurgus accerſitus narrat gravidæ, huic filiæ ex caſu os occipitis

fractum fuiſſe : mater hoc nuntio quaſi ictu perculſa poſt 8. dies infantem edit vitâ & *toto occipitis oſſe carentem*, illius autem loco pelliculæ dilaceratæ & divulſæ ab invicem. Arduum itaque rationem reddere quâ vi phantaſiæ fœtui os hoc quoque confractum fuerit & abreptum.

4. *Idem* denique *Kerckringius obſ.* 87. *p.* 169. de alia gravida narrat; quòd ira percita menſes ſtatim ſenſit fluentes, qui ſingulis menſibus fluxerunt, quindecim vero ante partum diebus abſque intermiſſione fluxerunt: peperit tandem puellam, cui, inaudito exemplo, ipſo nativitatis die uſque ad 15. dies menſes fluere viſi ſunt, dein ſuppreſſi redierunt poſt exactum menſem, & poſt alterum iterum, poſt tertium iis correpta menſe Octobri 1668. Amſtelodami Epileptica puella mortua eſt.

[*D. Phil. Iacob. Sachs à Levvenh*]

OBSERVATIO CXXXVI. PHYSICA.

D. JOACHIMI GEORGII ELSNERI.

DE NATVRA ET PRÆPARATIONE SPERMAtis ceti.

QUi nomen Spermati Ceti impoſuit, multis impoſuit. Plurimi enim fuêre exinde in ea opinione, illud revera eſſe Semen Balænæ, ſeducti nempe nomine. Alii videntes ſubſtantiam illius nullam communionem habere cum ſpermate, cum Schrodero putarunt nil eſſe niſi pinguedinem ab exhalationibus ſulphureis è terra originem trahentem, quæ à Sale marino, fluctuum agitatione coagularetur. *Geſnerus in Corollar. ad Tract. Valer. Cord. de Sperm. Cet. p.* 30. rem marinam quidem eſſe putat, ſed non ſperma, aliquid tamen ſimile, vel potius adipem animalium in mari degentium quorumdam, ut cetaceorum piſcium aut belluarum maris, quarum ingens eſt Corporis moles, & adipis multum continet. Graſſantur autem illæ inter ſeſe, & cædes mutuas exercent: unde plurimum adipis in ſummum maris evehi, veriſimile eſſe *citatus* Author putat. Quam ſententiam non planè de nihilo eſſe putamus, neque Sperma Ceti omne naturale rejicimus, quanquam in præſenti demonſtrabimus noſtrum Sperma Ceti, quod hodierno die in noſtris Pharmocopæis habemus, merè factitium & compoſitum eſſe.

Quemadmodum enim aurea pecuniæ fames nonnullos, Simplicium præprimis mercatores, ſeduxit, ut contra conſcientiam falſificaverint Simplicia lucri gratia, ſic quoque alii modum præparandi Sperma Ceti ſummo in ſecreto habuere, quia illud magno pretio vendidere, metuentes ſi ſecretum manifeſtarent, multum lucri ipſorum ærario diſceſſurum. Quorum in gratiam præſentia non addam, quia forſan ipſis non placebunt, aliis tamen, qui adhuc dubioſi ſunt circa naturam Spermatis Ceti, iſta non ingrata fore ſpero. Sciant itaque Sperma Ceti factitium, duplex eſſe: unum quod præparatur ex cerebro Balænæ, alterum ex pinguedine ejuſdem, quam cognitionem Hollandia mihi dedit. Ne autem credas vanum eſſe meum aſſertum, Epiſtolam addam quam ex communicatione Dn. Verny Pharmacopæi Monſpelienſis jurati, & eruditiſſimi teneo, quam ab Amico ex Inſula S. Joann. de Luca habuit. cujus verſio ex lingua Gallica hujus tenoris eſt. Cauſa quod T. C. non citius ſcripſi, fuit quod incognita adhuc mihi erat vera natura Spermatis Ceti. Nam poſtquam diſceſſi Hiſpania & redii in Inſulam S. Ioan. de Luca, inde Bayonæ ubi in abundantia capiuntur Balænæ, faciebam exactam inquiſitionem, unde Sperma illud deſumeretur, & prepararetur; Intellexi illud eſſe deſumptum ex cerebro Ceti maſculi, cum fæmina nullum prorſus habeat, ſed ejus loco quaſi pinguedinem liquidam alat, ex qua oleum conficitur in uſum lucernarum, ex ſubſtantia autem Cerebri maris oleum reddi non poſſit, ſed inde fieri ſuprà nominatum Sperma. Modum autem præparandi non percipere potui, quod licet rogaverim D. Verdier, Mercatorem Simplicium in Bayona, qui mares balænarum, ubi capiuntur, aliàs emere ſolet, ut mihi aperiret modum præparandi, id tamen nulla ratione nulliſve precibus impetrare potui.

Quod aſſertum maximè confirmatum poſtea legi in Commentario aureo *Iacobi & Pauli Contant ſupra Dioſcoridem l. 1. cap. 51. p. 63.* Cujus communicatio omnem abſolvit paginam, non enim Spermatis Ceti naturam, ſed & ſecretum illud præparandi in lingua Gallica communicavit, cujus verba, aſt Latina, addam, quæ ſequentia ſunt.

Dum occupatus eram in inquiſitione Spermatis Ceti, dubitans illud non verum eſſe ſemen Balænæ, meam ſuſpicionem litteris confirmavit Paulus Moriſſau Pharmacopæus Rupellenſis, Simplicium, & imprimis exoticorum experientiſſimus, cujus litterarum ſpeciem tibi in præſenti communicabo, per quas in veram cognitionem tranſibis, cujus indolis Sperma dictum ſit. Scias igitur me didiciſſe ex incolis loci, eos ſæpè vidiſſe Animal, cui extrahitur id, quod falsò Spermatis Ceti nomine venit, nec eſſe aliud quam ex Balænarum genere marem, qui in Bayona, Byaris, & in inſula ſancti Joannis de Luca, & in locis ubi capitur, Cachalut, latinè Orca dicitur. Hoc animal longitudine 25. pedes adæquat, altitudine vero 12. eſt, mandibulæ vero præter propter 10. pedum, aſtas armatum gravibus dentibus pondere plus minus unius libræ, ex quibus capula cultrorum elaborantur. Quod ad partem attinet, ex qua præparatur *Sperma*, ſed falſo nomine, eſt in capite, & nihil aliud eſt in veritate quam *Cerebrum* iſtius *piſcis.*

Nam ſæpius propria experientia edoctus in liquefactione inveni tenues membranulas, quibus aliàs naturaliter involutum cerebrum tenetur, quæ mixtæ erant iſti pinguedini, ut melius maſſa complicata & convoluta maneret. Modus procedendi, per quem Cerebrum purificatur ut albeſcat & ſquammoſum fiat, hic eſt. Poſtquam fuſum eſt cerebrum, infunditur in ollam, in quâ aliàs ſolet purificari Saccharum, poſtea clauſo foramine inferiore tamdiu relinquitur donec congeleſcat, vel concreſcat: relinquendum autem eſt in loco modicè calido; tandem aperienda olla in loco inferiori, ſic iſtud opus purificatur, & ſpatio aliquot dierum invenietur maſſa iſtius cerebri tota albicans & ſquammarum inſtar, & hoc eſt quod vidi, & intellexi circa hanc præparationem. *Illud* vero, quod Septentrionales *Sperma Balænæ* appellant, eſt certa quædam *pinguedo*, quam colligunt in certis locis de *Balænis mortuis* & ejectis, quæ pinguedo poſtquam purificata eſt & præparata cum omphacio, exprimitur per prælum, unde reſtat albicans, ſquammoſa & levis, imitans odorem marinum, quæ materia poſtea Aloſanthos vocatur.

Quod ultimum aſſertum quoque *Geſnerus in loc. ſupracitat. p.* 31. probat. Sunt (inquit) qui adipem cujuſvis Ceti vaſe exceptum, in cella frigida deponunt, deinde prælo exprimunt, ut pars tenuior effluat: qnæ inſtar olei eſt, & iiſdem viribus, quibus pars craſſior quæ remanet, licet tenuiorum partium. Craſſiorem pro genitura Ceti vendunt, cujus vim quidem repræſentat, ſed ignavius.

ANNOTATIONES.

1. Notandum quod non ſolum ex cerebro Balænæ poſſeſſores hujus ſecreti præparent dictum Sperma Ceti, ſed omne cerebrum Magnorum piſcium aptum eſſe ad hanc materiam conficiendam.
2. Oleum, quod exprimitur in præparatione, majorum virium eſſe quam Sperma Ceti, in quo inter alias virtutes benigna ipſius vis anodyna excellit.
3. Ut tibi B. L. omni ex parte ſatisfaciam, neque longitudine tibi tædioſus ſim, alia tacendo ſolum addo adduc duas Relationes ex Tranſactionibus Philoſophicis Anglicanis in Latinum verſas.

I.

Ex Excerptis ex litteris Dn. Richardi Norvvord 8. *Ian.* 1667.
ex Bermudis datis, *tomo* 2. *n.* 30. *p.* 567.

Non audio inveniſſe illos ullum Sperma Ceti, in unico horum Ceto; verum audivi ex fide dignis perſonis, quod quidam eorum habent Sperma in Eleutheriis, & turſus in Bahama Inſulis (ubi ſæpè etiam invenitur quantitas Ambræ gryſeæ) & quod hi habent magnos dentes (quos noſtri non habent) & ſunt valdè nervoſi. Quidam incola hujus tractus (Joannes Perinchief) inveniebat unum mortuum, ejectum ad Inſulam, &, licet, uti mihi videtur, ignorans artis, magnam tamen quantitatem Spermatis Ceti inde conficiebat. Videtur quod non plus Olei habent quam noſtri; ſed hoc Oleum, ut audio, ab initio ſimile eſt Spermati Ceti, ſed purificant credo ad ignem. Quando cum eo loquar, curabo melius informari.

I I.

Ex Excerptis ex Litteris ſcriptis ex Bermudis per Dn. Richardum Staffort. tomo 3. *n.* 40. *pag.* 792.

Habemus hic bene multos piſces, inter hos magna eſt multitudo Cetorum, qui menſe Martio, Aprili & Maio utuntur noſtro tractu. Ipſemet ſæpè plurimos necavi. Eorum fæmellæ abundant lacte, quod ipſarum catuli ex mammis ſugunt, quæ protuberant juxta umbilicum. Nullos habent dentes, verum veſcuntur muſco; degunt in ſcopulorum profunditatibus, ibi perdurant hoſce tres menſes, & non alia tempeſtate anni. Quando hoc tempus elapſum eſt, Ceti etiam elabuntur. Occidimus ipſos propter oleum. Sed hic fuerunt Ceti habentes Sperma Ceti, ejecti in littus: quod Sperma (ſicut vocatur) omne ventri ipſorum adhæret. Hi habent diverſos dentes, qui ejus craſſitiei ſunt, cujus carpus manus humanæ, & ſpero proxima occaſione me tranſmiſſurum tibi unum ex his dentibus. Fui in Inſula Bahama & ibi reperti ſunt Ceti ejuſdem generis mortui in littore, cum Spermate ſuper toto ipſorum ventre. Mihimetipſi, cum viginti circiter aliis, placuit tentare, an poſſemus ſuperare & occidere eos, ſed numquam audivi de aliquo hujus generis, qui fuerit occiſus ab ullo homine; tanta eſt ipſum feritas & celeritas. Unus talis Cetus væniret pretio plurium centenarum librarum Anglicarum. Sunt robuſtiſſimi & inſtructi nervis per totum Corpus, qui extracti 30. fila longi ſunt.

OBSERVATIO. CXXXVII. PHYSICA.

L. CHRISTIANI FRIDERICI GARMANNI.

SERPENTVM ET BVFONVM ANTIPATHIA.

DE *Serpentibus* in India ſolidos haurientibus Cervos Tauroſque, *Plin. lib.* 8. *c.* 14. *Solinus c.* 53. in Tartaria integros homines *M. Paulus Venet. lib.* 2. *Chorogr. Tartar. c.* 41. *Busbeq. Epiſt. Tarc. III. p.m.* 176. vidit eoſdem integros mures & *bufones* deglutiiſſe. Quod ad *Bufones* ſpectat, illud & amicus meus apprimè colendus *Dn. D. Godofr. Buxbaum* Phyſ. Ileburg. obſervavit, qui *ſerpentem* nuper aperiens, grandem in ejus ventre reperit *bufonem.* [*L. Garman. è Chemnit. ad D. Sachſium.*]

SCHOLION.

Bufones & cæteras Rubetas diſſentire hoſtiliter invicem cum *ſerpentibus*, teſtatur quoque mira hiſtoria *à Cruſio Annal. Sum. lib.* 12. *pag.* 3. *cap.* 37. ad

Annum 1590. notata, & *à Libav.* quoque *lib. 2. Batrachior. c. 23. pag. 423. & ſeqq.* recenſita, quando Anno 1473. Berchtoldus Gratterus Hopotachii habitans, in valle Dipactriana audivit magnum ſtrepitum & ſibilum juxta rivum, cumque contemplaretur quid hoc rei eſſet, invenit variorum *ſerpentum*, viperarium & *bufonum* inuſitatæ magnitudinis tantum cumulum, ut cupa lotoria impleri potuiſſet: altero die eaſdem adhuc ibi invenit; tertio vero abierant relicto *bufone* interempto & *angue* in humore glutinoſo hærente cum adjacente lapide Bufonio Librar. 5. unc. iij. Credibile familiaritatem fuiſſe *ſerpentibus* cum hoc Lapide, ſicut feli cum Nepeta: interim è vicinia prorepſiſſe *Bufones ad prælium cum ſerpentibus*, adeoque unum fuiſſe interemptum inventum; & fœminam quoque *ſerpentem*, quæ ad familiaritatem hujus lapidis ad coitum allicere voluerat ſerpentes alios, obrutam impetu *bufonum*, & illorum virulentia enectam, animam quoque exhalaſſe ſeminio ſerpentino reddito. Scribunt aliqui, inquit *Libav. l. a. lib. 2. Batrac. c. 17. p. 383.* ideò à *ſerpentibus* peti *bufones*, ut iis comeſtis venenum nanciſcantur fortius, & hæc cauſa inimicitiæ. De baculo, quo *angui* excuſſa *rubeta* eſt, ſcribit *Plin. l. 30. c. 4.* eo excuti partus, & ſic difficulter parientibus ſuccurrere.

[*D. Phil. Iac. Sachs à Levvenh.*]

OBSERVATIO CXXXVIII. PHYSICA.

L. CHRISTIANI FRIDERICI GARMANNI.

SCOLOPENDRÆ LUX INNATA.

INſectum illud, *Scolopendram* quod vocant, nos *die Noſſel*, *in tenebris* ita *lucet*, ut complicatum ſi intuearis carbonis igniti particulam reputares. Compreſſum ſcintillas ſpargit, emittendo humoris venenati, quo turge, particulas. In mortua ne minima lucis ſcintilla, quod & Pyrolampides probant, ut liquorem aut alias res noctu lucentes è mortuis evocare qui ſtudent, fruſtra laborent, quod & *Kircher. l. 1. part. 5. Art. Magn. c. 6. §. 1. pag. 24. notavit.*

[*L. Garman. Litt. ad D. Sachſium.*]

SCHOLION.

Plurimis rebus *animatis lucem* quandam *ſcintillantem* ineſſe & ex iis quaſi effluere, multorum teſtimoniis videmus comprobatum. Refert *Kircher. in de Luc. & Umbr. l. 1. part. 1. c. 5. p. 19.* & repetit *en Mundo ſubter. l. 2. cap. 12. f. 84. in Andium* Peruviæ & Chiles montibus toto orbe terrarum altiſſimis, aërem ibi eſſe ſubtiliſſimum & ad inflammationem eam diſpoſitionem habere, ut vel tenui motu inflammetur; unde *viatores* in hiſce montibus *toti ignei* videantur, non minus quam *equi* & *jumenta*, quod P. *Alphonſus d'Ovale* Provinc. Chilenſ. Soc. Jeſu Procurator oculatus teſtis per Andes aliquoties iter faciens ore tenus *Kirchero* comprobavit, dum ex pingui & viſcoſo tam hominum quam jumentorum halitu ſudoreque ſubtiliſſimo aëre commoto & per motum attrito ſubtiliatoque facillimè ſequatur accenſio. *In variis Hominis partibus Lucem effulſiſſe* Erudito *de Luce Animal. Tractatu* comprobat Exc. *Th. Barthol.* Probat. *lib.* 1. *c.* 10. *p.* 75. Lucem fulſiſſe *in Pilis*, *c.* 11. *in capite*, *c.* 13. *ex dentibus & lingua*: *c.* 14. *ex oculis*, *c.* 17. *ex Thorace*, *c.* 18. *ex abdomine* & *c.* 19. *ex Artubus*.

Pariter conſpicuam fuiſſe talem *Lucem in Leone*, *ibid. l.* 2. *c.* 2. *in Equis*, *c.* 3. *in tauris c.* 4. *in Lupis c.* 5. *in agnis c.* 6. *in canibus & vulpibus c.* 7. *in feli & hyæna c.* 8. *in muribus c.* 9. *in ſerpentibus c.* 10. *Idem l.* 2. *c.* 11. *p.* 272. *de inſectis repentibus Luce* claris agit, ex quibus præ reliquis *Lampyrides* conſpicuæ, (de quibus ſingularis obſervatio *Exc. Borrichii Cent. IV. ep.* 92. *Barth.*) & *Cicindulæ*. Harum *Cicindularum* lucem animatam *Kircher. in de Luc. & Umbr. l.* 1. *c.* 6. hærere putat in alvo annuloſa multis ſegmentis diviſa, in cujus extremo guttulæ duæ ignis inſtar pellucidæ, qualis flammæ ex Sulphure accenſo color; illas & voluntario motu nunc retrahere, nunc ejicere lucidam iſtam materiam, *ib. fol.* 22. De aliis *Inſectis* & de volatilibus *Lucentibus idem Barthol. agit l.* 2. *c.* 12. *de Avibus* denique *c.* 13. & *de Piſcibus lucentibus c.* 15.

Et quid mirum *Lucem innatam eſſe* P*iſcibus* marinis? providit nimirum Natura Piſcibus & exanguibus, ut cum in tenebroſo fundo maris hæreant, hujus *innatæ lucis* beneficio, ceu lampade connata, tam pabulum quærere quam hoſtium inſidias eludere poſſint. *Kircher. l. a. c.* 7. *Mare* ipſum *noctu lumen* de ſe ſpargere propriis exemplis confirmat *Nicol.* Papinius in tract. Gallico edito 1647. à Blois: *de la Lumiere de Mer.* Idem αὐτόπτης teſtatur *Dn. de Monconnys in tomo* 1. *Itin. Luſit. p.* 13. *Aquam marinam* multum ejicere luminis, & maximam partem *piſcium* noctem illuminare: *oſtrea* quoque *noctu* maximè *lucere*, & quando piſcatores marini per noctem veſtes madidas deponunt, eandem lucem efflare ac ſi candelæ eſſent accenſæ. *Idem pag.* 12. refert ſe probaſſe quod *caput* P*iſcis*, nomine *Eſguillette*, noctem illuminet, cum claritate pallidâ inſtar corporis Lunæ, & humorem, qui exinde digitis adhæreat quando tangitur, eundem habere effectum Luminis. Vidit *idem Dominus de Monconnys* Rupellis in Muſæo *Domini de Flans* P*iſcem, quem* Lunam *Maris* vocarunt, is licet mortuus tamen ſplendorem in Muſæo adhuc exhibuit: in mari vero dicitur maximam præbere Lu*cem*, inſtar Lunæ in cœlo, magnitudine eſſe unius pedis cum dimidio, forma ad Salmonem accedere, & habere formam oblongam ex parte quadratam. Quid in *Oſtrearum* lucentibus vermiculis repertum fuerit, ex Litteris *Dn. Auzuti* ad *Dn. de Viâ* videri poterit *in Ephemerid. Gallic. tomo* 1. *Eph.* 15. *p.* 169. & *de Via* Reſponſ. *p.* 172. nec non de *Scombrorum* Luce experimentum *Dn. D. Deale Angl. in tom.* 2. *Eph. Gall. p.* 349. & *in Tranſaction. Anglic. tom.* 1. *num.* 13. *p.* 226. *Dactylos* è concharum genere (quibuſdam *Bellari* &

Cappilongi) in tenebris remoto lumine alio fulgore clarere, jam *Plin.* docuit *l.9.c.61.* decidentibus guttis; eoſque manu tritos, ſcintillas quaſi emittere in Melita Inſula alibique obſervavit *Kircher. l. a. de Luc. & Umbr.* Cum his *notabile expetimentum* fecit *Dn. de Monconnys tom. 2. Itiner. p.* 434. Ex hiſce enim *Dactylis* abraſit humorem lucidum in vitrum aquæ, quam ipſam reddidit tranſparentem & luminoſam per unius noctis & amplius ſpatium, uſque ad alterum diem, ſed cum illam diſtillare tentaſſet, omnis lux evanuit. Si itaque hoc *experimentum de Dactylis* cum *Garmaniano de Scolopendra mortua* conjungamus, faciſe patebit non veritati conſonum, quando quidem *Lumen abſque igne* ſe parare poſſe gloriantur, dum catharid. in fimo putrefactas præripiunt diſtillandas, & illam aquam in concavum cryſtallum ponendam, exhibere lumen ſufficiens ad legendum,

[*D. Phil. Jac. Sachs à Levvenh.*]

OBSERVATIO CXXXIX. PHYSICA.

L. CHRISTIANI FRIDERICI GARMANNI.

PULLITIEI NOCUMENTA.

GRaves ſonos, fragores, & tonitrua futuram prodere pulſitiem, plebeii norunt. Obſervavit & id olim Ariſtot. lib. 6. hiſt. Anim. cap. 2. Rationem dedit Harveius de Gener. *Exerc. 17. p. 69.* Hoc annotandum duxi. Quidam Mechanicus lima ſæpe ferrum radens & chalybem, gallinam ovis incubantem in eodem aluit conclavi. Quid fit? Pulli excluſi omnes vertigine rotabantur, ob ſpirituum aut aëris inordinatum motum à moleſto iſto ſono toties totieſque excitatum. Ita aſpectus molendinarum, rotarum, trochorum vorticum &c. comprimis in corporibus debilibus, utpote quibus faciliores & fortiores contingunt impreſſiones, vertiginem cauſare ſolent, & ſcotomiam. V. Avicen. l. 3. fen. 1. tr. 5. cap. 1.

OBSERVATIO CXL. PHYSICA.

L. CHRISTIANI FRIDERICI GARMANNI

OVUM INSOLITÆ FIGURÆ.

OVum magnitudine *Centeninum*, *referens* exactè *pyrum* præterita æſtate peperit gallina: hac vero præſente æſtate, Anas *Ovum caudatum*, quæ inter rariora mea ſervo.

OBSERVATIO CXLI. THERAP. PATHOL.

D. PHILIPPI JACOBI SACHS à Levvenheimb.

ARTHRITICORVM SOLATIVM, LAC.

Inter reliquos morbos, qui in pœnam humani generis è Pandoræ pyxide eruperunt, ſanè non minimum ſibi vendicat locum *Arthritis à Martial. l.* 12. *ep.* 48. Carnificis nomine indigitata, quæ in quibuſdam adeo ſævire ſolet, ut ægri videantur chordis & fidiculis, taxillis & ſibillis torqueri, aut tunicâ moleſtâ exuri. Creſcentibus delictis creſcunt & pœnæ: ſic ingraveſcente Luxuria incrementa ſumit *Podagra*, ut myriadibus remediorum contra hunc hoſtem inſtructis, tamen parum cedat, ſed oppugnari quidem, rarò vel nunquam expugnari poſſit. Imo cum Hippocratis ætate fœminæ, pueri & Eunuchi ab hoc hoſte eſſent immunes, notante eodem *Hipp. l. 6.* §. 29. videmus tamen eaſdem à plurimis ſæculis hoc privilegio caruiſſe. Cauſam addit *Senec. ep.* 95. elegantiſſimè: Beneficium ſexus ſuis vitiis perdiderunt, & quia fœminam exuerunt, damnatæ ſunt morbis virilibus. *Nolo* amplius excurrere cur hic morbus maximè familiaris & cur ferè incurabilis ſit: *nolo* recenſere quomodo quidam ex fonte Chirurgico cucurbitulis tam ſcarifitatis quam non ſcarificatis in plantis pedum ſingulis menſibus adhibitis ante novilunium, *Podagram* abigere tentarunt: *alii* cauteriis, *alii* veſicatorio in parte affecta dolorifica excitato: *alii* venæ ſectione ſub ungue pollicis: *non enarrabo* quomodo miris caſibus *Podagra* ejecta fuerit hoſpitio, nimirum quando luxui pauperies ſucceſſit. *Camerar. in Memor. cent. IV.* §. 5. carceris diuturni ſquallore. *Crato conſ.* 240. tortura carnificis. *Camer. Cent. V.* §. 25. per affixionem pedum ligneo trunco ſex clavis ferreis. *Libav. in Ciſt. Med. Hornung. ep.* 73. per terrorem. *Camer. Cent. V.* §. 27. 28. 29. per Iram. *Id. Cent.* 10. §. 35. per inſperatum nuntium. *Id. Cent. V.* §. 26. *Taceo* tranſplantationes Podagræ (de quibus *Læſel. in de Podagr. ſ. 2. m. 2. art. 2.* §. 5. *& Th. Barthol. c. 3. hiſt.* 66.) immerſiones in vinacea *Borell. c. 2. obſ.* 42. & in *Ampelograph. l. 2. ſ. 6. c. 6. p.* 189. in tritici acervum. *Camer. c.* 13. *Mem.* §. 6. & quæ millena alia, interna & externa, ex divite Hygeæ Armamentario excogitavit humana ſolertia. Paucis *novum* quoddam adducam *remedium*; *Curam* ſcilicet *Lactis*, quæ à paucis annis tanto applauſu à Magnatibus ſuſcipitur ad Podagram abigendam. *Novum* poſſum appellare *remedium*, quod diu ſopitum, novo quaſi quodam prodeat amictu. Ejus *Authorem* noſtro ſæculo quidam faciunt virum Religioſum apud Comitem de Megen Namurcenſis Urbis in Belgio Præfectum degentem. *Antiquiſſimam* tamen fuiſſe curam patet ex *Plin. lib.* 28. *c.* 9. Sunt inter exempla, *inquit* qui lac aſininum bibendo liberati ſunt à *Podagra*, Chiragrave: imo & *Bubulum Lac* quaſi Panaceam fuiſſe. *Idem Plin. l.* 25. *c.* 8. aſſerit, Arcades non medicaminibus uti, ſed *Lacte* circa Ver, quoniam tunc maximè ſuccis herbæ turgeant, medicenturque ubera paſcuis, bibant autem vaccinum, quia boves omnivoræ ſint in herbis. Et *Cornel Celſi* locum *l.* 4. *c.* 24. *quidam cum aſinino lacte ſe eluiſſent*, unius Litterulæ mutatione claudicantem ſententiam reſtituit *Ludovic. Nonnius in Diæt lib.* 2. *c.* 15. *p. m.* 210. quidam cum aſinino *lacte ſe aluiſſent*, in perpetuum malum *Podagricum* evaſerunt. Intra decuriam itaque annorum *cura* iſta *lactea per Lac* reſtituta eſt, ſtrictiſſimâ additâ diæta, ne aliquid niſi merum Lac aſſumatur: unde Arthriticos dolores, ab acidis & ſalinis corroſivis humoribus ortos, dum tales humores temperantur, & Lactis dulcedine ſucceſſivè mitigantur tum quod rejecta multivaria ciborum & potuum miſcella, ſimpliciſſima fiat victus ratio, credibile ſi Temperamentum correſpondeat, magnum levamen ab hac cura ſuſcipere non diffitendum. Et talis victus ſufficere poterit, cum ſecundum *Varron. de R. R. l.* 28. *c.* 9. *Lac* omnium quæ cibi cauſa capimus, maximè ſit alibile, unde & *Athen. l.* 11. refert Philinum quendam toto vitæ decurſu nec cibo nec potu alio uſum fuiſſe quam *Lacte*.

Nunc daretur optimus & latiſſimus campus exſpatiandi & inveſtigandi an cura hæc ſit univerſaliter approbanda, nec ne? Sed cum hoc ipſo anno *Cl. Dn. Ioan. Georg. Greiſel* Philoſ. *& Med. D. Vienn. & Collega Curioſus tractat.* ediderit Medicum *de Cura lactis in Arthritide*, in quo indagata Natura Lactis & Arthritidis, tandem rationibus & experientiis allatis Diæta Lactea optima Arthritidem curandi methodus propoſita fuit, nolo eandem cramben recoquere. Quia tamen libellus iſte in paucorum hæret manibus, ut eo facilius innoteſcat, placet ipſius σκιαγραφίαν, uti ſub initium hujus anni (antequam Libellum ipſum ab Authore acciperem) è Brinna tranſmiſerat *Clariſſ. Dominus Joann. Ferdinand. Hertod. Collega Noſter Cur.* brevibus ſubjungere.

Dividitur Tractatus Greiſelianus de Cura Lactis in 9. *Articulos.*

1. Oſtendit *Lactis Analogiam*, in qua ſtatuit univerſam Naturam *Lacte* aut humore ſaltem *Lacti* analogo nutriri: cùm enim ex partibus conſtemus Lacteis, lacte nos quoque nutrire neceſſum fuit. Principia noſtra *lactea* ſunt, imo in Mineralibus Mercurius, qui metallorum matrix dicitur; *lacteus* eſt: in calcinatione enim caſeoſitatem, in ſublimatione butyroſitatem, in diſtillatione ſeroſitatem æmulatur. Etiam Elementa *Lacte* aut ſaltem *Lacti* analogo nutriri oſtendit. Probat ulterius ex Sacris *Lac* eſſe neceſſarium Univerſo.

2. *Articulus* continet *naturam Lactis*. Definit *Lac* eſſe humorem excrementitium, naturalem, utilem, candicantem, glandularum in ipſa mammarum ſubſtantia copioſè diſperſarum, facultate peculiari, nonnihil tamen adjuvante extrinſeco è ſanguinis & chyli partibus ad fœtus nutritionem productum. Temperamentum illius deducit à complexione nu-

nutricis: Differentias ponit à qualitate & effectis: & examinat electiones Nutricum.

3. *Artic.* definit *Arthritidem* eſſe defluxum Humorum peccantium ad artus cum tumore & dolore periodico motumque impediente, & examinat pro cauſa externa res non naturales.

4. *Art.* demonſtrat *cauſas naturales Arthritid.* hæreditatem à Parentibus podagricis, temperamentum frigidum & humidum.

5. Proponit *pro cauſa proximiore antipraxiam viſcerum*, coctionem non ritè peragentium.

6. Exponit *cauſam veram & proximam*, heterogeneos ſcilicet humores pituitoſos vel bilioſos cum ſanguine miſtos, mediante circulatione ad articulos delatos, ibique ſtagnantes.

7. *An* Lac *conveniat* diſcurrit? Et.

1. L*ac* non unicum & ſolum eſſe remedium curativum Arthritidis, probat. Impura corpora quo magis nutries, & magis lædes; ſed corpora arthritica ſunt maximè impura, & lac eſt ſumme nutritium. E *ſolo* Lactis uſu magis læduntur.
2. Nec omni Arthritidi dicit convenire, cum experientia teſtetur non omnes arthriticos curari per L*ac*, reſpectus enim eſt faciendus ad viſcera & conſuetudinem.
3. Sicut L*ac* non in omni Arthritide convenit, ita nec quæcunque diæta lactea omni arthritico: contra rationem enim eſſet hominem voracem ſtatim ad extremam reducere inediam, non habito reſpectu ad amplitudinem, conſuetudinem, temperamentum.

8. Articulus agit *de requiſitis ad diætam* L*acteam*, deque generali modo utendi. Hîc viſcera obſtructa reſerare, & ſi ab uſu L*actis* iterum obſtruantur, iterum ad reſerantia accedere oportet. Reſeratis partibus, ad Lacticinia, pultes, oryzam avenatam in L*acte* coctam, ut paulatim natura aſſueſcat, deveniendum eſt. Ubi Natura à L*acte* non offenditur, doſis indies L*actis* augenda, reliqua alimenta vitanda, ſolum L*ac* exhibendum. Hanc methodum confirmat Medicorum quorundam Authoritatibus; ubi Medici quærunt,

1. An L*actis* uſus conducat Arthriticis? R. affirmativè.
2. Quodnam L*ac* conducat? R. Vaccinum
3. An L*actis* uſus omni periculo careat? R. nequaquam.
4. An dentur exempla Curationum? R. affirmativè.
5. *Quomodo*, *quale*, *quantum & quamdiu* ſit Lac continuandum?

Reſp. *Quantum* concoquere poſſit venrriculus. *Diſponendum* prius corpus ante exhibitionem Lactis. Eligendum L*ac* à vacca rubri vel nigri coloris præpingui nec prægnante, bibendum manè hor. 4. vel 5. ante prandium Lac ab Unc. vj. ad X. XVIII. XX. totidemque unc. loco cænæ, doſin pedetentim augendo uſque ad XL. aut eam quantitatem quam ferre poſſit ventriculus. *Quamdiu* ſit lac continuandum, hoc oſtendere diuturnitarem morbi. Trimeſtre tempus hucuſque ordinarium fuit.

6. Quærunt quænam alia *in uſu Lactis ſint obſervanda*? *Reſp.*

α. *Lac* tepens ab ubere magis conducit, ſi non haberi poſſit, reddatur tepidum.

β. Menſe primo & ſecundo tertia die ſumenda dragm. *ſs.* rhabarb. vel extr. rhabarb. gr. XV. vel pil. una de Aloe roſat. hora una ante ſomnum.

γ. Poterit etiam ſingulis 15. diebus expurgari medicamento blando confecto ex Mann. fol. ſenn. & caſſia.

δ. Tamdiu talia purgantia exhibenda donec Natura Lacti aſſueſcat.

ε. Si periculum ut Lac aceſceret, ac coagularetur in ſtomacho, tunc *Lacti* adjungendum ſaccharum.

ζ. Si *Lactis* uſu corpus calefieret & fauces accenderentur, tunc Lacti pro dilutione addend. 4. part. aquæ ſimpl. aut hordei.

η. Si *Lac* ventrem nimis fluidum reddat, tunc *Lac* ebulliendum erit eique aliquot gran. Salis comm. addenda vel decoq. cum cruſta panis.

θ. Si ex *Lactis* uſu venter conſtipetur, tunc matutinis hor. in primo hauſtu *Lactis* gran. XV. rhabarb. ſumenda ſunt.

ι. Si à *Lacte* ſitis excitetur extra paſtum, aqua comm. vel cum ſaccharo coacta præmittitur, tam ſola, quam ipſi Lacti permiſta.

κ. Nunquam deſiſtendum ab uſu *Lactis*, niſi febris aut gravis podagræ dolor ſuperveniat, ubi febris oppugnanda, & doloris remiſſio expectanda erit.

IX. *Articulus* demonſtrat *quare Lac* tantum præſtet effectum, & concludit ſolam hoc facere diætam, cum & alia diæta, licet non lactea, ritè obſervata curari poſſit. *Et de his pluribus agit* prædictus GREISELIUS *in Tractatu ipſo.*

Præter hunc *Tractatum* promiſit *Exc. Dn. D. Joan. Jacob. Vvenceſlavus* DOBRZENSKY *de Negroponte Prof. Pragæ* & p. t. RECTOR Magnificus *in Litter. nuper Prag. ad me* datis, quod propediem *Ipſe* editurus ſit Pragæ *Librum Conſiliorum*, quicquid Itali, Galli, Hiſpani, Belgæ Medici de hac *cura Lactea* in Arthritide invicem contulerint.

Reſtat ut paucis quoque *addam*, quid *mihi hac de cura* amplius *communicatum* fuerit. Annus jam agitur tertius ex quo *Generoſus Dn. Vvolfgangus* FRIDERICUS *Ropff*, *Baro de Neiding*, *Dn. de* Schellendarff. *Plieſniz*, *& Dirskovviz*, *Generalis vigiliarum Præfectus*, *& Præſidii Cæſarei Pragenſis Gubernator*, è *Praga* Litteris me conſuleret, num conſultum judicarem, ut curam iſtam *Lacteam* tentaret, aliquot exemplis felicioris ſucceſſus comprobatam. Vidiſſem etenim ipſum Uratiſlaviæ in tali ſtatu, ut niſi ſellâ portaretur, loco movere ſe non potuerit: tranſmiſit ſimul methodum, quâ cura hæc peragi poſſet, ſibi è Belgio tranſmiſſam: non diſſuaſi penitus, ſententiam aperui, ſubtimui tamen ut tam rigidæ diætæ ſe ſubjiceret non minus quam diuturnæ: tamen cum amore Sanitatis huic Diætæ ſeveriori ſeſe obſtrinxiſſet, factum eſt, ut qui ante nec pedem nec manus movere potuerit, adeo ſe viderit immutatum hac *Lactea* diæta, ut nunc abſque baculo incedere, equos aſcendere, venationibus intereſſe, manibus cibos dividere & alia munia ritè peragere poſſit.

Methodum quam ipſe obſervavit Curioſo Lectori ex ipſius *Epiſtola* excerptam communicabo ſequentem :

1. Lac quod aſſumendum ſit de rubra vel nigrâ vaccâ nec prægnante, nec ſeniore; optimum ſi haberi poſſit de vacca à quo vitulus jam ſublatus eſt, & quæ Taurum rurſus non admiſit.

2. *Lac* unicuique bibendum ſecundum complexionem & conſtitutionem ventriculi parum vel multum: ſi ventriculus debilis, quater vel quinquies per diem *Lac* bibendum. Si quinquies, ita tempus dividendum ut per trihorium ab ejus uſu ventriculus quieſcat : ſi quater, ſingulis quaternis horis potus *Lactis* repetendus erit. Ipſe ter tantum bibo: nimirum manè circa 6. à meridie circa 12. & veſperi circa 7. ſingulis vicibus 2. quartarios, ſive Libr. jv. *ß.* ad minimum alias per diem 7. vel 8. quartarii bibendi ſunt.

3. Antequam *Lactis* cura ſuſcipiatur, bis vel ter corpus evacuandum eſt, quod intra 10. vel 14. dies peragendum: purgationes ſecundum complexionem ægri dirigendæ.

4. Inde *Lacte* bibendo fit initium, & conſultius ut calidè hauriatur prout à vacca eſt emulctum.

5. Ne concreſcat *Lac*, de Saccharo, ſi lubet, poterit injicere, quantum placet.

6. Si alvus conſtipata, manè ſumantur gran. 20. Rhabarb. pulv. in primo hauſtu *Lactis*, ſuperbibendo reliquum *Lac*, aut circa veſperam ſumantur 8. vel 10. gran. Eſſent. Rhabarb. cum *Lacte*, & hoc toties repetendum, quoties neceſſitas requirit.

7. Quidam, præcipue intra primas 10. vel 12. ſeptimanas ſingulis menſibus lenem interponunt purgationem, ſi videatur eſſe neceſſarium: ſi etenim alvus quotidie aperta, nec *Lac* in ventre moretur, ſufficere poterit Rhabarb.

8. Si *Lac* aliquam excitet diarrhæam, antequam bibatur, parum ebulliat, addendo aliquid Salis, & ſic calidum hauriatur, ſi prima vice non ſuccedat, repetatur alterâ vel tertia.

9. Si aliquis calor accedat ex uſu *Lactis*, tertia pars decoct. hord. c. paſſulis Lacti affundatur.

10. Si ſitis extra eas horas, in quibus *Lac* bibitur, decoct. hordei cum paſſulis ſumatur, aut in ejus defectu hauſtus aquæ frigidæ fontanæ.

11. Durante hoc *Lactis* potu, nulli alii cibi aſſumendi ſunt, præſertim in principio.

12. Poſtea ſi lubeat circa meridiem panis ſimilagin. Unc. j. vel ij. ſed ſaltem de medulla aſſumantur, quæ *Lacti* immergantur, & ſimul comedantur. Si *Lac* jam per aliquot ſeptimanas hauſtum, bis per ſeptimanam ovum ſorbile ſed abſque ſale cum pane ſimilagineo conceditur. A pane fermento ſubacto penitus abſtinendum, ne *Lac* in ventriculo in caſeum degeneret.

13. Si *Lac* per 14. Septimanas adhibitum fuerit, tunc ſecurius de ſequen-

tibus cibis aſſumi poterit, ita tamen ne ventriculus obruatur & de *Lacte* ſubtrahatur.

14. Ex *cibis* itaque *conceduntur* oryza in Lacte cocta, ova ſorbilia aut in butyro inſalito frixa, inſulſum butyrum cum pane ſimilagineo, pultes lacteæ, & alia lacticinia, ita tamen ut in omnibus Sal abſit.

15. *Per æſtatem* vaccæ quæ Lac ſuppeditant, in optimis paſcuis & ſiccioribus locis, non paludoſis alendæ; per hiemem cum fæno, ſtramine tritici, & furfuribus triticeis.

16. Tempus quamdiu Lac adhibendum exactè definiri nequit, quo diutius hauritur, eo perfectior cura; ſunt qui Podagra valde afflicti, ne malum redeat, continuò, alii per annum, alii per annum & ſeſqui annum, Lac hauſerunt. Quidam per dimidium annum Curam Lacteam adhibentes cum ad priſtinum redierint victum & in eo miſcellâ ciborum excederent, rurſus Podagra fuerunt correpti: redeuntes vero ad curam Lacteam, Podagram rurſus expulerunt.

In his tota cura Lactea conſiſtit, prout à prædicto *Dn. Barone de Ropff* fuit communicata. Hujus illuſtris Dn. *per Lac ab Arthritide curati* exemplo Viri plurimi magnates Pragæ, Viennæ alibique commoti, eandem curam in ſemetipſis tentarunt, ſed non ubique pari felicitate & tam fauſto eventu. Novi *Nobilem* quendam *in Sileſia* annor. circiter 40. articulari morbo maximè afflictum, is non ſolùm nihil ab hac cura Lactea levaminis ſenſit, ſed Tumorem & inflationem totius corporis periculoſum, ut abſtinere coactus fuerit, niſi vellet *nigrum ſarcophagum in Lacte* quærere, & *Lactis vehiculo ad viam cœli* properare.

Non indifferenter itaque hæc cura omnibus applicanda. Coronidis loco ſubjungam *Judicium* Exc. *Romani Medici* GABRIELIS FONSECÆ *Innocentii X. & Succeſſorum Pontificum Archiatri*, cujus verba Italica primum adducam, poſt verſionem addam.

L' *Approbatione di Fonſeca*.

Ho viſto & letto queſta maniera di pigliare il Latte per ſanar la gotta, alla maniera non occorre aggiongere altro, perche la trovo eſſattamente deſcritta, ſolo reſta d' eſſaminar & conſiderar bene, à chi convenga pigliar il Latte, & à queſto riſpondo, che ſe la Podagra proviene d' una cauſa ò materia bilioſa, tenue & calida, che provenga dall' eceſſivo calor del hepate, pigliar il Latte di vacca ò d' aſina ſia buono per 40. giorni continui, finita la qual cura, ſi può con buona dieta ritornar al viver ordinario, mentre ſia moderato; ma ſe la Podagra procede d' una cauſa fredda ò d' una deſtillatione della teſta, non mi pare, ch' il latte ſia convenevole à quella compleſſione.

à Roma 11. *di Giugno* 1667.

FONSECA,

Vidi & legi methodum ſumendi Lac pro ſananda Podraga, cui aliud non videtur adjungendum, cum omnia exactè ſint deſcripta, niſi ut examinetur & bene conſideretur *quibus conveniat Lac ſumere.* Ad hoc reſpondeo: ſi Podagra proveniat à materia bilioſa, tenui, & calida, & ab exceſſivo calore hepatis, ſumendum *Lac* vaccinum aut aſininum per 40. dies continuos: quibus finitis ad diætam ordinariam redeundum; ſed illa ſit moderata: ſi vero Podagra oriatur à cauſa frigida, aut à diſtillatione capitis, non videtur mihi quod Lac illi complexioni ſit conveniens. Romæ d. 1. Jun. 1670.

Et hæc ſufficiant hâc vice de Uſu Lactis in Arthritide.

[*D. Philip. Jac. Sachs à Levvenh.*]

OBSERVATIO CXLII. THERAPEUT.

EMPLASTRVM ANTIPODAGRICVM.

E*Mplaſtrum* hoc, una cum methodo curandæ *Arthritidis* per Lac, à *Generoſ. Dn. Barone Ropff* mihi tranſmiſſum fuit, quod non ea intentione hîc ſubjunctum fuit, ut cenſeatur cura hæc imitanda eſſe; ſed cum in quibuſdam Provinciis adeo decantatum celebretur Remedium, ne ipſius compoſitio B. L. fugiat, addere plecuit.

Compoſitio talis eſt. Recip. Eſul. Bryon. Elleb. nigr. herb. verben. Rad. ariſtol. rot. herb. & rad. ranuncul. herb. & rad. Chelidon. Sal. comm. hæc omnia commiſcenda ſunt cum ſtercor. vaccino pro Empl. quod calide mane & veſperi plantis pedum applicandum. Hoc dicitur eam vim habere attractricem, ut intra aliquot dies prævio tamen inſigni dolore plantas pedum fiſſuris aperiat, & per eos materiam podagram cauſantem extrahat. Impoſitionem hujus Emplaſtri, aiunt tamdiu continuandam eſſe donec plantæ pedis rurſus ſanentur.

Sed audiamus quid *Ipſe de effectu hujus Empl.* in Litt. 18. Jul. 1668. ad me datis notaverit. Per curam hujus Emplaſtri, inquit, unicum ſaltem ſcio Nobilem, qui aliquod à dolore Podagrico levamen ſenſerit: reliqui ferè omnes conqueruntur, quod non ſolum durante applicatione Emplaſtri plantas pedum habuerint maximè dolorificas & vulneratas, quod capita ipſis intumuerint, & dolores ferè intolerabiles ſenſerint; ſed etiam peractâ curâ & remoto Emplaſtro adeo fuerint viribus exhauſti, ut vix brachia pedeſque loco movere potuerint: quod nemini mirum videri poterit, ſi conſideret quam periculoſum in corpore cacochymico tantâ vi, intempeſtivè & immodice humores, præſertim ad partem affectam, commovere.

[*D. Phil. Iacob. Sachs à Levvnh.*]

OBSERVATIO CXLIII. ANATOMICA.

D. FRIDERICI ORTLOBII.

INTESTINA SPHACELATA.

Viduus quidam literatus, I. S. Uratislaviæ degens, quadragenario major, melancholicæ, & dum viveret, valetudinariæ conſtitutionis, M. Februario Anni 1670. ſolito plus conqueſtus eſt de ructibus auſteris, in appetentia & dolore Ventriculi, nec non Renum & Dorſi. Subſecutæ de hinc ſunt obſtructiones Alvi, noctes inquietæ & ſæpè inſomnes, doloreſque obſcuri, gravativi circa Ilia, iique in ſiniſtro latere ſupra Ventriculum quaſi aſcendentes. Febris apparuit nulla, major tamen nonnunquam ſub veſperam, quàm interdiu, Lumborum Dorſique incaleſcentia. Urinæ pallidiores plerumque & craſſiores deprehenſæ, cum ſedimento copioſo, nonnunquàm tartareo, rubro, ſæpiùs albo, mucoſo. Pulſus indies debilior, ab initio tardior, verſus interitum celerior. Supervenit his omnibus vomitus Sanguinis nigricantis in grumos majores tenaciſſimos maximam partem concreti; qui, cum intra triduum copioſior aliquoties rediiſſet, Ægroto, exhauſto virium theſauro, lipothymias frequentiores, ipſamque demùm mortem, quam die 6. Aprilis beatè obiit, accerſivit.

Ut itaque tot Symptomatum Cauſa inquireretur, permiſſu ipſius Agnatorum, cadaver aperire conceſſum fuit, quod etiam factum præſentibus Viris Excellentiſ. Dn. Godofredo Tileſio, Ph. & Med. D. & Phyſico Uratiſlav. merentiſſimo, & Dn. Phil. Jacobo Sachs à Lovvenheim, Phil. & Med. D. Practico famigeratiſſimo, Amicis meis honoratiſſimis, qui ambo ultimis diebus mecum Ægri curam habuerant, Sectore Dn. Franzio, Chirurgo noſtro induſtrio.

In aperto Corporis demortui Abdomine atque Thorace ſequentia ad partem affectam, cauſaſque morbi & mortis imprimis faventia, occurrerunt notatu digna:

(1) Pinguedo quidem ſat multa ſub cute per totum corpus diffuſa;
(2) Muſculi vero Abdominis & Thoracis excarnei.
(3) Cor nihilò minùs obeſum ſatis, duriuſculum, compactum, beneque conſtitutum, Sanguine vacuum.
(4) Pulmones quoad colorem quidem, à naturali ſtatu parùm differentes; flavidi tamen & exangues, horumque lobus dexter inferior verſus Dorſum Thoraci annexus.
(5) In Ventriculo nullus Sanguis, tunicæ benè conſtitutæ.
(6) Lien juſtæ figuræ, magnitudinis & coloris.
(7) Meſenterium non glanduloſum, ſed unà cum Pancreate naturaliter conſtitutum.

(8) Hepar admodum magnum, totum obvolvens ventriculum, admodum pallidum, totum licet Sanguine vacuum, ponderans tamen ponder. Medic. Libr. iij. Unc. viij.

(9) Vena Portæ verſus Hepar Sanguine exhauſta.

(10) *Inteſtina* in ſiniſtro latere fermè bene conſtitcta, quæ vero *in dextro, livida, nigricantiâ, ſphacelata, Vaſaque Meſaraica in Inteſtina deſinentia Sanguine nigricante turgida.*

(11) *Inteſtini Coli pars ſuperior in ſiniſtro latere* ſupra Ventriculum inflata, quà vero deorſum vergit, inciſum, Sanguine concreto, fæculento, nigerrimo inſtar picis, qualem vomitu rejecerat Ægrotus, admodum repletum.

(12) Renes pallidi & flavidi; inque dextro horum materia multa tartarea, & circa infundibulum calculus inſtar fabæ minoris:

(13) Inſiniſtro vero major & albicans calculus, pondere ſcrup. V. figurâ & magnitudine cordis avium, oblongiore tornatâ, multæ materiæ Seroſo-lacteæ, quæ unà cum plurimis particulis tartareis, inſtar calcis, per totam Renis ſubſtantiam diſperſa erat, quaſi innatans.

SCHOLION.

Mirum, quod Viſcera Lienis, Pancratis, Hepatis cum ſuo felle, Ventriculique, in hoc corpore omnia deprehenſa fuerint ſana & naturaliter conſtituta, cum tamen Ægrotus per totum vitæ ſpatium, pallidus, & triſtis inceſſerit, ſolitariamque & ſedentariam vitam amaverit omniumque Medicorum conſultorum ſententiâ Hypochondriacus audiverit.

Nec minùs mirum, Inteſtina illius ſphacelata fuiſſe ſine præviis doloribus Abdominis, ſine præviâ Febre manifeſtâ. Conjectura eſt Sanguinem melancholicum acido-auſterum inhabilem quidem ineptumque fuiſſe ad concipiendum ſubitam & magnam fermentationem & exæſtuationem febrilem, nihilominus tamen, fortè ab errore diætæ excalefaciente intra morbi decurſum commiſſo, in tantum irritari, exaltari & commoveri potuiſſe, ut per Vaſa Meſaraica (hæc enim verſus Inteſtina repleta, verſus Hepar vacuefacta apparuere) ad Inteſtina ſucceſſivè confluxerit, hiſque ſphacelum, miſello vero mortem intulerit. [*D. Ortlobius.*]

[*D. Phil. Iac. Sachs à Levvenh.*]

OBSERVATIO CXLIV. PHYSICA.

L; CHRISTIANI FRIDERICI GARMANNI.

PRÆSAGIUM MORTIS AB ODORE.

TErram oluit quidam apud Borell. Cent. IV. obſ. 8. p. 342. & paulo poſt fato ceſſit. Idem Martisburgi in puella infante febre conſumptâ adverti, & ſtatim primo acceſſu nil boni ominabar. Poſt obitum mater cum ſignum inſtantis mortis ex me ſcire deſideraret, *odorem terræ flaccidum* allegavi. Conſentiebat, & non ſolum in hâc, ſed & in aliis quatuor infantibus, inſtante fato ſe eundem odorem propriis hauſiſſe naribus ſanctè aſſeverabat. Quod ipſum & in aliis morituris poſtea obſervare licuit. Quædam de hoc odore ſparſi in Tract. meo de Miracul. Mort. L. II. tir. 4.

OBSERVATIO CXLV. THERAP. PATHOL.

L. CHRISTIANI FRIDERICI CARMANNI.

VERMES INSTESTINA PERFORANTES RESTITVTO ægro.

QUædam hic loci, Chemnitii panificis Conjux ſub umbilico in regione pubis anno præterito abſceſſum ſenſit magnitudine juglandis, quem cum emollientibus per duas ſeptimanas tractaverat Umbilicus rumpebatur & illico excrementa, paulo poſt quinque egerebantur teretes Lumbrici. Sequuntur ſingulis horis plures. Advocatus inteſtinum aliquod exeſum à Lumbricis perforatum pronuncio, prout plures ejuſmodi hiſtorias collegit Schenck. L. III. obſ. Med. de verm. p. 373. Adhibitis per os amaricantibus medicamenris intra 4. dies ultra 100. ſpithamæ longitudine, prodierunt Lumbrici, prægreſſo ſemper aliquali in vulnere doloris mordicantis ſenſu. Injectionibus conſolidantibus per anum intra tres ſeptimanas curata, jam optimè valet. Similem abſceſſum in ruſticæ fœminæ inguine prope Ileburgum in Miſnia ante aliquot annos me vidiſſe recordor, è quo ſaltem tres Lumbricos teretes exiiſſe memini.

OBSERVATIO CXLVI. THERAP. PATH.

D. HENRICI VOLLGNADI.

VERMES INTESTINA PERFORANTES PEREUNTE ÆGRA.

PRæterito anno 1669. Menſe Maio ex Uratiſlaviæ Vicino pago *Scholms* venit ad me Vir quidam, qui pro Uxore ſuâ conſilium petebat, referens ipſam circiter duobus abhinc annis doloribus acerbiſſimè Abdomen rodentibus & lancinantibus, variiſque aliis afflictam fuiſſe Symptomatibus, quæ Agyrtæ Mulomedici & mulieres medicaſtræ ex Morbo Uterino illi accidere exiſtimaſſent, & ob id plurimis diverſiſſimique medicamentis, quæ utero compeſcendo eſſent, illâm defatigaſſent, quamvis effectu planè fruſtraneo. Inter alia quæ ægræ acciderant, plurimæ quoque eæque graviſſimæ anxietares & inquietudines recenſebantur, quas tum aliàs, tum modico licet motu cùm ſe exerceret perpeteretur, una cum frequenti Nauſeâ & nonnullo Vomitu, quo aliquando unum alterumve Vermem grandiorem excreviſſet.

Tandem denique accidit ut ægra, meliùs ſibi valere viſa, dum in ſuperiore ædium parte, brachio extenſo aliquid ſive in altum collocare, ſive ex alto depromere conaretur, ſentiret ex improviſo, quaſi umbilico tenus, in Abdomine aliquid rumpi & imam inguinis regionem cum pondere decidere. Conſternata hoc caſu miſera, deſcendit, pejuſque ſe habens in lectum decumbere coacta eſt, ubi poſt non multam moram, in inguine. Tumorem percepit, paulatim ita increſcentem, ut validiorem pugnum facilè æquaverit.

In hoc intenſiſſimos cruciatus, tamquam roderetur, una cum motu non obſcuro viventis cujuſdam, dies aliquot (tres aut quatuor) paſſa eſt, donec Tumore rupto hoſpes latitans, Vermis, inquam, grandior, Lumbrici ſubrufi æmulus, ſpithamam ad minimum longus, ac roſtratus ſeſe proruperet. Ex foramine hoc plurima materia purulenta & fœtida effluxit, unde quidem Tumor nonnihil deſubſidit, ipſumque foramen coaleſcere viſum eſt, verumtamen mox, parvo ſpatio ſupra illud, duo alia foramina ſponte ſuâ facta ſunt, è quibus primò parum puris, deinde materia, inſtar ſeroſi lactis tenuis & alba, quaſi guttatim emanavit: quam equidem materiam ſtatim pro chyli parte ex inteſtino, ubi dubio procul, vermis ſtabulum exſtiterat, diſtillante habui, ægræque mortem vicinam prædixi. Quod prognoſticum etiam tertiâ abhinc die, ſeptimanæ ab ultimo decubitu tertiæ, funeſtus eventus ratum fecit.

OBSERVATIO CXLVII. PATALOG.

L. CHRISTIANI FRIDERICI GARMANNI.

VARIORVM EXCRETIO.

P*Etroſelinum* inciſum in juſculo cum urina rejecit ruſticus; puer muſcas, pulices, dentes ovillos, ſevum, nummos, & alia ut videre eſt apud *Exc. Joan. Dan. Horſtium part.* 1. *Manud. ad Med. c.* 2.*p.* 122. Quidam vero Paſtor Eccleſiaſticus à leni purgante primo ultra 50. habuit ſeceſſus: ſequenti nocte tormina ſenſit intolerabilia, & egeſſit *per alvum capillos, arenas, fragmenta vitri,* & quod inauditum ferè, *ſemen ſemini Hyoſcyami* ferè *reſpondens*: perſeveravit malum aliquot menſes, uſque dum vitam in Domino cum morte mutaret. Vir eruditus juxtim ac pius. Hæc ex ore filii, ſucceſſoris in munere Eccleſiaſtico Paſtoris, qui & partem collecti ſeminis mihi communicavit, quod tamquam rarum quid curioſis oſtendere ſoleo.

[*L. Garmannus é Chemnitio ad D. Sachſium.*]

OBSERVATIO. CXLVIII. PHYSICA.

L. CHRISTIANI FRIDERICI GARMANNI.

EXPERIMENTA DE MERCVRIO.

M*Ercurium vivum* potum ſanguinem coagulare credidit *Primeroſ.l.*4. *de Error. vulg. in Med. c.* 29. Id vero quo minus credamus, facit Authoritas Clariſſimorum Virorum. *Botalli de Lue.* ♀ *c.* 17. *Paræi l.* 20. *de venen. c.* 28. de mendico impoſtore *Vvier. l.* 4. *de præſtig. c.* 6. de pagana muliere *Plater. lib.* 3. *Med. obſ. ult.* De Georg. March. Brandemb. retulit *Th. Jordan. lib.* 3. *de peſt. phœnom.* eum noctu ad ſitim extinguendam lagenam ☿ plenam arripuiſſe, vini loco hauſiſſe, & innoxiè iterum excreviſſe. Plura *Unzer. in Anat.* ☿ paſſim. Nuper cum curioſitatis gratia Infuſoriæ litarem, ut quid *Mercurius* ſanguini miſtus patraret, cognoſcerem, ſemiunciam ☿ vivi venæ crurali cani intruſi, venam exacte compreſſi per horam, & demum locum ligatura accuratè munii, nihil tamen illi exinde mali. Poſt duas horas ſedem habuit, ſed naturalem, nec per diem illum aliquid Urinæ excrevit. An doſis fuerit juſto parcior, an alia ſubſit cauſa, judicent Eruditiores.

[*L. Garmannus ad D. Sachſium.*]

SCHOLION.

Cum *Dn. de Monconnys* eſſet in Anglia Anno 1663. principio Menſ. Maii *in Collegio Regio Illuſtriſſ. Societatis Anglic.* Londini, inter alia experimenta propoſitum fuit Sal Tartari ſupra Bufones, viperas aliaſque venenatas beſtias projectum mortem iis accelerare; idem præſtare Mercurium vivum alius aſſervit. *Dn. de Monconnys. Itin. Anglic. tomo* 2. *p.* 26. Sed cùm 30. Maii proba fieret in Eodem *Illuſtriſſimo Conſeſſu* in præſentiâ prædicti Galli, *Mercurium vivum bufonibus* injectum nullum damnum intuliſſe compertum fuit. *Idem Dn. Monconnys p.* 30. Melius ſucceſſit proba axungiæ Norvvegicæ Bufonibus illitæ, quæ cito ipſos jugulavit. *Simon. Pauli de Febr. Maligna* §. 21. *p.* 33. quod ea Sal copioſum volatile Bufonibus fiat. *Idem.* §. 26. *p.* 39.

[*D. Phil. Jac. Sachs à Levvenh.*]

OBSERVATIO CXLIX. CHIRURGICA.

D. JOANNIS GUILLELMI RIVÆ

TRIPLEX INFUSIONIS SANGUINIS EXPERIMENTUM.

A

D. JOACHIMO GEORGIO ELSNERO
exhibitum.

NOn pauca hactenus de *Transfuſione Sanguinis* ex animalium arteriis, in aliorum animalium venas Experimenta *in Angliâ*, *Italiâ*, *Galliâ* & *Germaniâ* facta eſſe, ſcripta diverſa non minus docta quàm curioſa, præprimis verò *Tranſactiones Reg. Soc. in Anglia*, & *Ephemerides Gallicæ*, divulgarunt. Cumque non ſolùm ex brutis in bruta, atque ex hominibus in homines, ſed & ex brutis in homines transfuſus ſanguis ſit, ſimilemque transfuſionem *Excell. Dn. Joan. Guill. Riva* triplici experimento celebraverit, ejus hiſtoriam, Auctoritate ſupremâ confirmatam *Romæque* editam, huc verbotenus adſcribere operæ pretium eſt. Nec dubium eſt, quin plura Experimenta olim ſuppeditentur ex modò Laudatiſſimi Medici & Chirurgi communicatione, per lit teras jam tum benevolentiſſimè promiſsâ.

EXEMPLAR FIDEI.

TRIUM SANGUINIS TRANSFUSIONUM ex animalium trium viventium arteriis in trium laborantium morbis diverſis hominum venas celebratarum anno 1667. menſe Decembri *Romæ*, non beſtiali more, ſed faciliori, & humanâ methodo, proſperoque eventu à *JOAN. GUILLELMO RIVA Pedemontano in Med. & Philoſ. D. Romano Anatomico celebri, Chiſianæ Legationis in Galliam, Sac. Majeſtatis Chriſtianiſſimæ, & Summi Pontificis Clementis Noni, Chirurgo*; à principalioribus comprofeſſoribus, qui præſentes operationibus interfuere ſubſcriptæ, & teſtificatæ; legalitate invicti, & triumphantis Capitolii munitæ, nec non ſigillo Sereniſſimi Senatus, inclitique Populi Romani authenticatæ.

Typis editum pro Transfuſionis munimine ad Dei gloriam,
humanique Generis beneficium.
Ab aliquibus virtute præditorum Amicis.

ROMÆ, prælo Vareſiano. SUPERIORUM PERMISSU.

Nos infraſcripti Fidem facimus & atteſtamur inter omnes nos viciſſim *tribus ſanguinis Transfuſionibus* vervecum ex arteriis, trium in diverſorum hominum ægrotantium venas, diverſis temporibus 10. ſcilicet Decembris, 11. & poſt aliquot alterâ die anni præteriti 1667. ab Excell. JOAN. GUILLELMO RIVA Med. Doct. eximio Chirurgo, in anatomicis, præſertim nuperrimis Chyli-ſanguilymphæ motuum mæandris (quorum demonſtrator, & propugnator ab eorumdem ferè omnium incunabulis, ſicut & primus in urbe, jam pridem ab annis in brutis edoctus, quin imo (ut hactenus in contrarium nihil nobis patuit) toto in orbe, poſt Pariſinum Clariſſ. Emmeretium hujus elegantis, & inauditæ novitatis aggreſſor extat) celeberrimo palam, & egregiè peractis interfuiſſe præſentialiter viſu & tactu; aliquid etiam adminiſtrantes in ejuſdem adjutorium contuliſſe. Eaſque ſine venæ extractione, vel excoriatione, ſed ſolo congruo, ac conſueto phlebotomico, aliquantulum ampliori licet orificio celebratas extitiſſe; nec non etiam in omnibus ſanguinem elutriari in venas patentiſſimè nobis viſum eſſe, præterquam in ſecundâ Perill. ſcilicet & admodum Excell. q. *Ioan. Franciſci Sinibaldi Med. Doct. Profeſſ. pub. Lectoris*, & *Collegæ*, in cujus baſilicam, naturalis defectu caloris, cum phthiſicus ipſe derelictæ ſpeciei, & deſtitutus, & moriturìens eſſet; unde idemmet uſque antiſtes, Medicinæ Coryphæus ad ultimum provectus ſenium hiſce inventis infenſus Clariſſ. Fonſeca eamdem quoque experiundam, tamqnam in deſperato probavit; nec ulla ſanguinis portio in operatione ex infirmo profluere viſa fuit, nihil (exceptis guttulis concretis aliquot digitorum expreſſione per vim) inditis ingeſtum eſt. Quaſque operationes pariter promulgatas, divulgatas, præſertim per Medicinæ factitantes quoquo verſum illicò fuiſſe. Et Sinabaldum poſt menſes, non ratione doloris vulneris inflicti, ſive ſanguinis infuſi, vel diffuſi in Transfuſione, ſed illius annos quatuordecim interpolatè per Tracheam rejecti, catarrho, febre, & ulcere pulmonum glaciali tempore conſumptum obiiſſe. Aliorumque duorum, alterum ſexdecim dierum quotidianâ laborantem, ut nobis prolatum fuit, poſt aliquot dies cum febris intermiſſione dubios ſui de eventu nos relinquentem diſceſſiſſe. In Cujus, &c. *Datum Romæ, &c.* Kalend. Decembris 1668.

Nos

Nos *Joannes Maria Conſtantius Romanus Protomedicus Generalis totius Statûs Eccleſiaſtici primus in Doctoratu, manu propriâ.*

Ego *Ioannes Trullius Romanus Archiater, & in Romanâ ſapientiâ Medicinæ Theoricæ Lector Ordinarius*, interfui illi Transfuſioni D. Sinibaldi, tertius in Doctoratu; manu propriâ.

Ego *Antonius Ægidius Petraglia Romanus olim ejuſdem ſupradicti Statûs Vice-Protomedicus Generalis, ſecundus in Doctoratu*, manu propriâ.

Ego *Iacobus Sinibaldus Romanus in Romanæ ſapientiæ Archigymnaſio ſimplicium Lector Ordinarius, quartus in Doctoratu*, manu propriâ.

In Nomine Domini Amen. Præſenti publico Recognitionis manuum Inſtrumento cunctis ubique pateat evidenter, & ſit notum, quod anno ab ejuſdem Dn. Jeſu Chriſti Nativitate milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo octavo Indictione 6. die verò 18. antedicti menſis Decembris, Pontificatus autem ſanctiſſimi in eodem Chriſto Patris, & Dn. Domini *Clementis* divinâ Providentiâ Papæ *Noni* anno ſecundo; In mei Notarii publici teſtiumque infra ſcriptorum ad hæc omnia, & ſingula habitorum, vocatorum ſpecialiter, atque rogatorum præſentia, præſentes, & perſonaliter conſtituti retroſcripti Perilluſtres, & admodum Excellentes *D. D. Ioan. Maria Conſtantius* fil. q. Joan. Antonii, *Antonius Ægidius Petragli. fil. q. Baptiſtæ*, *Ioan. Trullius* fil. Perilluſtr. & admodum Excell. *D. Stephani*, & *Iacobus Sinibaldus* fil. q. *Ioann. Benedicti*, omnes Romani mihi &c. cogniti ſponte, &c. ac omni, &c. medio eorum juramento tactis, &c. recognoverunt, & quilibet ipſorum recognovit retroſcriptam ejus manum, literas, characterem, & ſubſcriptionem in formâ, & ſimili juramento aſſeruerunt omnia, & ſingula in retroſcriptâ fidei atteſtationis contenta, & expreſſa, vera fuiſſe, & eſſe, & tânquam talia modo reiterarunt, & illa tactis, &c. jurarunt, & ſuper quibus omnibus, & ſingulis prædictis tamquam ritè, rectè, ac legitimè geſtis, & factis petitum fuit mihi *Notario publico* infraſcripto, ut hoc præſens publicum recognitionis manuum conficerem, atque traderem Inſtrumentum. Actum *Romæ* in Officio mei, &c. Regionis Ripæ, præſentibus ibidem audientibus & intelligentibus *D. Bernardino de Amicis* fil. q. Petri, & *D. Dominico Sperello* fil. q. Hieronymi, ambobus Romanis teſtibus ad prædicta habitis, vocatis ſpecialiter, atque rogatis.

Ego *Ioan. Baptiſta Rondinus Romanus Civis, & Cur. Cauſarum Cap. Not.* pro *D. Philippo Franciolo* Connotario præſens Inſtrumentum ſubſcripſi, & publicavi requiſitus, &c,

Loco ✠ Signi.

Nos ad præſens Cameræ Almæ Urbis Conſervatores, Univerſis, & ſingulis præſentes noſtras viſuris, &c. fidem facimus, & atteſtamur ſupradictos *D. D. Philippum Franciolum* de præmiſſis rogatum, & *Ioannem Baptiſtam Rondinum*, qui præſens Inſtrumentum ſubſcripſit, & publicavit, fuiſſe, &

eſſe veros, publicos, legales, authenticos, & Curiæ Capitolii fide dignos Notarios, eorumque Scripturis publicis, & Inſtrumentis ſemper fuiſſe adhibitam, ac de præſenti plenam, & indubiam adhiberi fidem in Judicio, & extra. In quorum fidem, &c. Datum ex Ædibus noſtris Cur. Cap. noſtræ ſolitæ Reſidentiæ his die, & anno prædictis.

Ita eſt pro D. Secretario Collegii DD. Notariorum ejuſdem Curiæ.

Stephanus Lucianus de Mand. &c.

Loco ✠ Sigilli.

SCHOLION.

Non ingratum fore L. exiſtimo, ſi ſuperioribus experimentis aliud paucis verbis velut in tranſitu adjunxero, quod Dn. *Paulus Manfredus, Lucenſis, Philoſ. & Med. Romanus, in urbis Archi Lyceo Medicinæ Practicæ Profeſſor Extraordinarius* anno 1668. 2. d. menſ. Januar. me tunc præſente fecit in Febricitante quodam Scriniario, modo quem *ille* in peculiari *tractatu de Nova & inauditâ Medico-Chirurgicâ operatione ſanguinem Transfundente de Individuo in individuum, Romæ impreſſo* 1668. *in* 4. *cap.* 3. *pag.* 14. *his verbis propoſuit. Diſpar à Gallico Martii & Iunii Epiſtolis expreſſo, noſtrum in pluribus differt opus; & primo in arteriarum delectu, in habiles crurum arterias decernentes. In Tubis inde; materiam enim quod attinet, aurichalcum rejicimus & cryſtallum pro diaphaneitate, vel argentum aut aurum eorum annuente perfectione ſeligimus, nec ipſorum numero ſubſcribimus, unicus etenim & in venâ ſat eſt, ac ſingularis inciſio, cum ab unâ eademque & canaliculus infundens immitti & ſanguis effundi proprius, exquiſitè valeat, evitenturque plurium inciſionum operoſa inutiliaque pericula. Vinculorum nec norma ſimilis, cum unicum in arteriam Cor propius opus impleat, nec ſecundus in venâ nexus ad Cor accedens ultro ſuppetat, quam venæ turgentiam quæ ſuperimpoſito pollice facilius adimpletur.* Plenius verò mox *cap.* 4. *pag.* 15. modum ſuum proſequitur in hunc ſenſum. Perſpectâ difficili vaſorum juguli ſciſſurâ, eam alibi celebrandam decretum eſt, & quia brachium promptiori manuali operationi accommodatiſſimum, nam & venas inſignes & ſublimes, ſectionique valde conferentes, habet, quam in cruribus minus eleganter fieri poſſe cenſemus. Suſcepimus erga d. 2. Januarii exſecutionem decreti, & detectas ulnas undique duplici arctiori vinculo perſtrinximus, medii flexuram brachii vallante, venæ decurſum ſignavimus atramento, cutemque venæ tranſverſaliter complicavimus, ac inde venæ atramentique dirigente rectitudine cultro raſorio eleganter ſecuimus. Ne verò operoſa nimis hæc videatur Chirurgia, præ uſitatâ ſimplici phlebotomiâ, ſciendum eſt, preſſurâ hâc cutis, effici ut ſciſſura minimè doleat, ſicque nudata vena perbellè compareat aptiſſimè ſuſceptura ſequentia miniſteria. Venam ergo duobus lævæ manus digitis aliquantulum extulimus, eaque acu ſubtiliſſimâ cum filo incerato trajecimus; ejus ut beneficio venam pro lubitu moderari, vulnus ipſi liberius & indolentius infligere, ac tubulum argenteum ad alligare liceat; quamquam etiam ſine ligatura fieri operatio poſſit, ſupplente ſuper cannulam vulneri intruſam preſſurâ pollicis negotium. Inde intruſi tubuli extremitas, cum alio tubulo in animantis præparati carotide prius infixo, conjuncta, ex arteriâ brutali (laxatis ejus vinculis) quod libuit ſanguinis innocuè communicavimus. *Hactenus Manfredus*. Feliciter autem iſthanc operationem ceſſiſſe ipſemet ego fideliter conteſtari poſſum, qui hominem ſanum & valentem poſt aliquot menſes ejuſdem anni, Patavii offendi, exercentem in publico operas ſuas ſcriniarias, eumque aliis pluribus oſtendi.

Licet autem omnia ſe præfato modo habeant, mihi tamen nonnullum *dubium* circa hanc operationem hæret. Siquidem 1. mihi videtur denudationem & ſeparationem venæ nonnihil periculi fovere poſſe, quoniam vivæ anatomiæ raró tutæ, ob inflammationem, & alia quæ hanc comitari poſſunt mala; ad minimum, quod & hic accidiſſe obſervavi, quia tam larga inciſio coalitum vulneris admodum difficilem reddit atque retardat.

2. *Scrupulum* quoque injicit, utrum ex ſanguine infuſo febricitans ad priſtinam ſanitatem redierit, an veró ex bonâ diætâ illam recuperaverit? æger enim antequam febricitaret cruda multa aſſumpſerat, dum veró poſtmodum, operationi Transfuſoriæ deſtinatus eſſet, & in ædibus Dn. *Manfredi* degeret, optimis alimentis nutritus fuit. Definire tamen hic certi quicquam haud volo, ſed totam rem felicioribus ingeniis divinandam relinquere. Cæterum quod Chirurgiam Infuſoriam, & Transfuſoriam attinet, videtur *non novum* prorſus *eſſe inventum*, aut Majorum noſtrorum ætate incognitum, ſed ante multa ſæcula extitiſſe, uti inter alia non obſcurè demonſtrat locus egregius apud Ovidium lib. 7. Metamorphoſ. ubi Medeæ ope Jaſonium Patrem Æſonem ex decrepito juvenem factum ſic deſcribit, modo neſcio, an ab hodierno multum diſcrepante,

> ——— *Stricto Medea recludit*
> *Enſe Senis Iugulum, veteremque exire cruorem*
> *Paſſa, replet ſuccis, quos poſt quam combibit Æſon,*
> *Aut ore exceptos, aut vulnere; barba comæque*
> *Canitie poſita nigrum rapuere colorem.*
> *Pulſa fugit macies: abeunt pallorque ſituſque*
> *Adjecto cavæ ſupplentur corpore rugæ:*
> *Membraque luxuriant.*

Mox veró alibi ubi eandem Medeam Peliæ filias quibus eumdem affectum in Parente nequiter perſuaſit adhortantem ita depingit.

> ——— *Quid nunc dubitatis inertes?*
> *Stringite, ait, gladios: veteremque haurite cruorem,*

Ut repleam vacuas juvenili ſanguine venas:
In manibus veſtris vita eſt ætaſque Parentis.

Quid jam evidentius? ſanè ſi Fabulæ nihil aliud ſunt, quam non vulgaris ſapientiæ pulcherrima Aulæa, quibus ſapiens Antiquitas uti voluit, quemadmodum hodie Chimici ſuis characteribus, ne nobiliſſima ars in notitiam abiret vulgi, ſic me judice Poëta pulcherrimam hanc, ſed difficilem operationem fabuloſis involutam involucris Poſteritati reliquit expoliendam & exercendam magis quàm inveniendam. Nonnulla *alia experimenta de variis & diverſis liquoribus venis canum infuſis cum illorum effectu in Sanguine anno ſequenti ſiſtam.*

[*D. Ioachim Georg. Elſnerus.*]

OBSERVATIO CL. CHYMICA.

D. JOANNIS PATERSONI HAIN.

TINCTURA CORALLIORUM.

Corallia ſolvuntur in Spiritu Salis & Nitri æqualibus partibus ad diſtillandum junctis & in globulos, quatuor partibus argillæ additis, formatis. Hinc exſiccantur, & in retortam terream firmam induntur, & per gradus aperto igne ſpiritus expellitur, qui tam diu urgendus, donec vas recipiens iterum clareſcat. Spiritui affundo partes duas ſpiritus Vini ſuper Sal commune Tartari rectificatiſſimi, lento gradu affundendo per vices, ne nimium incaleſcat. Indo illum in phialam capacem, cui alembicum apto, & lento gradu primò per arenam diſtillo. Tranſit ferè totus ſpiritus, paucis quaſi fæcibus in fundo albis relictis, reaffundo fæcibus ſpiritum omnem & per balneum ſecundâ vice & tertiâ diſtillo. Ita ſuccus ſive liquor rubicundiſſimus tamquam ſanguis in fundo remanet. Oportet autem, ut in ſecundâ & tertiâ diſtillatione totus non removeatur liquor, quod ſi tamen eveniat, uti mihi nunc, in fundo pulvis manet rubicundiſſimus ſubni-gricans paulò, qui tamen in ſpiritu Vini ſolutus (dum modò non aduratur pulvis) ſanguineum planè colorem exhibet. Ego autem mixtum illum ſpiritum non removeo. Nam virtutes illius etiam intra corpus ſumpti egregii ſunt. Reliquum quod manet in retortâ corpus albidum eſt, quod non ſolvitur, niſi fortè novo tractetur ſpiritu & iterum diſtilletur, quod hactenus non ſum aggreſſus.

[*D. Paterſon Litt. ad D. Spilenbergerum.*]

SCHOLION.

Plurimæ quidem dantur deſcriptiones Tinct. Corallior. paſſim, hanc tamen cum ſingularem cenſuerit D. Paterſon & à ſe inventam, ut Ephemeridibus Germanicis inſeratur & ab aliis quoque probetur, lubentiſſimè conceſſit: quod ſi & alii Medico-Chymici ſingulares compoſitiones Erudito Orbi communicare voluerint, gratum illud erit & aeceptum, & utilitatem Proximi maximopere promovebit, ac ut ſubſecuturis Ephemeridibus hinc inde inſerentur, ſedulò procurabimus.

OBSERVATIO CLI. BOTANICA.

D. GEORGII HIERONYMI VELSCHII.

XYLALOE CARDIOIDES.

Multa *Xylaloës* genera, nec tamen hodieque omnibus percognita eſſe, notis noſtris in *Sim. Sethi de cibariis*, aliquando ulterius oſtendemus. Nunc interim pauciſſima ſubmonere viſum eſt. Quod vulgò *Lignum Aloës* dictum proſtat, non eſſe optimum, vel inde cuivis patere poteſt, quod certò nobis conſtet, in ipſis plagis Orientalibus, & natali Indiæ ſolo libram illius, pluris quàm apud nos vænire: imò capitis pœna interdictum, ne illud quod optimum eſt, aliis quibuſcumque quàm Regibus offeratur. Non quidem ignoramus, merces nonnullas alicubi minoris liceri, quàm locis. quibus proveniunt, aut unde exportantur. Neque nos latet, pretium illarum quandoque etiam res commiſſas minuere, quas ſc. JCti ſic vocant. Sed quia Rariora nobis nonnulla videre licuit, à vulgaribus longiſſimè differentia, in eam ſententiam, quam diximus, devenimus. Nec tamen in Cimeliarchiis Principum, & Pinacothecis virorum quorumdam celebrium latitantia heic deſcribemus, ſed noſtra tantùm levi, ut aiunt, brachio attingemus. Habemus enim exiguum *ejuſdem fruſtulum*, Maſſilienſium cataplo advectum, *adeò odoratum & pretioſum*, ut ei nullum aliud conferri queat. Habemus & *alterum*, colore parum dilutiore, à Naturâ ita *efformatum*, *ut cordis figuram* perpulchrè *referat*, in dextro etiam latere foramine ſatis hiante & rotundo, pertuſum, tanquam id Venæ cavæ in dextrum ventriculum ſubeuntis veſtigium appareat.

[*D. Velſchius Litt. ex Auguſta Vindelicor. Uratiſlav. ad*
D. Sachſium miſſis.]

* * *

OBSERVATIO CLII. BOTANICA.

D. GEORG. HIERONYMI VELSCHII.

LIGNUM SASSAFRAS à RADICE diverſum.

Quod vulgo *Lignum Saſſafras* in Officinis vocant, *radix* quidem lignoſa *arboris* eſt, ſed verè lignum appellari non poteſt. Hoc enim colore & ſubſtantiâ ipſa duriore magiſque compactâ, plurimùm diſtat, quod ex particulis his Litteris incluſis & tranſmiſſis ad oculum patet: ut ſæpè mirati ſimus, cùm tam ſolidum, & tam pulchrum ſit *Lignum iſtud*, non Medicinæ tantùm, ſed materiariorum quoque operibus commodiſſimum, cur tamen ejuſdem copia nec dum deferri conſueverit.

[*D. Velſchius Litt. ex Aug. Vindel. ad D. Sachſium.*]

OBSERVATIO CLIII. BOTANICA.

D. GEORG. HIERONYMI VELSCHII.

TABACUM JAPONICUM.

Petuni ſive *Tabaci* Indici deſcriptiones nobis plures, dederunt. Pinxerunt etiam effigies nonnulli, non uniuſmodi: aliaſque qualitates quaſdam Braſilienſi eſſe, alias Virginiano, alias aliis locis exculto, nemo, ut putamus, hodie ignorat. Nos etiam *Japonicum* habemus, à nemine, ni fallimur, publicè deſcriptum. Tenuiſſima enim filamenta refert, ut neſcias an florum verius hæc ſubtiliſſima ſtamina ſint, an fibrillæ foliorum, non ſine curâ exquiſitiſſimâ diſcerptorum. Cujus rei noſcendæ quia nos deſiderium tenet, particulam ſubmittimus his Litteris ad explorationem, exiguam quidem, ſed ex ſcatulâ quoque exiguâ Sinenſibus *ſ. Iaponicis Characteribus inſcripta*, ut de genuinâ illius natura nemo dubitare poſſit. Quanquam & ipſo odore, ſapore, & vi narcoticâ, à reliquis tabaci generibus haud parum diſcrepare res ipſa loquatur, multum idcircò apud nos ſupra aurum æſtimatum. Ut plena ſibi fides conſtet, inſcriptionem ſubjunximus, quàm alii hujus linguæ peritiores interpretentur, quia nos, etſi jam dudum illius cognitionem, ad rerum Orientalium omnium, ſed maximè Medicarum apud Perſas & Arabes perfectiorem intellectum, utiliſſimam, imo neceſſariam, impotentius anhelemus, parum tamen hucuſque profecimus.

[*D. Velſchius ex Auguſt. Vindelic.* Litt. *ad D. Sachſium.*]

INSCRIPTIO JAPONICA SCATULÆ.



OBSERVATIO CLIV. PHYSICA.

D. GEORG. HIERONYM. VELSCHII,

JASPIS CARIOSUS.

TRitiſſimum illud:

> *Mors etiam Saxis marmoribuſque venit*;

vermes ſaxorum oſtreorumque, & Ephemerides Gallorum Euriditorum nos primùm docuere: Quibus nunc iſtud, parodiâ uſi, addimus:

> *Et Caries gemmis, Iaſpidibuſque venit.*

Iaſpis enim *nobis eſt*, cæteroquin elegantiſſimus, albo viridique colore variatus, cujus in alterâ ſuperficie, profunda utcumque, & ſinuosâ foramina, conſpiciuntur, quæ vermium ibi latentium quondam corpora, corporumque flexûs, manifeſtè repræſentant. Adjacent undique puncta quædam ſubflaveſcentia, quæ ferreo Stylo contacta in pulverem ſeu *Cariem* facilè abeunt, & foramina poſt ſe relinquunt.

[*D. Velſchius Litt. ex Aug. Vindel. ad D. Sachſium.*]

OBSERVATIO CLV. PHYSICA.

D. GEORGII HIERONYMI VELSCHII.

MARGARITÆ ONYCHINÆ ET MARGARITOmantiæ.

MUlta ex variis terrarum orbis partibus *margaritarum genera* collegimus, non magno qnidem numero, quod felicium eſt, ſed qui animum curioſum juvare, miramque varietatem naturæ, in unâ etiam corporis naturalis ſpecie docere queat. Nec *maturas* igitur tantum, ut vocant, ſive ſplendidas aut perfectas, ſed etiam *immaturas diverſæ magnitudinis, ſubſtantiæ & coloris* inquiſivimus. Ex *iſtis* nonnullas habemus colore, & figuræ quadam enormitate, *non tam Margaritis, quam Onychis ſimiles*, ut primo adſpectu etiam peritum aliquem fallere poſſent. *Has* verò, quia non planè obſcuræ, ut margaritæ ſunt, neque tamen etiam pellucent, ſed *quaſi mediæ* videntur, *Margaritas onychinas* appellare auſi ſumus, non ut alii nos imitentur, ſed ut otioſâ hac nomenclaturâ ingenium oblectaremus. Habemus etiam ex reliquarum numero ſelectas alias, paucis, ut putamus, animadverſas, quæ *non rotundæ* ſunt, *ſed unâ parte convexæ*, *alterâ* propemodum *planæ*, in quibus circulus circumambiens oculorum ſpeciem effingit, quemadmodum etiam in Belloculis dictis, & Onychum ſpeciebus, quales apud nos variæ ſervantur, aliàs enumerandæ. Libuit nobis hac quoque in re ingenioſis eſſe, novumque nomen imponere *Margaritomantiæ*, Germanicè *Perlen Augen*, quod ut fecerimus, Doctiorum veniâ conceſsâ obtinebimus.

[*D. Velſchius ex Auguſt. Vindelic. ad D. Sachſium.*]

OBSERVATIO CLVI. PHYSICA.

D. GEORG. HIERONYMI VELSCHII.

ACHATES APHRODISIUS.

ACHatem Pyrrhi Epirotarum Regis antiquitas celebravit apud Plinium XXXVII. 1. poſt hunc, annulum Polycratis Samii Regia fama eſt gemmæ Pyrrhi illius qui adverſus Romanos bellum geſſit. Namque habuiſſe traditur Achatem, in quâ IX. Muſæ & Apollo citharam tenens ſpectarentur, non arte ſed ſponte Naturæ, ita diſcurrentibus maculis, ut Muſis quoque ſingulis ſua redderentur inſignia. Hunc ſanè egregium fuiſſe quis dubitet?

Sed ut picturam aliquam perfectam retuliſſe credamus, non facilè perſuaderi nobis patiemur, quin eo tantùm modo, quo hodieque ejuſmodi gemmæ plurimæ reperiuntur, pretium ſuum imaginatione, Regiſque auctoritate

potius

potius, quam à ſe ipſo habuiſſe veroſimilius videatur. Quis enim neſcit lapides illos Florentinos, & marmora nonnulla, urbes, pagos, ſilvas, regiunculas integras, animalia item, hominesque repræſentare quidem, non tamen tam accuratè, ac ſi verè depicta hæc eſſent? ſed cùm indicia tantùm quædam præbere videantur, reliqua phantaſiæ opera accedant, neceſſe eſt. Fuerunt quidem, qui his manum pictoris admoverunt, nulloque propemodum negotio adhibitis coloribus, perfectas imagines inde effinxerunt, pleriſque tamen id minimè placere ſolet, quod ad nativum decus omninò pertineat, non per omnia Naturæ artiſve operibus adſimilari. At nos *Achaten* habemus carnei coloris, in quo natura *lunæ corniculatæ effigiem lacteo ſemicirculo* tam perfectè efformavit, ut ne ab arte quidem elegantius pingi potuiſſet. Unde & *Seleniten* aliquando vocavimus, ſed cum adverſâ quoque parte attentius inſpiceremus, *Aphrodiſium* deinceps appellare placuit, quod Veneris ſeu Veſperuginis phaſes illas exactè referat, quas in *Itinerario Ecſtatico P. Athanaſii Kircheri part. 1. dialog. 1. produxit Gaſpar Schottus Iconiſmo V. figurâ III. & IV. p. 133. Franciſci Fontanæ & Ant. Mariæ de Rheita obſervationes ex Ricciolo* tranſcribens.

[*D. Velſch, Litt. ad D. Sachſ.*]

OBSERVATIO CLVII. PHYSICA.

D. GEORGII HIERONYMI VELSCHII.

SPONDYLOLITHI ET DOLICHOLITI

Teriolenſes.

L*Apidum* genus nuperrimè ad nos delatum eſt, ex Comitatu Teriolenſi, quod ad Gagaten referendum exiſtimamus, nigricans, & attritione nonnihil odoratum.

Id quia nemo, quod ſciamus, deſcripſit, à formâ *Spondylolithos & Dolicholithos* appellavimus. Pars enim vertebras dorſales minorum animalium ſatis accuratè, nec epiphyſi utrinque exſtante præteritâ, pars reliqua phaſeolos, magnitudine & figurâ, tam pulchre repræſentat, ut naturales obiter adſpicienti videri queant.

* * *

OBSERVATIO CLVIII. PATHOLOGICA.

D. GEORGII HIERONYMI VELSCHII.

CALCULI PULMONUM.

PHthiſin à catarrhis lapideſcentibus & hæmophthiſin excitantibus jam aliquoties obſervavimus, de quâ, quid olim quærenti viro experientiſſimo reſponderimus, *in ſpecimine Ephemeridium noſtrarum curationum medicinalium*, aliquando, cum Deo, proferemus. Nunc iſtud interea enarrare viſum eſt. Adoleſcens pauperculus, cæmentariis operis adſcriptus, perpetuâ tuſſi excruciabatur, eò vehementius atque periculoſius, quod ſicciſſima eſſet, nullâ humoris excretione, ſummâ violentiâ ſanguinem tamen quandoque extundens, in quo *calculoſa* quædam *congeries* non dura, ſed *friabilis*, calcem concretam referebat, quam nos propterea ex illa quoque ortam conjiciebamus, ut quam quotidie tractare ſoleret. Conſuluimus igitur, ut iſtoc artis genere omiſſo, aliam addiſceret, poſtquam remediis convenientibus ipſi proſpectum eſſet.

[*D. Veſchius Litt. ad D. Sachſium Uratiſlaviam ex Auguſta Vindel.*]

OBSERVATIO CLIX. BOTANICA.

D. GEORGII HIERONYMI VELSCHII.

FRUCTUS AMERICANI NONDUM deſcripti.

PRæclaram, in rerum naturalium novi Orbis deſcriptione, operam navarunt *Guil. Piſo*, *Georg. Marcgravius*, *Joan. de Laët*, & *Nardus Antonius Recchus* cum reliquis, quos *Academici Lyncei* Romæ uno ſyſtemate complexi ſunt. Non omnem tamen ſic quoque illarum vim exhauſtam, cum aliis argumentis atque indiciis probare poſſemus, tum quibuſdam apud nos fructibus, aliiſque à nemine deſcriptis. Ut verè Seneca Naturam Eleuſin appellarit, ſemper occultantem, quod reviſentibus oſtendat. Nos *tres* ex illis hac vice producemus. *Primus* oblongus, lignoſuſque eſt, unâ ſui parte lævis, altera tanquam ſculpturâ aliquâ egregius, quem ideò *cælatum* nominare placuit. *Secundus cordis effigiem* ac colorem refert, quem *cardioidem* diximus. *Tertius rotundus*, cortice ligneo, nucleum continens, colore violaceo, nigris ſtriis inſignis, ex quo vaſcula ſternutamentoria tornantur, tribus parte inferiori ſtellulis conſpicuus, à quibus ſtriæ illæ per convexa corporis, tanquam radii deducuntur, unde & *Triaſterem radiatum*, interea vocare auſi ſumus, dum genuinum nomen alii prodiderint.

[*D. Velſchius Litt. ad D. Sachſium.*

OBSERVATIO CLX. ANATOMICA.

D. GEORGII HIERONYMI VELSCHII.

ANATOME MURIS ALPINI.

M*Urem Alpinum* præterito anno aluimus, adeo cicurem, ut in pedes poſteriores erectus ad menſam ſtaret, cibumque ex noſtris manibus caperet. Hic extremis menſibus ita ſubitò quaſi efferari cœpit, ut ſupellectilem omnem, libroſque etiam adroderet, quamvis nec olera, nec fructus, nec panis, aliaque ipſi deeſſent, quibus abundè exſaturari poſſet. Accelerato igitur exitio ſuo, mactatus adipis causâ, à miniſtris noſtris, cùm ſerius interveniſſemus, ſequentia tantum notare nobis licuit. Quæ *Guillelmus Fabricius Hildanus cent.* 6. *obſ.* 97. prodidit, vulgaria omnia, ſic ſe habere nos quoque conſpeximus. At *linguam* præterea, proportione capitis, totiuſque animalis, ſatis longam latamque obſervavimus, & *laryngem* quoque ſatis amplam vidimus. *Pulmones* altero tanto minores quam *hepar*, *thymum* autem pulmonibus adſitum, juxta arteriam aſperam, planè ejuſdem cum illis magnitudinis. *Ventriculum* ſimpliciſſimum ex duabus membranis tenuioribus compoſitum. *Pancreas* longiuſculum, ſed ſubſtantiæ valde tenuis cum *canaliculo Virſungiano*: quemadmodum etiam & *inteſtina* membranis valde tenuibus contexta. *Lien* digiti longitudine, & ipſe tenuis erat; ſed coloris ſanguinei floridi. In *renibus* carunculas papillares non plures, quàm quatuor deprehendere licuit. *Hepar* verò maximum erat, in quinque lobos diviſum, tres minores ſcilicet, unum majorem, & unum maximum. Ex quibus major ille extremâ ſui parte quaſi trifidus, *veſiculam biliariam* adfixam habebat valde exiguam, *bilem* pauciſſimam continentem, ſed viridiſſimam & liquidam ad inſtar aquæ. In convexâ autem lobi maximi parte *abſceſſus* conſpiciebatur *puſtuloſus*, & quodammodo *cartilaginoſus*, hydatidibus ſatis magnis reſperſus, quæ compunctæ aut diſſectæ, aquam puram fundebant. Huic utrinque duo alii minores glanduloſi, & propriis folliculis concluſi; adſiti erant, quos integros cultello ſeparavimus atque extraximus. Hydropis hoc initium eſſe potuiſſe omninò credimus, exſtillante nimirum ſeroſo humore in abdominis cavitatem, diſcruptis puſtulis. An *adeps* medicinæ tamen utilis hoc caſu? quo plurimo intus erat. Non videtur, atque idcircò abjici juſſimus, oſſiculis tantùm ſervatis, in σκέλετοι compingendis.

[*D. Velſchius Litt. ex Aug. Vindel. ad D. Sachſium Uratiſlaviam.*]

OBSERVATIONES
DE VIPERIS

FRANCISCI REDI
NOBILIS ARETINI
Academici FURFURARIORUM ſive della Cruſca
SCRIPTÆ IN LITERIS
AD
GENEROSISSIMUM DOMINUM
LAURENTIUM MAGALOTTI
MAGNI DUCIS HETRURIÆ
CAMERARIUM
EX ITALICA IN LATINAM TRANSLATÆ.

MI DOMINE,

IN dies magis magiſque confirmor in meo propoſito, me nolle fidem dare rebus naturalibus, præterquam in eo quod meis propriis ego viderim oculis, & niſi per iteratam & rurſus repetitam experientiam idem confirmatum veniat; Ideo quod ſubinde magis animadverto quàm difficillima res ſit, indagare veritatem ſæpiſſimè à mendacio circumventam, & quam multi Scriptores tam antiqui quàm moderni imitantur oviculas illas, de quibus Divinus noſter Poëta:

Come le pecorelle eſcon dal chiuſo
Ad una, a due, a tre, e l' altre ſtanno
Timidette atterando l' occhio, el muſo,
E ciò che fà la prima, e l' altra fanno
Addoſſandoſi a lei, s' ella s' arreſta
Semplici, è quete, e lo inper che non ſanno.

h. e.

Sicut oviculæ procedunt ex clauſtro
Singulæ, binæ, trinæ, & reliquæ ſtant
Timidulæ depreſſo oculo & ore,
Et quod prima facit, & reliquæ faciunt,
Accurrentes illi, ſi ſe ſiſtat
Simplices & tacentes, & hoc ideo, quod melius non ſciant.

Simili ex amuſſim ratione, ſi quiſquam veterum ſapientum retulit in ſua volumina aliquam relationem, à maximâ parte ſucceſſorum excœcatâ, nec inquirente aliud, illa iſta credita eſt, & rurſus de novo, ſub bonâ illius primi, qui eam ſcripſerat, fide, ſcripta eſt; & ſic de die in diem, pſittacorum more proferuntur, & ſcribuntur & leguntur, & creduntur à nimium credulo & inexperto vulgo ſolenniſſima lirteratorum mendacia, nauſeabunda ingenio vigentibus: Ego ſemper laudabo, &, dum ſpiritum ducam, celebrabo gloriam Ferdinandi II. Magni ducis Hetruriæ, *Domini* mei unici, qui ſi quando per brevihorium depoſitis graviſſimis Gubernationis curis, exſpatiatur in amœnitate philoſophicarum meditationum, id haud facit vanæ & otioſæ recreationis causâ, imò verò inveniendæ rerum meræ, nudæ, puræ ac ſimplicis veritatis ; & ob id Regiâ & indefeſsâ magnificentiâ pluribus Viris præſtantibus omnia illa adminicula, quæ ad conſequendum finem uſque adeo laudabilem neceſſaria ſunt, ſuppeditat. Et ſi antiqua fama olim tantopere liberalem deſcripſit Alexandrum in promovendis ſui Ariſtotelis ſtudiis ; meus Dominus, ſicut in munificentia illi magno Monarchæ non cedit, ita quoad cognitionem rerum, & quoad prudentiam longiſſimo intervallo illum poſt ſe relinquit. Et licet noſtro ſæculo non vivat Ariſtoteles, Hetruſca tamen Aula ſemper fovit Subjecta Excellentia & inſignia ; & in hodiernum uſque diem in tanto à nobis ſpatio diſſitâ Angliâ, multiſque aliis remotiſſimis mundi partibus, provenerunt Viri ſublimis famæ, qui cum ſtupore, etiam doctiſſimorum, quotidie magis demonſtrant ſe habere

Plenam Philoſophiæ Linguam & pectus.

Hinc eſt, mi *Domine Laurenti*, quod non poſſim umquam ſufficienter declarare, quot experimenta in hâc Aulâ. poſtquam hinc diſceſſiſti, facta ſint, ipſorumque beneficio quantis mendaciis larva detracta ſit. Ut ſalivam *Tibi* moveam, teque adfeſtinantem reditum ſollicitem, hîc breviter verbis ſimplicibus & abſque artificio recenſebo *Tibi*, ordine, quem memoria ſuggeſſerit, Obſervationes nonnullas quæ ſeptimanis ſuperioribus circa *Viperas* annotatæ ſunt. Et cùm de Viperis diſſerendum eſt, pro excuſando temerario meo auſu, ſuſcipiente materiam, ad quam tot tantique Viri præſentis & præteritorum ſæculorum hallucinati ſunt, perappoſitè utar verbis Juvenis Alcibiadis in Convivio : *Sum*, inquit ille, *in eodem ſtatu cum illis quos vipera momordit. Dicitur, quod ipſimet nolint paſſiones ſuas propalare, niſi apud eos, quos idem animal momordit; ſiquidem dolores ita ſunt acerbi, & convulſiones ita acutæ, quas plaga maligni dentis imprimit, ut, exceptis iis qui experimento id didicerunt, omnibus aliis incredibiles ſint ; & graves angores & miſeri clamores pro nimium teneris & puerilibus querelis reputentur. Unde ego, quem acutior morſus vulneravit, ſcilicet Amor Philoſophiæ, qui nihilo ſecius quam vipera miſerè pungit, imprimis quando ipſe juveniles penetrat animos, aut eorum qui penitus ratione privati, aut omnibus ſenſibus deſtituti non ſunt, animadvertens me ſolum tibi ſoli adeſſe, non erubeſcam palam tibi facere grave delirium quod me rapit, & quam ſollicitus ſum, ut illud cum balſamo veritatis profanetur ; optimè ſciens quam profundè, & non minus me, tu quoque compunctus ſis.* Ineunte Junio afferebantur Neapoli Viperæ pro conficiendâ theriacâ in officinam pharmaceuticam S. Sereniſſimæ A. in cujus & omnium cœterorum Principum Sereniſſimorum præſentiâ cum ſermocinaretur de hiſce animalibus & magna illâ parte quam habent in compoſitione admirabilis hujus antidoti, devenit ſermo *ad eorum venenum*, & *quale id eſſet*, & *qua corporis parte ejus mineram foverent.*

Quidam dixerunt non habere viperas aliud venenum quàm ſuos *dentes*, quos tali figurâ fabricatos eſſe aſſerebant, ut acumine cuſpidis aut aciei dentium inviſibilium in ſuis faucibus (fortaſſe excavatis, aut aliis ignotis ductibus inſtructis) ſauciarent tenellas fibras & ſubtiliſſimos nervos è quibus in majores ramos acerbiſſimi ictus ſerperent & lethales convulſiones derivarent. *Alii* acriter impugnatâ hâc opinione affirmarunt, non eſſe dentem ſive per ſe, ſive ratione figuræ venenoſum, verùm vulnus viam aperire veneno latenti in quibuſdam vaginis, quibus viperæ dentes conteguntur, vocatis à Græcis τῶν ὀδόντων χιτῶνας; & in haſce vaginas tranſmiſſum eſſe illud ex *veſicâ felleâ* per quoſdam ſubtiliſſimos canaliculos, ex hac in gingivas diſtributos, ſubjungentes, *fel viperinum potu hanſtum, eſſe toxicorum omnium quæ in mundo reperiri poſſunt, lethaliſſimum.*

Alii accuſarunt *viperæ ſalivam* ſive ſputum, quam prolicit quando veluti rabioſa, & tota turgens bile morſum minatur.

Quidam jocando ſuggeſſerunt quod forte, ſecundùm opinionem multorum antiquorum, & juxta triviale proverbium, venenum non alibi *quàm in caudâ* aut extremo ejus cuſpide exiſteret. Riſerunt nonnulli Nobilium audientes hanc ultimam opinionem, & unus eorum ſubjunxit, quod è tantâ diverſitate opinionum evidenter appareat, illum antiquum Philoſophum fuiſſe nimium temerarium, qui ſe omnia ſcire ſibi perſuaſerat, & alterum illum nimis modeſtum, qui de omnibus dubitaverat, utque utriuſque nomen promptius ſuccurreret, dixit cum Petrarcha:

Vidd' Jppia il vecchiarel, che già fu oſo
Dir' io ſo tutto; e poi di nulla certo,
ma d' ogni coſa Archeſilao dubbioſo.

h. e.

Vidit Hippias decrepitus, qui olim eſt auſus
Dicere, Ego ſcio omnia; & poſt de nihilo certus
Sed de omni re Archeſilaus dubioſus.

Sic conjecturis finis imponebatur, quando S. A. Ser. juſſit, ut ad indagandam hujus rei veritatem omne experimentum adhiberetur, quodcumque unicuique pro comprobandâ ſuâ ſententiâ facere placeret. Et cùm major pars videretur adhæſiſſe (in eo) ut crederent *fel nudum eſſe veneni lethalis*, decretum fuit à felle faciendum initium, & tanto magis, quia vir doctus quidam & in lectione Autorum tam antiquorum quàm modernorum multorum verſatus, omnia ſua oppigneraſſet, niſi quælibet minima guttula fellis viperini epota, hominem ex robuſtiſſimis, & quamcumque beſtiam ex ferociſſimis necaret, addens quod hodie in judicato eſſet hæc res, quam Galenus medicus docuiſſet, quam Plinius dictaſſet litteris majuſculis; quod Avicennas opinatus eſt, parum medicamenta juvaſſe illos, qui fel viperæ biberant; quod Rhaſes probaverat, nullum (ap. illos) valuiſſe ingenium, nec medicum præſidium, ſed Dei (ipſis) fuiſſe neceſſarium auxilium; quod Haly Abbas affirmavit, tantum-non nullum opponi poſſe remedium infernali huic veneno; quod idem etiam Albucaſi viſum fuit, & cum Albucaſi & cum cæteris omnibus ſupra citatis Authoribus (eandem ſententiam) retulerunt moderni, Guillelmus de Placentiis, Sanctus Arduinus, Cardinalis de S. Pancratio, Bertruccius Bononienſis, Cæſalpinus, Baldus Angelus Abbatius, Cardanus, Julius Cæſar Claudinus & tot tantique alii, quorum honoranda fama in medicorum ore reſonat, & qui ſupergreſſi vulgi gregem meritiſſimo potuerunt

Sedere in Philoſophicâ familiâ.

Et licet *Joann. Baptiſta Hodiernâ* in curioſiſſimis litteris ad doctiſſimum M. A. Severinum ſcripſerit, ſe dediſſe feli buccellam panis felle viperino intinctam, citra quod videret effectum veneni, neque tamen hæc ſola experientia ſufficiebat evertendæ opinioni tot ſolidorum ac principum Doctorum. Præterea videmus quotidiè feles cum lacertulis, lacertis viridibus & ſerpentibus ludendo jocari, eoſque deglutire, etiamſi Albertus Magnus cum magiſtrali animadverſione id neget; fortaſſe perſuaderi quis poſſet, quod felis non fuerit animal proportionatum pro faciendâ tali experientiâ, quemadmodum etiam proportionatus non fuit pullus ille gallinaceus, cui ſupradictus Severinus deglutiendum dedit fel (viperæ) quoniam ſæpiſſimè lacertas, ſerpentes, araneas, & alia animalia venenoſa devorant.

Interea auſcultandi gratiâ ſtabat in angulo quodam *Jacobus Sozzy* viperarum captor, homo comparandus antiquis Marſis & antiquis Pſyllis, qui riſum vix tenens, ſubridendo prehendit fel viperæ, miſtumque dimidio cyatho frigidæ, illud gulæ infudit vultu intrepido, ac conſpiciendum dedit, quàm fuerint deluſi ſupradicti Autores, ſeque obtulit, ad ebibendum omnem eam quantitatem fellis, quam maximam poſcerent. Verumtamen cùm quidam crederent, quod bonus Jacobus ſe præſervaſſet, quamquam id liberrimè negaſſet, aut cum Mithridatio aut Theriacâ aut alio Alexipharmaco, opportunum viſum fuit faciendi alia experimenta & ob id duobus pipionibus grandioribus ad deglutiendum datum eſt, utrique ſine documento: & quod majus eſt, & quaſi non credibile, canis cui dimidia uncia fellis per vim infundebatur, ne minimum quidem accidens exinde paſſus eſt, & ſanus & alacer adhuc hodiè vivit, & niſi aliud malum ipſum occidat, ceterum vivet. Pullis quoque gallinaceis bona fellis quantitas data eſt, & ipſemet fella bina intruſi gutturi pavonis & galli Indici, & quatuor viſcera integra, non removendo fel, feli devoranda dedi, qui, quod affirmare poſſum, delicatulè ſibi labia lingebat.

In aliis animalibus ſæpiſſimè idem expertus ſum, attamen ſemper in diverſâ ſpecie, quoniam, uti optimè noſti, multæ ſunt res, quæ aliis animalibus pro cibo ſunt, & aliis veneno, aut alia accidentia inſolita & noxia cauſant.

Et ut nihil dicam de cicutâ devoratâ à Sturnis, & de Helleboro à Coturnicibus & Capris, referam *Tibi* quod pauci dies elapſi ſint, à quibus obſervaverim, medium granum hoſtiæ illitæ oleo Ricini Simiolo concitaſſe vomitüs, dejectiones alvi, & hypercatharſes anxias & terribiles; & tamen ſex guttæ ejuſdem olei immiſſæ gutturi galli, ipſum non tantum non necarunt, ſed nec minimum faſtidium ipſi aut nauſeam aut alvi dejectionem excitarunt. Per has obſervationes plurimis vicibus factas, manu palpatum cum eſſet, fel viperæ ore aſſumptum neutiquam necare; digreſſum eſt ad conſiderandum, an inſtillatum vulneribus, ipſa veneno inficeret, & poſt multa experimenta in pluribus pullis gallinaceis & columbinis, & privatim à me in cuniculo, agnello & lepore facta, animadverſum eſt, quod nulli illorum aliquam noxam inferendi vi præditum ſit; æque ut nec vim habeat utilitatem aliquam conferendi, nec juvare morſu viperæ impoſitum, quidquid in contrarium dicat *Baldus Angelus Abbatius cap. 5. & 7. & Schroderus in ſuâ Pharmacopœa.*

Cæterum in fundo duarum illarum viginarum (ſeu cavitatum) intra quas repoſitos viperæ habent dentes, humor quidam ſtagnat colore & ſapore ſimillimus oleo amygdalorum dulcium, & hunc crediderunt, uti ſupra ſcripſi, tranſmitti per certos quoſdam canales ex veſicâ fellea. Certum eſt & à me multoties obſervatum, quod, quando vipera evaginat dentes & morſum minatur, neceſſario effundat ſuper vulnus liquorem illum flavum, non ideò, quod vaginæ rumpantur, quemadmodum ſtatuit Mercurialis, Grevinus & alii, qui invenerunt quaſdam veſicas ſub lingua numquam viſas, ſed quia ſemetipſas vaginæ comprimunt, & ringuntur ſive contorquentur, non aliter ac follis flatum emittens aut canis labra ringens ſive dentibus hitriens, quando morſum minatur.

Quæſitum eſt *an liquor iſte ore aſſumptus queat necare*? & à quibuſdam conſtanter affirmatum eſt, ſed ab aliis eâdem conſtantiâ negatum, & idem ſupradictus Jacobus Viperarius obtulit ſe ad ebibendum ejus cochlear plenum, & dictum factum, viſus eſt illud delicatiſſimè & per vices deguſtare ſive clambere.

Jam, ſi quiſquis es Lector, creditum es tardus
Hoc quod dicam, non mirabere,
Quod ego, ut vidi, vix mihi credidi.

Jacobus viperam ex maximis, & ferociſſimis & iratiſſimis prehendit. & curavit ut in dimidium vini cyathum non ſolùm omnis liquor, quem in vaginulis habebat, profflueret, ſed inſuper omnis ſpuma omniſque ſaliva, quam ſerpentulus hic exagitatus, percuſſus, compreſſus, iratus rejicere potuit, & ſic bibit hoc vinum, ac ſi eſſet tantùm julebus perlatus; & ſequenti die cum tribus viperis contortis inter ſe, denuò eumdem luſum exhibuit, ſine ullo metu, quia ipſi haud erat cauſa timoris; namque

Timeri debent ſolum ea
Quibus eſt potentia nocendi
Non alia, quia terribilia non ſunt.

Ob id ego quatuor capita viperæ ſemiviva, & ſanguinem ſtillantia & ſquallida, immerſi in ſcyphum aquæ plenum, & cum gladiolo (lancettâ) reſecui omne pulpamentum palati & maxillarum, & curavi, ut omnis humiditas quæ ibi continebatur inde ſcaturiret, donec aqua redderetur ſpumoſa, turbida & abominabilis, poſtea quaſi totam una cum intrito infudi in ſtomachum hœdi, & reſiduum, quod ſupererat, anati fiebat juſculum commodum, ſed nec hæc nec ille ullum veneni accepti ſignum dederunt.

Non itaque erit temeritas, ſi dicatur, quod deluſus ſit Albertus Magnus, eruditiſſimus Mercurialis, ſubtiliſſimus Capivaccius, & celeberrimus Zacutus, quando dicunt, vinum in quo ſuffocata ſit vipera, eſſe ſemper peſſimum venenum & lethale, & qui his prior deceptus fuit Aëtius, & Aëtio prior Dioſcorides, affirmando id non ſolùm de vino illo, in quo mortuæ ſint viperæ, ſed & de hoc, in quod hæ beſtiolæ caput, bibeudi cauſa, immerſerint. Sed non vidi (has beſtiolas) adeo cupidas hujus pretioſiſſimi liquoris, uti Ariſtoteles & Dioſcorides ipſas faciunt, nec novi quomodo urceoli vino intra ſepes abſconditi ad capiendas illas decipulæ ſint accommodatiſſimæ; quandoquidem aſſervans nonnullos cyathos (vino) plenos, in ciſtis ubi viperæ degebant, non ſolùm numquam laſſus fui in obſervando, an viderem ipſas unicam guttulam lambere, verùm nihilo ſecius diligentiſſimè obſervavi, an ſi non adeſſem, inde bibiſſent; tractu tamen plurimi temporis non vidi plus conſumi quàm quod calidiſſimus aër ambiens potuiſſet exhaurire. Et hoc è contrario multas difficultates mihi movit ad credendum veram eſſe hiſtoriam à Galeno recenſitam lib. 2. de ſimpl. Med. fac. quod, cùm aliquando ampulla vini meſſoribus quibuſdam delata, & in campo, (loco non longe ab illis diſtante) collocata fuiſſet, ubi illi ex eâ infundere in ſcyphum voluiſſent ut biberent, vidiſſent viperam irrepſiſſe & ſuffocatam fuiſſe. Propterea dico, ſi vipera potuiſſet intrare in illam ampullam, neceſſe fuiſſet, ut fuiſſet aperta; & ſi aperta fuiſſet, eadem facilitate, quâ intraverat, iterum regredi potuiſſet; eadem planè ratione, quâ ſæpius vidi viperas ex lagenis longiſſimi colli tam vino plenis quàm ſemiplenis, in quas incluſeram, evadere.

Concedatur tamen accidiſſe hunc caſum, quod illa vipera non potuerit viam reperire quâ exiret, non ob id ſequitur, neceſſe fuiſſe, ut illa tam ſubitò ſuffocaretur; etenim viperæ per aliquod tempus natant in omnibus liquoribus, beneficio cujuſdam veſiculæ aëris plenæ, quam in corpore habent, non valde diſſimilem illi aliorum piſcium. Nec refert, quod objiciatur odorem vini vaporoſum potuiſſe in momento viperam inebriare & ſuffocare, quoniam ipſemet viperas immiſi in vaſa vitrea vino generoſiſſimo Alicanto, & aliis ſpirituoſiſſimis Neapolitanis & Siculis plena, & ſemper obſervavi, quod vivæ ſunt ſervatæ natando, ſpatio circiter ſex horarum; & quando violenter detinui omnimode ipſas in vinum demergendo, ſervatæ tamen ſunt ibi in vitâ pariter horam unam cum dimidiâ; & cum tandem eſſent mortuæ & plures dies eas ſervaſſem optimè clauſo orificio anguſto vitri, mihi declararunt non eſſe verum illud, quod *Paulus Æmilius Ferraldus* refert, quod talis modi vaſa rumpantur ob nimium calorem carnium viperinarum in iis maceratarum: Et per conſequens debile & vacillans eſt fundamentum illud (quantumvis à Severino conſideratione dignum reputetur) pro decernendo quam calidi temperamenti ſint hi ſerpentuli; De quibus tandem hoc *Tibi* dicam, quod diutius vivi conſervantur in aquâ quàm in vino, cùm plurimi in aquâ tertium diem attigerint, & ulterius detenti ſub aquâ plurimi duodecim circiter horas ſupervixerint; quo tempore exacto cùm morerentur & ipſorum cadavera aperirentur, & cor inſpiceretur, ſemper inveni auriculam utramque multo majorem ipſimet cordi factam eſſe, licet in ſtatu naturali ſint minimæ, uſque adeo, ut quidem minus acutos adhibentes oculos pro vero dixerint, Cor viperinum habere unicam auriculam. Sed prætermiſſâ hac digreſſione, redeo ad deſcriptionem *liquoris illius flavi*, qui intra vaginas dentes contegentes invenitur. De hoc cum ore aſſumptus neque hominibus neque brutis lethalis ſit, pergam inquirere an fortaſſis vulneri inſtillatus cauſa mortis exiſtat? Et verum eſt, ſpatio trium quatuorve horarum mortuos eſſe omnes gallinaceos omneſque columbinos pullos, quorum vulnera eo infecta fuerunt, tamque necare liquorem viperarum vivarum quam deſumptum è palato & vaginis viperarum mortuarum, etiamſi mortuæ ſint ante 2. vel 3. dies. Ejus rei experimenta pluſquam centum in diverſis animalibus faciens, omnia me confirmarunt, ut credam Cleopatram, tunc, cum mori conſtituiſſet nullatenus ab Aſpide ſe morderi paſſam eſſe, ut quidam Hiſtorici referunt, potius verò, quod illa, modo magis expedito, magis ſecuro, magiſque ſecreto, poſtquam ipſa ſe vulneraſſet aut ſuum admordiſſet brachium, ſtillaverit ſuper vulnus (uti narrat Autor Libri de Theriaca ad Piſonem) venenum, quod ex Aſpide expreſſum in pyxidula, in talem eventum paratâ, conſervabat: Vel quemadmodam refert Dio, quod illa vulnerârit brachium acu venevatâ, quam crinibus ornamenti cauſa infigere conſueverat, eratque illud venenum talis naturæ, ut nemini noceret, niſi quando acus pungendo Sanguinem attingeret.

Et confirmor in hac opinione, quoniam licet dicant Aſpidem multò venenoſiorem eſſe Viperâ, quod in præſenti concedam, nullatenus tamen illa (Aſpis) eſt ex hac proſapiâ ſerpentum, qui (juxta mentem Nicandri, Æliani & aliorum) habent dentes caninos opertos vaginis in quibus venenum aſſervant, & illud venenum profluit totum ſi non primo, ſaltem ſecundo morſu, ſic ut tertius (ſæpius hoc compertum eſt) non venenoſus ſit, & ob hanc cauſam Circumforanei & Agyrtæ ſine periculo ſe morderi à viperis patiuntur: proinde Cleopatra unâ ſolâ Aſpide mortem inferre Naëræ & Carmionæ ſuis famulis, & demum ſe ipſam enecare non potuit, & tanto minus quoniam ſæpè tali animalculo primo morſu dentes evelluntur. Addeſis, quod mortuâ Cleopatrâ in illo cubiculo ſerpens homicida non inventus fuerit, & nemo non naturalem horrorem novit quo fœminæ omnes adſpectum, nedum contrectationem ſerpentum abominantur. Nec ullius ponderis eſt, quod in

Auguſti Triumpho viderint Romæ Cleopatræ Imaginem , tenentis manu Aſpidem, jam jam vulneraturam brachium, ſic enim ludit Sculptor ſive Pictor, qui alio magis evidenti modo , Populo delineare non poterat modum mortis, quem Regina ſibi elegerat ad effugiendam ſervitutem Victoris Auguſti. Non diſparem licentiam ſatis crebro ſibi hodierni Pictores ſumunt, atque inter alias ejuſdem argumenti Petrus Victorius illos vituperat , quod Cleopatram pingant ab Aſpide mammas demorſam, Plutarcho, Propertio, Paulo Oroſio , & Paulo Diacono referentibus , quod non pectus, ſed brachium admorderi paſſa ſit.

Et hâc licentiâ pictoriâ non ſolum hodierni ſed & antiqui uſi ſunt, quandoquidem apud Gorleum gemma invenitur , cui inſculpta viſitur Cleopatra vulnerata ab Aſpide in mamma. Et licet Petri Victorii cenſura reprehendatur à Baldo Angelo Abbatio, affirmante quod veriſimilius ſit, quod permiſerit ſibi pectus commorderi, tanquam partem Cordi viciniorem, nihilominus perdoctè Victorius defenſus eſt à *Gaſparo Hofmanno* Philologo & Medico noſtri temporis eruditiſſimo *l.* 1. *var. lect.* Sed ut ad noſtrum propoſitum redeam, valdè miror quod Sapiens & optimus Senex Marcus Aurelius Severinus , in cognitione viperarum verſatiſſimus & experientiſſimus indubitanter dicat, quod ille liquor flavus, vulneribus illitus , ea non veneno inficiat, perſuaſus ſolis duobus experimentis, uno in criſta galli, altero in manu vulnerata cujuſdam ſui famuli, quia oportet confiteri quod tentando experimenta

Veræ ſepius apparent res,
Quæ duditandi dant falſam materiam
De veris cauſis, quæ ſunt abſtruſæ.

Et ſæpius accidit, quod hæ veræ cauſæ propter quædam impedimenta ignota aut non obſervata non poſſint demonſtrare ſuos effectus. Poſſum quoque affirmare *Tibi*, me uſu didiciſſe , quod Oves, Canes, pulli gallinacei meo inſtinctu rabioſè demorſi à viperis, paucos ante dies in campis meridie ardentiſſimo captis, non ſint mortui, & econtra, demorſus à Viperâ, mortuus eſt pullus gallinaceus, cui plagam dentibus inflictam, exſecueram, & optima diligentia curaveram, ut ille malignus liquor, qui in vaginis abſconditur , excerneretur. De his omnibus pullis gallinaceis columbiniſque quarum plagis venenum fuit affrictum, evaſit aliquando Unicus ; & evaſit forte, quia,quando puncturâ ſubtiliſſimâ cultelli raſorii (ſeu ſcriptorii) eum ſauciavi , incidi venam majuſculam ex qua abundanter proſiliente ſanguine , potuit ex accidenti fieri, ut venenum ad interiora non penetraret , quin potius cum regurgitante Sanguine, tanto ſpatio, quantum *capiat* Una vel altera hora poſt egreſſum, toxicum ex Corpore fuerit propulſum.

Hinc ergo equidem colligo , quantum poſſit juvare illos , qui à Viperis ſunt demorſi, ſcarificare juxta præceptum antiquorum, locum commorſum, ad evocandum Sanguinem, aut applicare cucurbitulam, aut admovere unam aut duas hirudines benè purgatas, aut etiam exſugendum præbere homini vulnus. Obſerves etiam *Dn. Laurenti*, Avicennam animadvertere, ne ille, qui exſugit ejuſmodi vulnera, habeat dentes corruptos & carioſos; Et ante Avicennam valdè judicioſè Cornelius Celſus & Aëtius admonuerunt (etiamſi Severinus ſe decipiens judicet hanc cautelam eſſe frivolam) ne ulcera aut vulnera in ore habeat, quoniam venenum exſuctum mortem cauſare poſſet, quod aliàs, etſi in ſtomachum deſcenderet, neque Sanitati neque vitæ officeret. Et hæc nullatenus nova eſt doctrina ſed ſatis antiqua, & à modo nominato *Celſo* nobis ſuppeditata dicente: *Nam venenum Serpentis, ut quædam etiam venatoria venena, quibus Galli præcipue utuntur, non guſtu, ſed in vulnere nocent.* Poſt Celſum idem etiam animadverterunt *Galenus l. 3. de Temperam. & Autor de Theriaca ad Piſonem cap.* 10. Sed inter omnes belliſſimè *Lucanus* tunc, quando deſcripſit Catonem deducentem Romanum exercitum per Libiæ arenoſa deſerta:

——— Jam ſpiſſior Ignis,
Et plaga, quam nullam ſuperi mortalibus ultra
A medio fecere die, calcatur & unda
Rarior: inventus mediis fons uſus arenis
Largus aquæ; ſed quem ſerpentum turba tenebat
Vix capiente loco, ſtabant in margine ſiccæ
Aſpides, in mediis ſitiebant dipſades undis.
Ductor ut aſpexit perituros fonte relicto,
Alloquitur: Vana ſpecie conterrite lethi
Ne dubita miles tutos haurire liquores:
Noxia ſerpentum eſt admixto Sanguine peſtis,
Morſu virus habent, & fatum dente minantur;
Pocula morte carent: dixit, dubiumque venenum
Hauſit.

Pro Confirmatione hujus Veritatis, ſi tibi non ſufficerent omnes ſupra allegatæ probationes & autoritates, ſcito, quòd diverſæ Perſonæ coxerint & comederint hilariter omnes univerſos illos bonos pullos gallinaceos & columbinos & omnia reliqua animalia quæ Viperæ momorderant, quicquid dicat Matthiolus non poſſe id fieri ſine manifeſto veneni periculo; Utque omne tollatur dubium omniſque ſcrupulus, de crudis etiam & jam jam occiſis viperis, ipſas devorandas objeci Cani, Civettæ ſeu Hyænæ odoriferæ, & cuidam ex avibus rapacibus, Tinnunculo, quem Itali *Gheppo* vocant. Pariter expertum eſt quod terribilia, horribilia & hominibus lethalia jacula Incolarum Inſulæ Bantam feriendo per-brevi tempore mortem concilient, ſed epoto vino aut alio liquore, in quibus plures dies ſtetere infuſa, ne minimam quidem alterationem ſanitati inducant.

Legitur in ſupra citato *libro de Theriaca ad Piſonem*, quod Dalmatæ & Sacæ venenarint jacula, fricando ea ſuper Helenium, & cum illis ſaltem leviter vulnerantes, dummodo ſanguinem tetigerint, occiderint, cum tamen Helenium ad comedendum fuerit ipſorum cibus innocentiſſimus, & Cervos & reliquas feras iiſdem telis occiſas, omnimodè ſecurè comederint. Quomodo igitur, ſi venenum Viperarum guſtu non ſolùm non eſt lethale, ſed nec ullo modo noxium, quomodo, inquam, poterit eſſe vera hiſtoria Matthioli, aut illa altera Amati Luſitani, duos juvenes vulneratos à vipera, mortuos eſſe quod ipſi ſibi exſuxiſſent plagam morſu inflictam? Meo arbitrio probabile videtur dictu, quod illi mortui ſint, non quia ſua ſibi vulnera exſuxerint, ſed utique quia à Vipera erant morſi, aut ſugendo non omnem extraxerant venenoſitatem, aut quia in ore habebant quoddam vitium, ſibimet illam communicarunt, aut denique quia ipſis non præſto erant alia neceſſaria medicamenta interna, quemadmodum tempore, quo Pompeius Rufus Ædilis fuit, Romæ accidit circumforaneo cuidam, paſſo ut medio foro Aſpis brachium commorderet; qui licet ſibi morſum exſugeret, nihilominus duorum interſtitio dierum vitâ privatus eſt: Quod ipſi evenit Æliano teſte, quod ejus æmuli abſtuliſſent aut effudiſſent aquam quandam medicatam, quam ſibi pridem præparaverat pro potu, non vero pro collutione oris, quoniam in defectu hujus aquæ, poterat flagitante neceſſitate lavare ſe aut vino aut aquâ ex proximo fonte hauſta: atque etiamſi dicat Ælianus, quod huic ipſi, priuſquam exſpiraſſet, computruerint & gingivæ & facies; nihilominus hoc non eſt argumentum ſufficiens ad probandum, fuiſſe (putredinem) effectum ſuctionis, quoniam Dioſcorides, Actuarius & Cæſalpinus docent, quod illis qui à Vipera ſunt vulnerati, præter alia accidentia, etiam gingivarum morbus ſuperveniat, & exhalet, quemadmodum Aldrovandus loquitur, flatus gravis & putridus ex ipſorum ore; & juxta Avicennam, inflentur ipſorum labia, id quod non accidit, ſicut per experientiam vidi infinitis vicibus, illis qui abſorbent aut deglutiunt venenum ex Viperis. Immo canis, cui affricari juſſi morſum in extremo naſo, uſque adeo illum linguâ deterſit, ut mortem evaſerit, nec tamen linguæ nec gingivis aliquid mali accidit. Etiam antiquitus homines erant qui pretio conducti artem exſugendi morſus venenatos profitebantur. Et in hoc argumento ſuccurrit mihi exemplum pulchræ charitatis ſimulatæ Auguſti, qui (quemadmodum legitur apud Suetonium & Paulum Oroſium) Cleopatrâ defunctâ, mandavit ut à Marſis & Pſyllis ejus ſugeretur vulnus; & hanc fictam pietatem abundanter illis temporibus uſitatam invenio circa initia Magnorum Imperiorum, quare non multos annos ante ſubverſam Alexandriam,

> Cæſar poſtquam proditor Ægypti
> Sibi fecit donum onerati verticis,
> Celans gaudium apertum
> Planxit per oculos publicè, ſicuti eſt ſcriptum.

Cato etiam in Africa, refert id Plutarchus, ſuſtentabat in ſuo exercitu multos

tos Pſyllos, ut medicarentur vulneribus ſerpentinis exſugendo ex illis venenum. Ne vero perſuadeas *Tibi*, quod ſi Pſylli, Marſi & Ophiogenæ illorum temporum magis peculiari & propria Virtute præditi fuerint illâ, quam quivis homo neglectiſſimus hodierno die. Et quamvis Plinius pluribus in locis, & Aulius Gellius recenſent, quod illud fuerit donum providæ naturæ, ſolis illis populis conceſſum, quibus etiam in more erat poſitum probandi pudicitiam ſuarum Uxorum, exponendo tenellos filiolos in medium ferociſſimorum ſerpentum, nihilominus haud adducor, ut hoc credam, verum multo magis fidem dare malo Cornelio Celſo, qui multis annis ante Plinium & Gellium nobis ſcriptum reliquit: *Neque herculè, ſcientiam præcipuam habent hi, qui Pſylli nominantur, ſed audaciam uſu ipſo confirmatam.*

Et mox: *Ergo quiſquis exemplum Pſylli ſecutus id vulnus exſuxerit, & ipſe tutus erit, & tutum hominem præſtabit.* Et ipſi Pſylli non minus quam alii homines mordebantur â ſerpentibus, & pro ſanatione opus habebant alexipharmacis, quod colligo ex illo libro, quem Damocrates Medicus & Poëta Græcus ſcripſit de Antidotis, inter quæ unum legitur, de quo ipſe affirmat, quod illo utebantur Pſylli, tunc quando erant à viperis morſi.

Σφόδρα ἀγαθὴ δύναμις, ἣ καὶ χρωμένους
Πίνοντας αὐτοὺς οἶδα, δηχθέντας κακῶς
Τοῖς ἀρπεθήροις ἔχεσι τοῖς καλυμμίοις
Ψυλλίοις.
Illius eſt vis optima, & lethaliter
Ego vulneratos Pſyllos ſerpentibus
Hoc antidoto uti inter bibendum vidi.

Et an ille Ophiogenes, Æſagon vocatus, evaſerit ſanus & ſalvus ex dolio pleno ſerpentibus, in quod, ut ſuæ virtutis experimentum daret, juſſu Romanorum Conſulum incluſus fuerat, ſit fides Veritatis apud Plinium, qui hoc refert. Adhuc hodiè confiderem cum homine, quicunque is ſit, aut alio animali facere ſimile experimentum, dum modo mihi conceſſa ſit electio ſerpentum; & prætermiſſis multis aliis, recorderis illorum ſerpentum, qui in anguſta ſpelunca propè Braccianum circumvolvunt ſe circa nuda corpora illorum, qui ſe eò deferri patiuntur, convaleſcendi cauſa à quibuſdam morbis contumacibus & chronicis, ſæpeque ſuam intentionem conſequuntur, neſcio an propter ſerpentes implicatos adhærentes, aut, quod mihi credibilius videtur, propter ſudorem quem copioſiſſimum Calor ſpecus provocat, ſaltem interea me ſubmitto prudentiſſimo judicio illorum Autorum, qui de hac ſpecie ſerpentifera accuratiſſimè ſcripſerunt, & ſpeciatim Doctiſſimi & nunquam ſatis laudati Thomæ Bartholini & curioſiſſimi Athanaſii Kircheri. Fuitq; ſemper in mundo magna quantitas illorum Marſorum & Pſyllorum, non quaſi eſſent ex proſapia illorum, qui gloriabantur de fabuloſâ origine ex Filio Circes, & ex Rege Pſyllo, verum quia, quod obſervat celebris *Thomas Reineſius in var. lect.* illis temporibus idem nomen ſibi arrogabant omnes illi, qui profitebantur artem exſugendi venenata vulnera, & capiendarum viperarum.

Et Galenus mentionem facit cujuſdam ex his, qui primus in Aſia inſtituerit artem hujus venationis; & Romæ in Aula Imperatoria erant ſervi huic ſolo officio deſtinati; referente ſupra nominato Galeno, ſe medicatum eſſe uni, qui demorſus à Vipera Ictericus evaſerat. Erant itaque omnes vilis & abjectæ conditionis, hinc eſt quod *Martialis* ad retundendum faſtum ſuperbi Cæcilii, ipſum ita alloquatur.

> Urbanus tibi Cæcili videris.
> Non es, crede mihi: quid ergo? Verna es.
> Hoc quod tranſtiberinus ambulator,
> Qui pallentia ſulfurata fractis
> Permutat vitreis: quod otioſæ
> Vendit qui madidum cicer coronæ:
> Quod cuſtos, Dominuſque viperarum:
> Quod viles pueri ſolariorum: &c.

Dum hactenus demonſtravi *Tibi*, quod ſine periculo poſſint morſus viperini exſugi, colligere hinc potes, quæ fides dari queat omnibus illis quæ recenſentur in infra ſcriptis Epigrammatibus, quorum Autores videntur ſcripſiſſe id quod ipſis viſum eſt fore ut contingeret, ſi tales caſus darentur. Atque quemadmodum credo mundum ſemper eodem modo ſtetiſſe, ſic credere juvat, quod ſicut videmus hodierno die multis Verſificatoribus aliquid in mentem venire, quod aliquid inſoliti aut acuminis ipſorum palato fovere videatur, ſubitò adaptant conceptum Carmini (quod Sonnetum vocant) unde obſervamus ſæpiſſimè primos quaternos & quandoque primum ternarium verſuum eſſe texturam, haud illi ſimilem quâ Petrarcha & alii Poëtæ meliores utuntur, ſed corraſum ex conceptibus & nobilioribus ſententiis, & tandem ſuppletam verbis, nequaquam realibus, ſed ſolummodo ſufficientibus ad cogendos ultimos illos tres Verſus, qui fuerunt occaſio & materia Carminis; ſic fortaſſe potuit contigiſſe in illis temporibus, ut cum illi Autores formaſſent ſuum conceptum de planta, fingentes morſum à Vipera inflictum uberi Cervæ & Capræ ſilveſtris, hinc & Medicina Veneno per ſuctum ſuorum partum lactentium, & tandem hiſce mors, ac matribus vita reddita. Epigrammata ſunt ſequentia:

ΠΟΛΥΑΙΝΟΥ.

Δορκάδος ἀρτιτόκοιο πελωριάδος οὖθαρ
  Ἔμπλεον ἐκδῦσαν πικρὸς ἔτυψεν ἔχις.
Νεβρὸς δ' ἰομιγῆ θηλὴν σπάσε, καὶ τὸ δυσαλθὲς
  Τραύματος ἐξ ὅλου πικρὸν ἔβροξε γάλα.
Ἄνθι δ' ἠλλάξαντο, καὶ αὐτίκα κῆλα μοίρης,
  Ἣν ἔπορεν ζωὴν, μαζὸς ἀφεῖλε χέειν.

h. e.

Grande recens fœtæ cum cerneret uber alumnum
Forte fero capreæ vipera dente ferit.
Hinnulus hinc mammæ trahit immedicabile vulnus
Et lac de diro vulnere triſte bibit.
Sic illi mortem crudelia fata dedere,
Quodque alvus dederat, ſuſtulit uber ei.

ΤΙΒΕΡΙΟΥ ΙΛΛΟΥ.

Κεμμάδεος ἀρτιτόκου μαζοῖς βρίθουσι γάλακτος
Ηφοίην δ' κευθὼς ἰὸν ἐνῆκεν ἔχις.
Φαρμαχθὲν δ' ἰῷ μητρὸς γάλα νεβρὸς ἀμέλξας
Χείλεσι, τὸν κείνης ἐξέπιεν θάνατον.

h. e.

Cervæ forte recens fœtæ turgentia lacte
Ubera lethifero vipera dente ferit.
Hinnulus at ſubitò ſugit lac triſte labellis,
Interitum matris ſemianimiſque bibit.

Præter ſuctionem Vulnerum, utiliſſimum etiam exiſtimo eſſe ex conſilio Galeni, ſi fiat ſtricta ligatura, non procul à Vulnere, in parte ſuperiore, videlicet ne per Sanguinis circulationem Venenum ad Cor feratur, totaque ſanguinea maſſa inficiatur. Nec refert quicquam ligamentumnè ſit ex lanâ aut lino, aut ſerico, aut Corio, fuit etenim illecebra hominis ſimplicis, vel potius nimium ſuperſtitioſi, quando Gilbertus Anglicus ſcripſit, plus juvare ligaturam cum corrigia ex pelle Cervina. Proinde laudabile erit, fidem non dare ejuſmodi nugis, quales invenire eſt apud Plinium, Aëtium, & Quintum Serenum Sammonicum, quod Caput recenti viperæ avulſum, ſicque calidum & cruentum mortificaturæ impoſitum antidotus ſit mirabilis ejuſdem Veneni. Hinc reſultat ſine dubio cauſa, cur audeam dicere eſſe infantilem ſimplicitatem, ſiquidem multa & repetita experimenta cum ratione conjuncta mihi non impoſuerunt. Deceptus ſanè eſſet, qui proſpiciens ſibi remedio pro morſu venenato, ſolummodo confideret mirabili efficaciæ quam Scriptores Citrio Pomo tribuerunt, unde legitur apud Athenæum, duos Criminum reos, condemnatos ut ab Aſpidibus icti morerentur, & ab his ſæpius rabioſè demorſos, nihilominus vim veneni non ſenſiſſe, ea de cauſa, quod paulo ante, quam infelices illi acceſſiſſent ad patibulum, quædam condolens & miſericors fæmella, ipſis comedendum exhibuiſſet malum citrium. Infeliciores illis fuerunt duo gallinacei pulli, qui à me quatuor diebus continuè nutriebantur hordeo infuſo in decocto Citri, ultimò eorum gutture impleto fruſtulis citriorum & citrato: elapſis duabus horis curavi ipſos à Viperis duabus morderi & unxi inſuper Vulnus in ſimul cum Q. Eſſentia Corticum Citri, aſt intra tres horas morientes ambo anſam mihi colligendi dederunt, hanc medicinam eſſe fruſtraneam, & hiſtoriam Athenæi fabuloſam. Fabuloſum etiam nihiloſecius eſt, quod de aſtrali (ſicuti vocant) & magica Virtute ſignaturarum in plantis ſomnia, verunt quidam Authores & ſi imprimis præſtans unus celebris noſtro tempore, & à me multum æſtimatus Chymicus Oſvvaldus Crollius, ejus rei prius aliquod experimentum edidiſſet, nunquam pennâ excidere permiſſet, quia Spinæ Capparum ſignaturam habent dentium viperinorum, eâ de Causâ Cappares eſſe ſummum & præſentiſſimum remedium ad ſanandos Viperarum morſus. Ego feci experimentum, non ideo quod ſperarem vel crederem verum eſſe effectum, ſed ut poſſem cum veritate ſcribere, me comperiſſe; & ipſiſſima hac veritate confiteor *Tibi*, quod optimo ſtudio expertus ſum aliquot alias celebres herbas à Dioſcoride & Plinio deſcriptas, ſemperque deluſus ſum; nihilominus anniſus ſum videre magna ea miracula, quæ illis herbis attribuunt. Unde placuit mihi credere aut quod illæ non habeant tantas facultates, aut ſaltem habuerint

Temporibus antiquis quando boves loquebantur
Et Cœlum plures benignitates quam nunc ſolebat producere.

Forte illis temporibus felicibus, verum erat, quod Caput viperæ jugulatæ filo ſerico carmeſino, & collo appenſum, ſanitatem reſtitueret anginâ laborantibus, & præcaveret, ne unquam hoc ferino, & præcipiti morbo infeſtarentur, ſicuti ſcribit cum multis autoribus Abimeron Abinzoar, vulgo dictus Avenzoar, & ſicut hoc ſibi vulgus perſuadet: Equidem novi Virum in Civitate non procul à Florentia diſſita, qui pro quovis pretioſiſſimo theſauro, non deponeret à Collo, Viperæ Caput, quod perpetuo appenſum gerit, quanquam ſingulis annis, circa principium Aprilis infallibiliter hôc morbô vexetur, & niſi Medicus ipſius, citra moram ſuccurreret largis Venæ ſectionibus & aliis efficacibus remediis, mihi videtur, quod ſuffocatus permanens, verum redderet ex parte pronunciatum Avenzoar. Fortaſſe in illa antiquâ ætate non erat mendacium, ſicut hodie eſt, quod recenſet M. A. Severinus, quod capi demorſi & interempti à Viperis, & comeſti à quartana laborantibus, ſint præſens medicamentum ad exſtinguendum focum febrilem, qui ſpatio plurium annorum contumaciter aliàs ſolet vigere in humanis Corporibus, in contemptum omnium illorum remediorum, quæ à Medicis ſunt ſubminiſtrata.

Ut jam redeat eò, unde digreſſa erat, mea Epiſtola, videtur inveſtigatione dignum, an revera venenifer ille liquor, ſcaturiens ex Vaginis dentium, tranſmittatur (ſicuti cum multis aliis credit Baldus Angelus Abbatius, & inter plurimos modernos eruditiſſ. Samuel Bochartus in ſua doctiſſima Geographia Sacra) ex theſauro fellis mediantibus quibuſdam minutiſſimis ductibus ad Caput derivatis: & licet ad videndos illos ſæpius atque ſæpius accuratè intendiſſem ſupercilia, ſicut Senex Sartor ad Crenam acus;

Nihilominus tamen illos cernere non fuit poſſibile. Proinde certiſſimè opinor, non habere viperam taliſmodi ductus ex felle in caput, niſi quos pia meditatione quidam ſcriptores ſibi imaginati ſunt. Hoc vero mihi perſuadet Color fellis, tinctus ex viridi ſatis florido, qui ſane debebat viſum facilitare. Mihi perſuadet etiam conſideratio, quod fel, judicio ſaporis præditum eſt vellicante & aſperâ amaritie, ubi ille alter liquor, qui fundatur in Vaginis dentium inſipide-dulcis eſt, & quemadmodum ſupra dixi, ſatis convenit cum oleo amygdalotum dulcium. Inſuper, ſiquidem canaliculus quidam ibi ſit, qui ex jecore in fel procedit, factus ad deferendum humorem bilioſum ex jecore in Veſicam ipſius fellis, non vero in Veſicam partium ſuperiorum, & quo tota pleniorque certitudo afferri queat, prematur Veſica fellea, & ſentietur eſſe impoſſibile; ut humor bilioſus poſſit verſum ſuperiora currere; econtra vero, ſi prematur verſus inferiora, paulatim videtur omnis exſtillare ad inteſtina.

Niſi puderet ſcribere citra reprehenſionem illud, quod in cogitationem incidit, dicerem fortaſſe, illum liquorem flavum non aliâ viâ mitti ad caput (in ſupradictas vaginas dentium) quam per illos ductus ſalivales, noviſſimè inventos à celeberrimo Thoma Varthono, & in hac Aula à Laurentio Bellini juvene doctiſſimo, & maximæ exſpectationis, & monſtratos in aliis animalibus, exceptô homine, & ſpeciatim in Cervis & Picis; præter quos inferius ad fundum illarum vaginarum binæ exſtant glandulæ, à me in omnibus Viperis inventæ. Noli ergo criminis arguere hanc meam opinionem, quaſi poſſet eſſe quædam Chimæra ſicut Chimæram credo eſſe opinionem illorum, qui dixerunt illum liquorem in faucibus Viperæ reddi venenatum, poſito, quod ut referunt Ariſtoteles, Pauſanias, & Autor libri de Theriaca ad Piſonem, Vipera veſcatur herbis lethiferis, Scorpionibus, Cantharidibus, Bruchis & aliis cantharis affinibus inſectis venenoſis. Chimæram, inquam, credo eſſe, quoniam citra repetitionem, quicquid edat Vipera, ſufficiat dicere, quod ipſa vivit in ſcatulis octo, novem, & plures menſes ſine cibo, & tamen poſt adeo diuturnum jejunium mordendo venenat: Imo Galenus in illô tractatu quem ſcripſit ad Pamphilianum de uſu Theriacæ, vult ipſam eſſe magis venenoſam ita famelicam, quam tunc, quando recens capta eſt; & Autor libri de Ther. ad Piſon. credit, quod minus turgeat Veneno poſtquam devoraverit illa cantharis affinia inſecta.

Inſuper Experientia id confirmat. Accipe Viperam ex illis, quæ diutius in ſcatulis fuerunt aſſervatæ; ac mordeat bis terve pullum gallinaceum uſque dum mordendo omnem liquorem contentum intra vaginas excreverit: Si ut ab eadem vipera alius pullus mordeatur curaveris, hic ſecundus non morietur. Repone poſt Viperam in ſuam Scatulam, reſpice ſpatio quatuor aut quinque aut plurium dierum, & deprehendes fundum vaginarum plenum ſolitô liquore; Sique tunc Vipera denuo momorderit, cauſabit mortem, & tamen dictis iſtis diebus jejuna permanſit, nec voravit inſecta venenoſa, ex quibus potuiſſet generari in faucibus Venenum.

Sed quid Tibi dicam de dentibus? Quam plurimi parvi videntur in faucibus Viperæ dentes tam in maxilla ſuperiore, quam in inferiore; ſed de his in præſenti nil dicam, ſolummodo diſſeram de illis majoribus, qui canini vocantur; quot eorum vipera habeat ex libris diſcere nequeo. Nicander vetus Poëta, qui floruit tempore Ptolomæi VII. & Attali, ultimi Regis Pergami, ſcripſit maſculum habere duos dentes, & fœminam habere plures quam duos, ſed numerum non declarat:

> Τοῦ μὲν ὑπὲρ κυνόδοντε δύο χροῒ τεκμαίρονται
> Τὸν ἐρευγόμενοι, πλέονες δέ τοι αἰὲν ἐχίδνης.
>
> Huic gemini apparent dentes in carne venenum
> Fundente dirum, ſed fœmina pluribus atrox.

A Nicandro penitus dependent, & univerſim ab ejus græco Scholiaſte, Autor libri I. Th. ad Piſ. Rhaſes, Avicenna, Actuarius, Johanneus, Gorræus in Notis ad Nicandrum. His adhæret pariter magnam partem Autor illius græci tractatuli qui inſcribitur

ΔΙΟΣΚΟΡΙΔΟΥΣ ΠΕΡΙ ΑΝΤΙΦΑΡΜΑΚΩΝ.

Hoc opuſculum nondum typis excuſum proſtat, ſed conſervatur Florentiæ in famoſiſſima Bibliotheca Medicea ad S. Laurentium in pulpito 86. in illo Codice in quô Scripta exſtant Commentaria Michaëlis Epheſii de partibus animalium. Si liceret meum dare judicium de hoc ſcripto, dicerem, illud falsò ab amanuenſibus attributum fuiſſe Dioſcoridi, & multo potius eſſe Opus Eutechnii Sophiſtæ Græci, qui compilavit Paraphraſes ex Nicandri libris, nondum in lucem datis & conſervatis in jam dicta Bibliotheca in ſupra citato Codice Michaëlis Epheſii. Perſevero dicere me non credere quod fallor, niſi nervus ſcribendi Eutechnii me fallit, aut quiſquis ſit Autor illius Paraphraſis, & certa ipſi conſueta & interrupta Continuatio ordinis à Nicandro obſervati; quod reliquum Opus non reipſa hoc præſtat, quod titulus promittit.

Aëtius determinavit numerum binarium in maſculis, & quaternarium in fœmellis, eandemque cum ipſo Aëtio ſententiam foverunt Iſaacus, Franciſcus Caballus Brixienſis, Zacutus Mercurialis, Amatus Luſitanus, Franciſcus Sanches, Gaſparus Hofmannus, & alii minoris famæ,

[Quos nominare perdere foret operam.]

Paulus Ægineta, Haly Abbas, tam maſculo quàm fœmellæ tantum *binos* adſcribunt: Vincentius Belvacenſis numerat *tres*, Baldus Angelus Abbatius & Veslingius *quatuor*; & Albertus Magnus affirmat, Viperam marem habere *duos dentes* in ſuperiore maxillâ, & *duos* in inferiore correſpondentes ſibi invicem. Joannes Hodierna in Epiſtola ſuâ diligenti & curioſâ de dente viperino, poſtquam dixit, quod minorum dentium numerentur quadraginta octo, deveniens ad enumerationem majorum, illorum numerum ſilentio tranſit. Marc. Aurel. Severinus aſſerit in unaquaque maxillarum ſuperiorum ſe vidiſſe ad minimum *tres*, *quatuor*, atque etiam *quinque*, fortaſſe quoque *ſex*. Cuinam jam credere debemus? Dicam *Tibi* hoc, quod vidi pluſquam in trecentis Viperis. Viperæ unius æque atque alterius ſexus habent tantummodo *duos dentes* caninos, cum quibus mordent, firmos, & ſolidos, emicantes ex oſſe maxillæ ſuperioris, ſingulos pro latere, & operiuntur ab illis vaginis, de quibus ſupra *Tibi* narravi, modo non multum diſſimili illi, quo ipſemet ego hoc anno vidi Leones & Feles contrahere aut contegere ungues intra brancas.

Verum itaque eſt, quod intra has vaginas ad radices ſupra nominatorum duorum dentium, enaſcuntur plures alii minores, & numeravi hos uſque ad ſeptem per totam vaginam, & omnes juncti invicem in uno faſciculo (veluti in pratis nonnulli fungi minores ad radicem fungi majoris) naſcuntur, nec æquali magnitudine, ſed unus in ordine altero minor, nec ſunt adeo duri & radicati in maxilla, ſicut dens major, quin imo perparum adhærent, & illiſi facillimè excidunt, cum dens major non ſine violentia evellatur. Et ſi quandoque, quod tamen raro contingit, invenitur aliquis majori æqualis, putandum unum de duobus vacillare, moveri, & caſui proximum eſſe; Proximum caſui dico, quoniam dantur Autores, qui docte affirmant, quod quovis tempore Viperæ dentes excidant & renaſcantur. Dicti dentes interius ſunt cavi & perforati (canalium inſtar) uſque ad extremum apicem, & viderunt eos per Microſcopium moderni Scriptores, & videri poſſunt etiam ſine Microſcopio, quando ſicci ſunt, ob id leviter contuſi ſinduntur per longitudinem radicis, uſque ad acumen in tres aut quatuor feſtucas, monſtrantes ad Oculum internam Cavitatem, quam etiam antiqui obſervarunt & præcipuè Plinius & Autor de Ther. ad Piſon. quando ſcripſit: καὶ δὴ καὶ μάζας τινὰς ἐπιδιδόντες ἐμφραττούσας τῶν ὀδόντων τὰ δρίμματα, καὶ ὑπὸ τούτων ἀθεϊῆ γίνεται τὰ δήγματα. Proinde non credo verum eſſe, quod, quia interius cavi ſunt illi dentes ſint, receptaculum Veneni, nec quod per ſtrictiſſimum foramen inciſionum in Vulneribus quas mordendo Vipera facit, currat, quoniam apprehenſâ vipera & ore ipſius vi divulsô, etiamſi contegantur dentes, incipit flavus ille & peſtilens liquor ſupra dentem diſcurrere, non intra cavitatem, ſed evidenter forinſecùs à radicibus ad acumen, & de hoc oculi mei multoties pleniſſimam apprehenderunt experientiam. Enimvero ſicut dentes non ſunt receptaculum aut vaſculum Venenoſitatis, ſic neque ex ſe venenati ſunt, quandoquidem ab hominibus ſunt deglutiti, & ego profundè gulæ intruſi ſex (dentes) caponi, qui non ſolum non mortuus eſt, ſed nec indicium ullum futuræ mortis præbuit. Præterea Viperæ mortuæ & viperæ vivæ evulſi dentes, iiſque punxi collum, pectus & femora quorumdam Gallorum juvenum; & licet dentes quaque infixi in vulnere manſerint, non (tamen) mortui ſunt; & nepos ſupra nominati Jacobi, Viperarii, multoties cum dentibus quocumque tempore evulſis & calidis manus ſuas compunxit, pungendoque inde ſanguinem prolexit, nec aliud malum ſupervenit, quam accidere ſolet puncturæ ab aciculis aut ſpinis. Et jam clareſcit quod Baldus Angl. Abbatius & Sbroderus ex proprio Cerebellô, non vero ab experientia edocti, ſcripſerunt, quod dentes viperæ mortuæ interficiant; itaque Vulgus certum eſſe poterit, fuiſſe illud inventum fabuloſum, quod indies enarratur de morte illius Pharmacopæi, qui contrectando caput Viperæ ante annum interfectæ improvide ſe punxerit.

Fabula tamen non eſt, & ego teſtari poſſum me multoties vidiſſe, quod caput mediâ horâ poſt detruncationem, dum adhuc quidam motus ſupereſt & ita loquendo, quædam ſcintillula vitæ, ſi mordet, occidit ac ſiquis Sphacelo correptus eſſet, nec contulerit ad ſanationem omnis univerſa ſuavis muſica famoſi Artii Melani, Equitis Ceſti, aut argentea vox Ciccolini cum omnibus inſtrumentis muſicis quæ antiquæ & modernæ Scholæ invenerunt.

Ne rideas *Dn. Laurenti*, nec videar *tibi* quicquam inconcinnum dixiſſe. Recordare quod noſtri quidam Philoſophi & præprimis Pythagorici fuerunt tam faciles & proclives ad credendum, ut ſi demonſtravero Muſicam eſſe valentem medicinam quorumdam morborum Corporis; & Theophraſtus, quemadmodum in Noctibus Atticis Auli Gellii legitur affirmavit, excellentes Muſicos ad exemplum cujuſcumque celeberrimi Medici, poſſe ſanitatem illis reſtituere, qui à Viperis demorſi ſunt, & M. A. Severinus vir Doctiſſ. & diligentiſſimus in Vipera Pythia idem repetit & pro vero habet; Et Zacutus l. 5. H. Medic. Princip. pariter id confirmat, & anxiè meditando & controverſando longum & futilem nectit diſcurſum, ut cauſas naturales reddat, nec recordatur quod Euridice juvencula uxor omnium nobiliſſimi Muſici, compuncta à Vipera vitæ dies finiverit, non juvante Canoro Marito aut minimum afferente commodum. Sanè idem accideret Medicis hodierno die ſi medicari tentarent per Sonum Cytharæ morſuras malignæ illius beſtiolæ. Niſi timerem, ut nimium te detineam, commemorarem *Tibi* lepidum jocum, qui accidit muſtaceo cuidam Medico, qui cum legiſſet quod Iſmenias Thebanus ſanaſſet acerbiſſimos dolores Iſchiadicos non alio remedio quam cantando quaſdam amœniores melodias, & ipſe flocci faciens remedia excellentiſſima, hoc ſolum Muſicæ adhibere voluit. Sed de hoc alibi. In præſenti ſufficiat, ut ad finem quam primum pergere liceat. *Tibi* narro; viperam non habere in cauda aculeum aut ſpinam aptam, quâ poſſit pungere, & ab omni homine ſecure, & in cibo poſſe comedi; & licet, quando Viperæ ad conficiendam Theriacam interficiuntur cum capite etiam Cauda abſcindatur, non ob id pro partibus venenoſis habendæ ſunt, ſed propterea quia oſſeæ partes ſunt & carnibus deſtituuntur. Accedit certa quædam ſuperſtitio, quæ unde originem traxerit, ignoro, eodem ad amuſſim modo referente Severino in Vipera Pythia, quo vulgus averſatur eſum capitum & caudarum Anguillarum.

Quod ſi vero quis eſſet, qui omnino putaret Caudas viperinas eſſe venenatas & pertinax eſſet ad obtinendum, ſodalitio tot tantorumque Antiquorum modernorumque ſtipatum ſenem Andromachum non potuiſſe mentiri, quando in ſecunda parte ſui Poëmatis cecinit:

Οὖλα γὰρ ἀμφοτέρω φέρξαι ἐπὶ τύμμασιν ἄχθη,
   Λυτρὸν ὑπ' οὐραίην ἰὸν ἔχει φολίδα.

Amborum morſus longi tormenta doloris
   Fert, ſub enim Caudâ craſſa venena ferunt:

Dicito

Dicito tamen illi mea Cauſa, quod quicumque talem ſibi impreſſerunt opinionem, non viderint, quemadmodum ego vidi, homines & alia animalia comedere non ſolum capita ſed & caudas viperarum coctas & crudas; atque etiam quod majus eſt, dum Viperæ vivunt ut incandeſcant & irritentur ad mordendum, vidi ab hominibus caudas ore prehendi, & acerrimè admordere & lacerari.

Pariter ut omnia brevibus comprehendam, *dico Tibi*, *Viperam humorem, excrementum aut partem ullam non habere quæ bibita aut comeſa interficere valeat; caudam non habere quo pungat; Dentes caninos tam maſculorum quam femellarum non plures eſſe duobus, cavoſque eſſe à radice ad apicem*, *nec* licet feriant, *eſſe venenoſos*, ſed tandummodo aperire viam Veneno viperino; *quod Venenum non eſt, niſi Sanguinem attingat: Venenum aliud non dari niſi illum liquorem qui palatum humectat, & in vaginis dentes operientibus reſtagnat, non ex Veſicâ felleâ eò tranſmiſſum, ſed generatum in univerſô Capite, & derivatum fortaſſe ad Vaginas, per quoſdam ductus ſalivales, quos fortè Caput illis communicat.* Sed in hoc magis *Tibi* ſatisfieri poterit, quando legeris litteras, quas concepi ſcribere ad Doctiſſ. Dominum *Carolum Datium*, continentes *Deſcriptionem Anatomicam omnium partium internarum & externarum Viperæ & aliorum ſerpentum*, qui non venenoſi ſunt, & cognoſcere poteris quam falſò Autores nonnulli antiqui ſcripſerint, quod his (ſerpentibus) & viperis deficiant quædam partes, quas tamen, ſi benè vident, habent; & ſpeciatim ductus urinarios, qui, poſtquam per totam longitudinem à Renibus ſeparati ſunt, dehiſcunt, non, quemadmodum videtur oculatiſſimo Joan. Veſlingio, in inteſtinum rectum, ſed in parvam & elatam fiſſuram, ſitam in fœmellis inter utrumque Orificium uteri: Et inter hos canales inveni quandoque quendam parvum calculum, quemadmodum inveni in carne ipſorum renum. Legeris etiam, Viperam non habere cerebrum coloris nigri quod Bald. Angel. Abbatius credidit, ſed quemadmodum album eſt, ita non eſt tam parvæ molis tamque leve, uti dictus Autor vult, dicens, quod vix æquet quatuor grana milii, cum ego obſervaverim quod ut plurimum, uſque ad duodecim circiter aut tredecim grana ejuſdem milii pendat. Verum in mirabili & ſubtiliſſimâ Oculi fabrica nanciſcêris egregiam occaſionem philoſophandi & excitandi nobiliſſimas contemplationes circa originem Nervorum, Tunicarum & Humorum, inter quos cryſtallinus perfectè ſphæricæ eſt figuræ, ad inſtar illius in maxima parte animalium in Aquis degentium.

Videris jam expectare à me doctum aliquem, ſubtilem & maximi momenti diſcurſum, commemorando *Tibi* quo modo *venenum Viperinum Vitam* abigat, & corporibus mortem inferat; *utrum* illud hanc introducat agendo vi occultâ, & humano intellectui non penetranda, *an* vero tantummodo ad cor delatum excutiens illi atomos calorificas omnimodè refrigeret, & glaciet; *an* ſaltem multiplicando & magis vividas reddendo eaſdem atomos (cor) nimium calefaciat, ſiccet, adeoque reſolvat & deſtruat ſpiritus; *an* vero tollat illius ſenſum; *an* dolorificâ punctura irritando faciat, ut ſanguis nimium interruptè ad Cor rediens ipſum ſuffocet ; *an* impediat motum Cordis, congelato ſanguine in vno aut altero ſuo ventriculo, ita ut amplius non poſſit ſe conſtringere & dilatare ; *aut* ſolum id præſtet, ut Sanguis non ſolum coaguletur in ventriculis cordis, ſed & in omnibus univerſis venis detineatur. Si hoc à me flagitas, falleris ; certum enim mihi eſt cum hoc ſit ex illis tot tantiſque rebus, quas nec ſcio, nec ut ſcire poſſim ſpero, quoniam poſt tot experientias factas hoc ſolo fine in canibus, felibus, ovibus, capris, pavonibus, columbis & aliis animalibus, non tamen huc uſque inveni certi aliquid, quod pleniſſimè mihi ſatisfaceret, atque pro vero ſcribere poſſem. Et licet in quibuſdam animalibus mortuis à Vipera inveniatur tale coagulum ſanguinis in ventriculis Cordis, idem tamen non ſemper in omnibus inveni, imò econtrario idem coagulum ſæpius vidi multis in animalibus non hoc modo mortuis. Vidi id in corde hominum mortuorum ex morbo naturali, & poſtremo in cane occiſo ſagittâ ex Bantam. Et liceat mihi in tranſitu *Tibi* dicere, quod iſte canis poſt mediam horam quàm erat percuſſus, frequenter vomuerit, & cum labore, tandemque cum ululatibus & convulſionibus horribilibus mortuus ſit, in univerſis viſceribus ejus non reperiebatur minima læſio, & ille ipſe locus in femore, in quem ſagitta ſe inſinuaverat, nec ad minimum, colorem mutaverat ; & præterea *Tibi* dicam, diligentiſſimum & excellentiſſimum Anatomicum Tilemannum, dum hunc canem ſecaret, diuque & exquiſitiſſimè omnia interiora manibus verſaret, non ſenſiſſe faſtidium aut morbum, & tamen aliquando mihi narraſti, quod valde egregius Vir *Tibi* commemoraverit, quendam juvenem, qui canem ſimili ſagittâ interemptum diſſecaverat, graviter ægrotaſſe. Potuit contingere ipſum ea de cauſa ægrotaſſe, verum ego ſolum referro viſa, nec commovet me quod alius ſcripſit ; nam amor veritatis eſt qui vetat me credere illis,

Qui potius ad verbum quam verum dirigunt vultus,
Et ſic confirmant ſuas opiniones.

Præſentes fuerunt huic operationi illi gemini doctiſſimi & famoſiſſimi Angli, celebris Mathematicus Joan. Alphonſus Borellus & ingenioſiſſimus Antonius Uliva, & ſi potuiſſent invenire iſti Autores qui docuerunt, quod illi qui corpora veneno infectorum demortuorum tractent ſe exponerent manifeſto vitæ periculo, credo quod illi confeſſi fuiſſent quod ipſorum ſuſpicio vana fuiſſet ; & ſi Capivaccius fovet eamdem opinionem, dicendo, quod apud veteres condemnati ut biberent venenum, morem habuiſſent, ut ante deglutionem venenatæ potionis ſe lavarent, ea de cauſa ne illi qui mortuos hos lavaſſent poſt mortem, & ad quos hoc officium ſpectabat, inficerentur, & pro hujus confirmatione quædam verba adduxit ex divino Philoſopho in Phædone à Socrate prolata, excuſationem peto à Capivaccio, quod non conſentiam hic cum ipſo, ſcriptore alias magni nominis & famæ, nam quod credit quod Socrates verè crediderit quod ex corpore ſuo veneno infecto poſſet exire aliquis lethalis halitus nocivus illis quibus incumberet ut ipſum lavarent, injuriam facit magnam ſapientiſſimo huic Viro, qui (quod perſpicuè declarant verba à Phædone relicta) non eam ob cauſam lotionem inſtituit, ut crederet has nugas, nec monſtrat quod hoc credidiſſent prudenter iſti viri ipſi adſtantes: Sed ſe lavabat tum ut tolleret quædam dubia vulgaribus iſtis mulierculis; quæ debebant ipſum mortuum lavare, quæ tanquam nimis formidoloſæ, ſordidæ, & lucroſæ, ſolitæ erant facere multos rumores & proclamare fœtores cadaveris, quando fortè ipſis injunctum fuerat lavare eorum Cadavera qui veneno erant ſublati: verum quod veriſimile mihi apparet, Socrates lavare ſe volebat, ut dum ſeipſum vivum poſſet lavare, nollet eumdem faſtidioſum laborem iſtis fœminis relinquere. Et ut videre poſſis, quod à veritate non ſim alienus, non intermittam verba ipſiſſima Socratis adſcribere, ut in lingua græcâ fuerunt conſignata, & à me quoque in noſtrum idioma tranſlata: Καὶ σχεδὸν τιμοι ὥρα τραπέσθαι πρὸς τὸ λουτρόν. δοκεῖ γὰρ ἤδη βέλτιον εἶναι λουσάμενον πίνειν τὸ φάρμακον καὶ μὴ πράγματα ταῖς γυναιξὶ παρέχειν νεκρὸν λούειν. *Nunc tempus eſt ut eam ad lotionem, namque mihi convenientius videtur bibere venenum poſtquam fuero lotus, ut non dem mulieribus faſtidium lavando cadaver.* Nollem ut quis in eam deveniret ſententiam, ut putaret me in animo habere, Capivaccio, & reliquis nominatis Authoribus auferre illam maximam æſtimationem, quam ſuo merito tenent, talis non ſum, nec valens quoque ut hoc efficerem, & comparatione facta ad illos, ſum in iſtis rebus ſtupidus; inſuper quod in omnibus ferè ſcriptoribus ſimiles parvi momenti nævi facilè inveniantur & ſpeciatim in iis, qui multa ſcripſerunt.

Omnes ſumus homines & conſequenter ſubjecti erroribus, ſolus Deus ſapiens eſt, quod optimè cognovit Pythagoras, quando reſpuit nomen ſapientis & aſſumpſit aliud, nempe Amatoris ſapientiæ. Laudo omnes ſectas Philoſophorum, & in omnibus invenio plurimas res, quæ ubi ſunt denudatæ, monſtrant veritatem, ſed etiam in iis invenio multa quæ cum veritate parvum vel nullum habent conſenſum. Amo Thaletem, amo Anaxagoram, Platonem, Ariſtotelem, Democritum, Epicurum, omnes illos Principes ſectarum philoſophicarum, attamen hoc non facit ut vellem ſerviliter jurare in illorum verba, & pro veritate habere omnia illa quæ dixerunt, aut ſcripſerunt, ſicut quotidiè fieri ſolet à viliſſimâ plebe petulantiſſimorum ſectariorum, qui præ nimio, aut ut ita dicam, rabioſo amore, quem gerunt verſus caput ſuæ ſcholæ, negant audire illi contrarias opiniones, & ſi conſtringantur ut audiant, & evidentibus rationibus convincantur, dum non alium exitum inveniunt aut ſubterfugium, ad cavillationes, ſcommata, ſophiſmata, & ſub finem ad clamores deveniunt, & ſi quis ipſis cupit experimentum exhibere, manibus oculos contegunt. Et certè ſcio quod egregius doctus Magiſter in Scriptis Peripateticorum & Vir venerandus, ut non cogeretur confiteri veras eſſe antea non viſas ſtellas & alias curioſas novitates in cœlo à Galileo repertas, noluerit unquam Teleſcopium oculo admovere: & alius cui dixeram, quod parvi iſti bufones qui æſtate quando pluvia incipit decidere , ſaltant in publicis pulverulentis viis , non naſcantur in ipſo momento dum incorporatur pluvia cum pulvere, ſed quod jam ab aliquot diebus nati fuerunt, & promitterem , quod vellem ipſi dare experimentum verum hujus rei, ut poſſet videre & tangere manibus, quod omnes illi quos videret & putaret hoc ipſo momento natos, gererent ſtomachum herbis repletum, & inteſtina ſimiliter excrementis, non tamen potui eum eò inclinare ut conceſſiſſet aperire unum quem elegiſſet in ipſius præſentia. Melior mos fuit Potamonis Alexandrini, qui Autor fuit Sectæ Electivæ dictæ. Huic prudenti Philoſopho, modò addiſceret Veritatem, nihil referebat an ipſam inveniret in Schola Ionica ex ore Anaximandri, aut ex Italica ex cathedra Pythagoræ, ſic ex omnibus Sectis indifferenter decerpebat pulcherrimos flores veritatis, aut ad minimum opiniones probabiliores. Eodem modo procedo ut ipſum imiter, quandoquidem ſciam, quod quotidiè poſſet non ſine cauſa mihi objici:

Sed quis tu es, qui vis ſedere in ſella
Ut è longinquo judices à multîs milliaribus
Cum viſu vix ſpithamam longo ?

Nihilominus abhorrendo à mendaciis vivam maximè contentus cum me ipſo & cum mea naturali inclinatione, quæ in laborioſa indagatione Veri

Tanto plus poteſt, cum bonâ intentione adjuvatur.

Jam mecum conſtitueram finire Epiſtolam, ſed hoc mihi denegavit nova Series rerum curioſarum, quæ non ſunt indignæ ut innoteſcant. Ex his eſt, quod quidam referunt, quod *in Viperarum femellarum inteſtinis*, quamvis ſint vivæ, *non innaſcantur lumbrici* aut Vermes, ſed Experientia docuit me contrarium, & præteritis diebus inveni plus quam triginta vivos in ſtomacho, in inteſtinis, & jam dum in Aſpera Arteria in una eademque vipera fæmella: & minores illorum lumbrici longitudine & craſſitie erant inſtar fuſorum minorum, quos Fœminæ adhibent Colis, & majores erant longi quatuor digitos tranſverſos, & craſſi inſtar Chordarum quæ adhibentur fidibus majoribus pro cantando Baſſo. Primi erant Coloris albi, alteri ſubrubentes, & poſtquam è Ventre viperæ fuerunt exemti, vixerunt adhuc per tres horæ quadrantes; & de his vermibus intelligendus eſt meo judicio locus Senec. L. II. Nat. quæſt. quando dicit: *In Venenatis Corporibus Vermis non naſcitur. Fulmine icta intra paucos dies Verminant.* Etenim manifeſtè videtur, quod Senec. loquatur de Vermibus naſcentibus ex Carne putrefactorum corporum mortuorum, dum mentionem facit corporum fulmine percuſſorum, & per conſequens de interemptis, quæ poſt paucorum dierum ſpatium poſſunt vermibus ſcatere. Et ſi meipſum fallo in explicatione loci hujus Senecæ, prævalebunt Mercurial. & Severin. qui ſtatuunt Senecam intelligere illos Vermes, qui naſcuntur in corporibus animalium venenatorum viventium. Sed quicquid ſit, non negari poterit ſive hoc ſive altero modo intelligatur, Senecam, non multum abeſſe à vero, nam ſicuti dixi, ſæpè in viperis vivis tam maſculis quam fæmellis inveniuntur iſti Vermes, & Cadavera demortuorum Vermibus ſcatent, licet fulmine non ſint tacta, & non ſolum verminoſa fiunt illa cadavera quando putrefiunt, ſed & proceſſu temporis, aridi pulveres viperini verminationem experiuntur licet ſicci, & cum Elixir vitæ ſpirituoſo, ut ita dicam, balſamati ſint.

Poſt hoc non penitus erit noſtro propoſito incongruum, ſi inquiratur an *Corpora Viperarum*, aut loca ubi ſe abſcondunt, aut Ciſtæ in quibus conſeruantur, vere expirent odorem fœtidum, & abominabilem, uti Aldrovandus ſtatuit cum plurimis Recentiorum, & olim quoque Martial.

Quod vulpis fuga, Viperæ cubile,
Mallem, quam quod oles, olere Baſſe

Quibus reſpondeo quod neque viperæ, neque excrementa ipſorum Inteſtinorum fœtorem habeant, neque exinde relinquunt malum odorem in locis iis ubi habitant, & ego in Scatulis in quibus conſervantur, modo non ſint in illis mortuæ, aut ſcatulæ nimis anguſtæ & ſine debitis ſpiraculis pro aëre, nunquam ſenſi illum fœtorem nauſeabundum cujus meminit Aldrov. Hoc quidem affirmo, ſi viperis maſculis, ſicut & aliis ſarpentibus comprimuntur duo membra genitalia, & fœminis viperis duæ iſtæ veſiculæ ſeminales, quæ vicinæ dependent ad duas portas uteri, exilire exinde aquam ſubtiliſſimam odoris fœtidi, deteſtandi, ſylveſtris & propriè ſerpentini, & exinde Errorem deſumpſit Geſnerus, qui non potuit diſtinguere, num fœtor iſte veniret ex excrementis Inteſtinorum, an ab iſta aqua: quod melius obſervarat Ælian. l. 9. Hiſtor. Anim. μιγνόμενοι δ' ἀλλήλαις οἱ ὄφεις βαρυτάτην ἀφίασι. Unde pro ſalvanda Autoritate Martial. poſſet fortean dici, quod explicat malum illum odorem, quem habebat Baſſus in iſtis partibus, de quibus melius eſt ſilere, quam dicere, cum ſine fundamento anteponeret illi hunc quem exſpirant Viperæ è locis generationi deſtinatis, & eo magis quod vox illa *Cubile* à Martial. adhibita non ſolum ſignificet locum ubi dormit & requieſcit Vipera, ſed propriè magis accipienda eſt in illa ſignificatione, quâ multi Latini utuntur, & in ſpecie Cicero in plurimis locis; & de Filia Regis Niſi apud Ovid. l. 8. Metam.

Nam pereant potius ſperata Cubilia, quam ſim
Proditione potens.

Et Atalanta in l. 10.

Quod ſi felicior eſſem
Nec mihi Conjugium fata importuna negarent,
Unus eras cum quo ſociare cubilia vellem.

Eâ ipsâ ſignificatione legit vulgata verſio in Geneſi : *quia aſcendiſti Cubile Patris tui, & maculaſti ſtratum ejus.* Et verbum *cubitare* in Plaut. Curcul. in Pſeudol. in Sticho, & verbum *cubare* in Amphitr. eamdem habent ſignificationem, & ut relinquam Græcos, ne nimis extravagari videar, noſtri Florentini quoque adhibuerunt τὸ *jacere* in eodem ſenſu. Exempla ſunt apud Boccat. in Relat. 29. tit. Giletta *jacebat* cum ipſo, & habebant exinde duos filios : & relat. 63. 67. 72. Et in Magiſtro Aldobrandino : *& hoc probat per Experientiam, quod ille dicat ut ipſi incidantur duæ Venæ, quæ ſunt retro aures, cui hæ venæ ſint inciſæ & apertæ non habet poteſtatem jacendi cum fœminis*; & ex manuſcripto antiquiſſimo de Vita S. Anton: Tu *jacuiſti* ô mala Fæmina cum Amaſio tuo, & non times appropinquare altari ſancto. Itaque ex ſolis partibus genitalibus viperæ provenit malus odor, & non ex toto Corpore, nec ex ipſorum habitu, nec ab excrementis Inteſtinorum, quæ ut non habent fœtorem, ſic nec odorem ullum, quod omniſqui curioſus eſt inveſtigare poterit. Unde neſcio ex qua Cauſa delicatæ fragrantiæ ſtercoris viperini Lucius Meinerus argumentum deſumpſerit, quod temparamentum Viperarum ſit ſiccum, & doctiſſimus Petr. Caſtellus in L. de Hyæn. odorifera, quando ſcribit, quod ſtercus quorundam ſerpentum odorem Moſchi habeat; ſi loquendo de Serpentibus ſimul Viperas includat, credo quod ſit deluſus. Idem dico de Eruditiſſimo Joan. Rhodio qui in Obſerv. medic. affirmat certiſſimum ſe eſſe redditum de odore iſto ſtercoris ſerpentini in itinere quodam quod feciſſet in monte Baldo, quem obſervaverit abundaſſe maximè Viperis.

Si tranſcurram huc & illuc & ſine ordine, & confusè, ne ſupercilium moveas aut ſcandalum capias, ſed recordare quod ſtatim in principio proteſtatus ſim, me velle ſcribere quicquid in manum memoria ſuppeditaret, itaque recordor, quod Gal. & alii egregii Viri moderni doceant, quod eſus Carnium Viperinarum inexſtinguibilem & ardentiſſimam ſitim inducat. Hæc doctrina paſſa eſt exceptionem in virtuoſo & nobiliſſimo Viro, cui Corporis habitus gracilior, & in primo flore juventutis, qui hâc æſtate per quatuor Septimanas continuas ſingulis matutinis horis bibit drachmam unam pulv. viperini infuſum in brodio facto cum media Vipera capta ex Collibus Neapolitanis; circa prandium aſſumpſit juſculum factum cum pane immerſo in brodium viperinum, loco ſalis condîta cum pulvere viperino & delicata facta cum corde, hepate, & carnibus conciſis hujus Viperæ, ex quâ brodium factum: Bibebat Vinum in quo ſuffocatæ erant Viperæ: circa merendam ſumpſit Emulſ. factam cum Carnis viperinæ decocto, & ſub cœnam juſculum ſimile priori in prandio ſumpto; & tamen confeſſus eſt quod nunquam toto illo tempore habuerit ſitim, ne dum appetitum ut continuo biberet, nec plus bibit quam quod ipſi videbatur neceſſarium pro ſanitate. Septuagenarius quoque non habebat ſitim unquam, qui tamen in menſe uno cum dimidio abſumpſit plus quam nonaginta Viperas æſtate captas, & toſtas eo modo quo ſolent coqui præparare anguillas. Idem accidit Fœminæ quæ fuit annorum 25. Et ipſe curavi, ut torrerentur pro curioſitate mea explenda aliquot Viperæ, nec unquam odoratus ſum illam ſuaviſſimam fragrantiam, quam quidam Viri fide digni Severino dixerunt exſpiratam fuiſſe ex toſtis Viperis, uſque adeo ut omnis vicinia accurriſſet propter inſolitum & delicatiſſimum hunc Odorem.

Si porro comeſtio carnium Viperinarum producat in juvenibus fæminis, quod quidam Authores ſtatuunt, illam partium convenientem proportionem & colores, quam pulchritudinem vocant, & ſi illam cum ſenio perditam, reſtituat, id hactenus non ſatis clarum factum fuiſſe vidi: imaginari tamen poſſum quoad proportionem & agilitatem partium, quod Vipera non inferior ſit Lepore, de quo Martial. jocando ita loquitur:

Si quando Leporem mittis mihi, Gellia, dicis:
Formoſus ſeptem, Marce, diebus eris:
Si non derides, ſi verum, Lux mea, narras,
Ediſti nunquam, Gellia, Tu Leporem.

Multi viri docti, ſapienteſque pro certo affirmant, quod in præparatione trochiſc. viperinorum *pro uſu Theriacæ, rejiciendæ* ſint tanquam inutiles & noxiæ omnes viperæ, *quæ gerunt in corpore ova*; fundamento innitentes Galeni ſcribentis; non debere in compoſitionem Theriacæ ingredi carnes viperarum gravidarum. Ego, loquendo tamen ſemper cum debito reſpectu, contrariæ ſum opinionis; & credo, ſi noſtri diligentes Pharmacopœi vellent componere Trochiſcos ex viperis ſine ovis, opus eſſet, ut ſumerent ſaltem maſculos & non fœmellas, cùm omnibus fœminis ova inſint & præcipuè ſi captæ ſint in pratis, illo ipſo tempore, quod opportunum judicant Damocrates, Crito, Galenus. Animadverterunt hoc doctiſſimi illi Medici, qui An. 1597. deputati fuerant ad correctionem Antidotarii Florentini; idemque cognovit Aldrovandus, qui ſcribit viperas faſtidium non movere ſi ova habeant, modò non ſint illæ à maſculis compreſſæ: & ut hoc animadvertatur, hoc pro ſigno genuino notat, ſi ova non ſint grandiora quàm ſemen papaveris aut grana milii; adjungendo quod ſi fœminæ nunquam fuerint conjunctæ cum maſculis, ova nunquam excedunt dictam magnitudinem: & ſimilis ſententiæ fuiſſe quoque Correctores nominatos Antidotarii apparet, quando rejiciunt ſolum viperas quæ habent ova grandia & ſanguineis lineis inſcripta. Sed ut uterum fatear, meis experientiis non convenit dictum Aldrovandi, ſiquidem in fine menſis Januarii multas viperas aperui, & in omnibus inveni ova fuiſſe grandiora fructibus olivæ, & ſanguine variegata, & tamen credibile quod iſta ova nondum fuerint fœcunda, aut ut ita dicam pullis fœta, namque ſi talia fuiſſent, viperini iſti fœtus non demum menſe Auguſto nati fuiſſent; nec ſemper certiſſimum & indubitatum ſignum eſt fœcunditatis, ſtriata ſanguinis inſcriptio, namque & in ovis non editis, quæ inveniuntur in ovariis gallinarum caſtratarum, & aliarum gallinarum, quæ non admiſerunt gsllum, videtur illa ſtriatim variegata ſanguinis inſcriptio. Itaque poſtquam obſervaverim, quod circa illa tempora quæ venationibus viperarum opportuna judicaverunt Damocrates, Crito & Galenus & alii Græci & Arabes, quæ ex priorum ſcriptis tranſcripſerunt, ſemper inveniantur in iſtis ſerpentulis ova majora & craſſa, crediderim quod dici poſſit, Galenum, quando loquitur de viperis prægnantibus, intellexiſſe ſolùm illas, quæ in corpore habent viperillas ovis adhærentes, eo modo non multum differente ab illâ, quam ſi memoria adhuc tenes, anno præterito una viderimus in piſce, ſquadro dicto, & in aliis piſcibus marinis; & *exceptis his quæ viperillas habent in ventre, omnis vipera aſſumi poterit ad Theriacam*, parva aut grandior, quanquam habeat ova, cùm haud verùm ſit, quod illæ, quæ grandiora ova habent, macræ ſint, exhauſtæ & inefficaces: namque tales inveni ſæpè craſſiſſimas & majores reliquis, & plus robuſtas; & ex occaſione craſſitiei illarum, digniſſimum eſt conſideratione, quod poſtquam tenuerim quaſdam viperas per 9. menſes ſine cibo incluſas, tandem cum ipſas exenteraſſem invenerim multo pinguiores in eâ parte, quæ rete dicitur, à Medicis omentum appellatum & Zirbus.

In hiſce meis naturalibus obſervationibus abſumpſi maximum numerum viperarum, faciendo ſingulis diebus ſtragem grandem, & ut extraherem quod dicitur, ſubtile à ſubtili, ſemper ſepoſui & conſervavi omnem earum carnem & oſſa, ex quibus ſiccatis in furno & poſtea ad ardentem ignem longo & laborioſiſſimo opere exuſtis & in cineres redactis cum aquâ fontanâ ſal extraxi, illudque purificando reduxi quaſi in cryſtallos: volui exinde experimenta facere de ipſius virtutibus, & inveni quod ipſum certo, ſicut omnia alia ſalia ex cineribus extracta animalium & plantarum, quæ indifferenter exhibita, ad pondus duarum drachmarum cum dimidiâ præter propter, corpus evacuare ſoleant, non aliter ac ſi bibitum fuiſſet unum de conſuetis & ordinariis medicamentis, quæ Lenientia Medicis vocantur. Hæc ſalia ex cineribus parata in purgando habent omnia parem & æqualem inter ſe virtutem, quod centenis vicibus vidi, ſic tam de rhabarb. ſena, turpetho, agarico, jalapa, mechoacanna & aliis ſimilibus; quàm de plantagine, cypreſſo, lentiſco, ſubere, cortice mandragoræ, ſorbis & cornis, nec unquam aliam differentiam potui invenire niſi in figura & quæ nihilominus (quantum cum curioſâ diligentiâ potui obſervare) reddit nec magis vividam, nec magis debilem ipſorum facultatem &vim ſolutivam; inde non ſine ratione vilipendo illos Authores Chymicos, qui habuerunt oculos adeo Lynceos, ut potuerint invenire tot & diverſas & non raro intra ſe contrarias virtutes, & in uno ſale quidem plures quàm in alio; & rideo exiguam experientiam tam famoſi Baſilii Valentini, qui in ſuâ Haliographiâ præter infinitam congeriem vanarum imaginationum ſcribit, quod ſex ſolummodo grana ſalis rhabarb. aut ſennæ, aut eſulæ ſufficiant pro bona & appropriatâ evacuatione. Sed de hac materiâ ſufficicnter verba feci in diſcurſu, quem præterito anno delineavi de natura ſalium & illorum figuris.

Poſtquam

Poſtquam legiſſem in hiſtoria animalium Ariſtotelis, quod ut plurimum beſtiis venenatis nociva ſit ſaliva humana, deſiderium mihi venit probandi an hoc eſſet verum, & particulariter in viperis, & hoc eo magis quod Nicander hoc dixiſſet, & quod idem inveniretur confirmatum in plurimis Galeni locis, à Plinio, Paulo Æginetâ, Serapione, Avicennâ & Lucretio, qui philoſophando ita cantat:

> Eſt itaque ut ſerpens hominis quæ tacta ſalivis
> Diſperit, ac ſeſe mandendo conficit ipſa.

Et iſti antiqui Philoſophi ſuppetias acceperunt à plurimis modernis & potiſſimum à Cardinale Ponzetto, à Pertrucio Bononienſi, â Geſnero, à Zacuto, à Thom. Campanellâ, à Marco Antonio Alaimo, à Lælio Biſciola, & à doctiſſimo & celebratiſſimo Ulyſſe Aldrovando, qui non ſolùm certiſſimum eſſe perſuaſum ſibi habet, quod hominis ſaliva interficiat ſerpentes, ſed ſupra hoc diſcurſus quoque facit & rationes dare conatur, reducendo hoc tandem ad vanum & chimæricum nomen tam decantatæ Antipathiæ. Sed Petrus Joh. Faber & Marc. Aurelius Severinus parùm intelligentes Antipathiam adducunt pro efficaciſſimâ cauſâ Sal armoniacum, quo pleniſſimam eſſe ſtatuunt omnem ſalivam, præ reliquis verò omnibus ſalivam humanam. Incluſi itaque ſex viperas electas in grandiorem ſcatulam, & per quindecim dies horis matutinis ſecundùm ordinem ab unâ ad alteram, omnibus curavi aperiri gulam, & procuravi, ut aliquot homines jejuni illam implerent ſputo, & poſtea ipſis recludendo os, per vim adegi ut deglutirent illud, & omnes vixerunt & adhuc vivunt, nec ab ullo morbo unquam fuerunt correptæ, ſed per dulcedinem novi & inuſitati alimenti excitatæ apparuerunt mihi quaſi pulcriores, alacres & præter morem fugitivæ. Et quia Aldrovandus adhuc ſcribit, qnod Circumforanei ſtatim quando comprehenderunt ſerpentes, ipſos ſalivâ adſpergant, cujus virtute manſueſcant, & malignitatem veneni perdant, & in hoc volui experimentum quoque facere, & confirmatus maneo quod hoc parum vel nihil veritati accedat, quia moriebantur omnia animalia, quæ mordebantur à viperis ſimili modo præparatis, & viperæ per humectationem cum ſalivâ ne micam quidem virtutis perdebant, ſed per contemptum quaſi magis ſuperbæ factæ, vibrabant acutum & bipartitum fulgur linguæ.

Sed hoc non magnam mihi affert admirationem, quod tantis ſcriptoribus veritas hujus rei fuerit incognita, namque accommodantes ſe erroribus vulgi nullum fecerunt experimentum, & eo magis, quod irritare ova viperarum non ſit ludibrium jocoſum, nam ſi quis ab iis morderetur, damnum in ipſum redundaret, ipſique acclamari poſſet, quod dicit Eccleſiaſtes: *Quis miſerebitur incantatori à ſerpente percuſſo, & omnibus qui approximant beſtiis?* Obſtupeſco ad *Galeni* verba quando *L. X. de ſimpl. med. facult.* ubi dixit, quod ſputum hominis jejuni ſcorpiones occidit, ſubjungit, quod hoc propriis ſuis oculis vidit, & hanc experientiam pluribus vicibus aſpexit comprobatam. Si homines & ſcorpiones qui iſtâ ætate Romæ & Pergami naſcebantur, ſimiles erant facti illis hominibus & ſcorpionibus nunc in Hetruriâ degentibus, licitum mihi ſit veniam petere à Galeno (viro qui alias in medicinâ poſt Hip. non habuit parem) quod hoc nolim credere, ab ipſo factam fuiſſe experientiam, & ſi hoc tentaverit, forte unâ vice factum fuit, in quâ per caſum fortuitum & non propter ſalivam, ſcorpio mortuus fuerit, namque pluribus vicibus continuavi per 6. dies continuas ſputari ſalivam à jejunis hominibus & ſitibundis ſupra ſcorpiones, & ſcorpiones non ſunt mortui. Moriuntur equidem certè ſpatio quadrantis horæ, ſi ſingulis illorum ſupra dorſum tres aut quatuor guttæ olei olivarum inſtillentur.

Unde propter hoc ſi admirationem incuſſit Galenus, multo magis admirationem injicit Albertus Magnus, qui libro de animal. recenſet, quod immerſerit aliquando in lagenam olei ſcorpionem, qui ibi vixerit ultra 21. diem ſe movendo, & in gyrum volvendo in fundo hujus olei. In ſimili vaſe, ubi parum abfuit quin eſſet plenum, ipſe incluſi viperam, quæ ibi ſupernatabat per 60. horas viva, ſed tandem victa propter laſſitudinem, paulatim ſeſe demittebat ad fundum vaſis, & antequam moreretur, conabatur magnâ vi, quantum ipſi natura concedebat, ut poſſet ad minimum extremam proboſcidis partem extra hunc liquorem proferre, & quando hoc ipſi contingebat, ut poſſet caput exſerere, aperiebat quantum poterat buccam & os, ad imbibendum iſtum aërem, qui ſub oleo ipſi fuerat denegatus. Oleo olivarum violentius operabatur in aliâ viperâ maximè terrificum oleum Tabaci, nam poſteaquam celebris ille Anatomicus Tilemannus vulneraſſet in pelle & per medium dorſi transfodiſſet eam, cum acu in extremitate in conum deſinente cui filum inductum, quod filum erat intinctum in hoc oleum, & trajiciendo filum per vulnus, ſpatio minori octavæ partis horæ, poſt aliquot extraordinarios motûs, mortua occubuit, & convulſa & rigida, ſicuti ſi fuiſſet ex ære, & in momento poſtea fiebat flaccida & flexibilis, tanquam ſi ante duos ſaltem dies fuiſſet interfecta. Per omnia ſimili morte occubuit vipera alia cui per gulam erant immerſæ guttulæ 4. aut 5. prædicti olei tabaci, ſed quamvis moriebatur iſta vipera, non moriebantur quoque quædam anguillæ, quibus per jocum idem experimentum applicabam, & in eo ipſo momento aquæ injiciebantur; & tamen prius erant mortuæ antequam ſubitò aquæ injicerentur multæ aliæ anguillæ ſupra dorſum vulneratæ cum illa ipsâ acu cujus crena habebat filum intinctum oleo Tabacino, & fuit obſervatum quod tunc quando morerentur anguillæ, fierent coloris ſubalbicantis, quæ vivæ acceſſerant ad colorem ſubnigricantem.

Sed relinquo anguillas & redeo ad viperas, & alios ſerpentes, circa quorum naturam infinitæ fabulæ & riſu dignæ ſunt conſcriptæ ab Authoribus, & imprimis à Plinio, quem admirandâ ſimplicitate ſubſequitur Mercurialis in Matthiol. & Caſtor Durantes, dicentes per Experientiam quod ſerpentes publicam & privatam exerceant antipathiam cum fraxino & cum ejus umbrâ, & quidem tali ſigno, ut ſi circulus factus fuerit à fraxino, & in eum immittatur ſerpens & acervus carbonum accenſorum, illa beſtia lubentius in ignem ſe ſit immiſſura quàm in frondes arboris ſibi inimicæ & exoſæ. Idem Plinius & Caſtor Durantes exſcribendo ex Plinio ſimul cum Scaligero narrant, quod ſi in circulum factum ex foliis Betonicæ immittatur ſerpens, quod videbitur rabiosè intorquendo & cum caudâ ſeſe flagellacdo ſe interimere. Credit Andr. Lacuna, quod ſi vipera ſit tacta cum ramo Fagi arboris, remaneat attonita & immobilis, tanquam ſi audiviſſet horrendos, & ut mihi credibile videtur, inutiles & mendaces ſuſurros incantatorum Marſorum. *Conſtantinus in libr. de Agricult.* affirmat, quod moriantur illi ſerpentes ſupra quos ſint injecta folia quercus, & Aëtius & Autor medic. ſimpl. Paterniani cum magnâ turbâ modernorum aliorum, dicunt quod Conyza, cum graveolenti ſuo odore in fugam conjiciat viperas & reliquos ſerpentes, & tamen per factam experientiam inveni pluribus vicibus, quod non ſolum folia fraxini, betonieæ, fagi, quercus, conyzæ, dictamni, calamenthæ & aliarum gravi & fœtido odore præditarum herbarum à Nicandro mentitarum non vitaverint viperæ, ſed quod intra illas frondes tam ſiccas quàm virides non ſolùm libenter ſe contegant, ſed & lubentiſſimè ibi commorentur.

Sed dum hæremus intra fabulas, non intermittam adducere in memoriam illam quæ agit de amoribus Viperæ cum Murænâ, & narrat aſtutias & teneras illecebras amore concitati ſerpentuli cum natante ſuâ amaſiâ, eo tempore quando à fervidis ſolaribus radiis pulchrior factus, & ornatu nitidus exſpatiatur ad ripam maris & cum ſibilis amatoriis invitat, ut concedat amore ſe proſequi, & dum illa caput ex undis elevat, & littori approximat, ille cum conveniente moderatione accedens, evomit ſupra ſaxum, & ibi quaſi in depoſito relinquit illum venenatum liquorem, quem concluſum in ore geſtavit, ne amaritudine ullâ inficiat deſiderata ſponſalia; quæ ubi conſummata fuerint, & redierit ad locum ubi depoſuerat venenum, ſi per infortunium illud non invenerit, tam duriſſimè affligitur, ut brevi temporis ſpatio deſperatè moriatur. Audite quomodo Græcus Verſificator dictus Manuel Philo in quibuſdam verſibus ad genium ſuum conformatis, & dedicatis Michaëli Imp. Conſtantinop. cum titulo: *De Proprietate animalium*, omnia hæc deſcripſerit, & tam libero & ſecuro ſtilo, ut appareat quaſi tantum non vera narraret:

Muræna ſerpenti incola nubis æquoris,
Ad littus udoque ſaliebat à ſalo
Amans latebram deperibatque abditam
Serpens, priuſque quàm coiret lividum
Ponebat omne virus, ô invicte Rex,
Stridentibuſque vocabat amantem ſibilis
Confecto ab ambobuſque matrimonio;
Serpens repetebat virus atque antrum ſuum;
Muræna vero ad mare redibat humidum.

Diffuſius adhuc & cum majore dexteritate præ hoc, Oppianus in illis libris, quos de piſcatione Imp. Anton. Caracallæ inſcripſit, quamvis appareat, quod non ſolùm ad viperas ſe alliget, ſed loquatur in genere de omnibus ſerpentibus:

Quæ Muræna facit, non fama obſcura feruntur,
Serpenti nubit, prompteque ex æquore ſaltat
In littus, petit à cupido cupidos hymenæos.
Ardet amans ſerpens & multo exæſtuat igne,
Concitus in rabiem furibundus quærit amores,
Et curvum ſubito ſaxum ſpeculatur, & omne
Lethiferum ponit virus quod geſtat in atris
Dentibus, & bilem ſaxo deponit amarum,
Ut tædas capiat tranquillo pectore mites.
Littore conſiſtens horrendum ſibilat ore,
Concubîtuſque petit, ſubitò Muræna profundo
Excita voce furens, ruit ocior illa ſagitta.
Ex terrâ ſerpens ponti deſcendit in æſtum,
In venerem prompti gaudent complexibus ambo,
Serpentis caput ore tenens flat ſponſa protervi.
Sic ambo tædis læti, Muræna profundum
Deſilit in pelagus, ſerpens per littora reptans,
Omiſſum repetit virus, quod dentibus atris
Fuderat, at bilem nigram ſi fortè viator
Jecerit in pontum, jactat per littora corpus
Et non ſperatâ clauduntur lumina morte;
Privatus ſerpens armis, quibus ipſe putabat
Se fortem, & tanto ſerpentis nomine dignum
Et vitam, & tetrum perdit prope ſaxa venenum.

Prætermitto ſtudio cum ſilentio alias fabulas circa coitum & partum viperarum, quod illæ jam ſint eruditè refutatæ à multis Authoribus & potiſſimùm à M. A. Severino, & ante ipſum à Franciſco Ferdinando de Corduba *in cap.* 12. *Didaſcaliæ.* Sed non poſſum tacere narratiunculam Portæ, quod ſonus chordarum factarum ex inteſtinis harum beſtiolarum cauſa ſit, quod gravidæ abortiant, & fœtus pereant: nec illam quam recenſet Ariſtoteles: quod ſi ſerpenti ſit cauda detruncata, rurſus regerminet & renaſcatur, & quod ipſis oculi exempti repullulent.

Et Rhaſis, qui intra Arabes Medicus eſt magni nominis, narrat, quod ad ſolum intuitum eximii ſmaragdi oculi ſerpentum liquefiant, & erumpant ante frontem.

Bone DEVS! & tales ſunt Scriptores quaſi in omni ſcibili, qui undique contendunt, has nugas eſſe veras propter verendam authoritatem Veterum,

& eamdem fidem adhibent, quæ adhiberi ſolet manifeſtiſſimæ veritati: & crederent omne hoc quod de Regione, de Bengodi & de Petra Heliotropiâ aliquando fabulabatur Majus de ſapientibus cum Simplici & credulo Calendrino & ſi invenirent typis impreſſum, pro certo tenerent quod turres campanariæ tanquam novi Dædali noſtræ ætatis per aërem volare poſſent. Sed mundus ſemper manſit iu eodem ſtatu, & uſque à temporibus Pythagoræ inventa fuit talium ſimpliciſſimorum hominum caterva, judicii infirmi, & omni credulitate impleti, quorum animæ ſicut ſub finem dialogi Timeti ſcribit Plato, poſt mortem ex corpore transferantur ut hoſpitentur in avibus, unde non eſt mirum, ſi tales homines adhuc hodie in Hetruriâ per riſum appellentur Grandes volucres.

Non loquamur de ipſis, ſed obſervemus, & progrediamur & lubens abrumpo fabulas, quia optimè ſcio, quàm *Tibi* infenſæ ſint, *Domine Laurenti*, & ex adverſo omnes ſciunt quàm ſapienter ſis providus, ut non ſtatim omnia credas, quæ in libris Philoſophorum ſcripta ſunt, & ubi non conveniunt cum geometricis demonſtrationibus, cum validorum argumentorum robore & repetitis facilè nil perſuadent; unde ſpero quod hiſtoria, quæ mandata eſt ut colligatur & nobilitetur naturalibus experimentis, quæ per plurimos annos cum nobili & glorioſâ recreatione in Philoſophicâ Academia Aulæ Florentinæ, omnem applauſum ſit expertura ab iis qui ſeriò ſunt veritatis amatores. Et hic ſit terminus tam longæ & tædio plenæ Epiſtolæ, quod nolim cum ſimilibus rebus inanibus & parvi momenti *Tibi* amplius moleſtiam creare, nec tempus perdere,

Nam tempus perdere ei, qui plus ſcit, plus diſplicet.

FINIS.

TYPIS THEODORICIANIS.
M. DC. LXXII.

Tab. I. ad obseruat. XIV. Serpentis in Stomacho cerui petrefacti Hanouienſis

Tab. I.



Facies ſuperior



Eadem verſis lateribus

ad obseruationem XVII.



1634
CAREL·DOM·II·PR·FINI·DUX·ET·MON·
GUSTAV·ADOLPH·D·G·SVEC·GOTH·VAND·REX
DUCATUS NOW·AUR ELECTOR MOGUNT
GEORGI·FRIDER·D·G·ARCHIEP·E·E·P·WORM
16 17



Facies inferior

Tab. II. *Ad Ob. XVIII* Tab. 2


M
L
N
K
e
e
e
O
K
H
I
H
A
A
F
F
F
F
I
I
I
B
R
Q
P
O
T
S
C
X
V
T
G
C
D

ad obſeru. 99.

Tab. 3.



K
h
G
D
D
d
E
E
N
A
D
d
I
K
g
G
h
I
K
g
G
D
N
h
G
g
a
E
K

Ad Obs. XL.

Tab. 4.



C
E
C
C
E
A
D
c
c
F
c
c
c
b
c
b
c
A
I
A
b
c
c
c
c
c
c
B
c
B
A

Tab. V. ad obſer. XLIII



ad obſer. XLVIII Tab. 5.



Aō 1628 IS DESĒ RADYS DER HEYD
IN DEN GARDEN GEWASSEN.

[illegible]

ad Obſeruat. XLIX.



ad Obſeruat. LV.



ad Obſeruat. XC. Tab VI



ad Obſeruat. CII.



ad Obſeruat. CVI.



ad Obſeruat. CVII.



ad Obſeruat. CXI.

Tab. VII



ad Obs CXII. Tab. 8.



AD OBS CXIII. Tab. 9.



Imago B. V. in minera ferrea à Natura expressa.

see p. 238

Tab. 10

ad Obs. CXXVI



A. Intestinum duodenum B. Intestinū ieiunum
C. Intestinū ileum. D. Intestinū cæcum
E. Intestinū colon F. Intestinū rectum.
★ Nodi tres in intestino ileo

ad Obs. C XXVII



ad Obs. CXV.
Pietra di Bezuar, cauata da un animal Saettato.



ad Obs. CXVI



ad Obs. C XIV



Incipiente ab ouo anno
Ouo quidem Austriaco
Naturæ indita arcana
His litteris indicant
LeopoLDo eX Margarita FI
LIVs
DIVI proVIDentIa aLter
LeopoLDVs

#26620279

Reviewed in

Notes

osler
rote
gMC 78
1672

165357